This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

CORNELII PAULI HOYNCK

VAN PAPENDRECHT,

ARCHIPRESBYTERI MECHLINIENSIS

ANALECTA BELGICA.

IN SEX PARTES DIVISA.

VITA
VIGLII AB AYTTA ZUICHEMI
Ab ipſo Viglio ſcripta, Ejuſque, nec non
JOACHIMI HOPPERI
E T
JOANNIS BAPTISTÆ TASSII
OPERA HISTORICA
ALIAQUE ANALECTA AD HISTORIAM SCISSI BELGII POTISSIMUM ATTINENTIA
IN SEX PARTES DIVISA.
Collegit, Digeſſit, Notiſque Illuſtravit
C. P. HOYNCK VAN PAPENDRECHT
ARCHIPRESBYTER MECHLINIENSIS.
TOMUS PRIMUS. PARS PRIMA.



HAGÆ COMITUM,
Apud GERARDUM BLOCK.
M. D. C C. XLIII.

LENOX LIBRARY
NEW YORK

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY

ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS

JOACHIM HOPPERUS.

VIGLIUS AB AYTTA ZUICHEMUS.

OPDRAGT

AAN DEN WEL EDELEN GESTRENGEN HEERE

WYBRAND VAN ITSMA,

GEDEPUTEERDE WEGENS DE PROVINCIE VAN VRIESLAND TER VERGADERING VAN HUNNE HOOG MOGENDEN, DE HEEREN STAATEN GENERAAL DER VEREENIGDE NEDERLANDEN, enz. enz.

MYN HEER.

'T IS van onheuglyke tyden af, dat, by alle Volkeren, daar de Geleerdheid ſlegts een weinig in agtinge is, een' pryſſelyke Gewoonte ſtant heeft gegrepen, en in 't vervolg geſtaafd is, om zig een' waardigen Beſchermheer op te zoeken, en deszelfs aanzienlyken naam te plaatſen op den voorgevel hunner Boeken; ten einde de genen die hunnen arbeid den gemeenen Lande te nutte opofferen, eenen magtigen beſchermer mogen hebben tegen alle kwaadaardige aanvallen van nydige Bedillers. Want waarlyk zulk eene Eeuwe beleeven wy, waar in de beſte Werken de meeſte beriſpingen en de vuilſte laſteringen onderhevig zyn: en

meinen de preutſe Vitters hen- dan wonderlyk te quyten en uit te ſlooven, wanneer zy, 't zy uit nyd, 't zy uit naaryver, beriſpen de dingen die 't hen onmogelyk is te verbeteren.

Om zulks voor te komen, en overmits de bovengemelde Gewoonte thans is geworden als tot een' Wet, heeft het my goet gedagt, den waarden en geagten naam van UWEDG. te prenten voor de ANALECTA BELGICA van den Eerw. Heere C. P. HOYNCK VAN PAPENDRECHT, *Aartsprieſter te Mechelen*, en *Kanonik der Metropolitane Kerke binnen die Stad.*

En waarlyk verdiende ooit Werk opgedragen te worden aan een' Heer van dien uitſtekenden rang, en van die zeldzaame verdienſten, als is UWEDG. zoo waardiglyk door de Provincie van Vriesland ter Vergadering Hunner Hoog Mogenden, de Heeren Staaten Generaal der Vereenigde Nederlanden, afgezonden; zoo meine ik, dat, onberoemd geſprooken, beide Stoffe en Aanteekeningen deezer ANALECTA zig zoodanig een' Mecenas waardig maken. Want ziet men op de Stoffe, daarin doet zig op een ruim veld, en een ryke voorraad van Wetenſchap voor waare kenders onzer Vaderlandſche Hiſtorie, en 't keurigſte oog weet naauwlyks, na rype overweging, wat eerſt uit te kiezen, om deszelfs nieuwsgierigheid en lees-luſt te voldoen. Ziet men de Aanteekeningen in, daar vindt men een' Schat van Geleerdheid, vercierd met een' grondige kennis onzer Vaderlandſche Oudheden, en onderſchraagd met een' oordeelkunde die niet gemeen is; dermaten dat het ſcherpzinnigſte verſtand, en het ſchranderſte en ſnedigſte oordeel werk zullen vinden te beſliſſen, welk van beiden zy 't meeſt hebben te waardeeren, de keurige Stoffe zelve, ofte wel de vol pit en merg zynde Aanteekeningen. Dusdanig een Werk is dit, en zoodanig een behoorde 't ook te zyn, waar van men den Opdragt durft onder 't oog brengen en aanbieden een' Heer wiens oud en aanzienlyk Geſlagt, uitſtekende Rang, lofwaardige imborſt, uitmuntende Deugden, en zeldzame Hoedanigheden, welke zig UWEDG. niet dan door geſtadige vlyd en onvermoeide letteroefeningen hebt eigen gemaakt; daarenboven wiens Hooge Ampten en Bedieningen, verkregen door verdienſten, en bekleed met zonderlingen roem, my een wytuitgeſtrekt veld zouden openen, om Uwen lof te

verbreiden, 't en ware Uwe Zedigheid my zulks verboodt, en Uwe Deugd verkoor, alle die Hoedanigheden te bezitten, zonder dezelve te willen gemeld hebben. Dit noopt my, met ſtilzwygen voorby te gaan een punt, dat byna altoos komt uit te leveren 't voornaamſte en wezendlykſte deel eenes Opdragts. Ik verkies dan liever, myne penne op te leggen een eerbiedig ſtilzwygen: my vergenoegende met te zeggen, dat UWEDG., in navolging van alle uitmuntende Mannen, liever inderdaad Groot wilt zyn, dan Groot ſchynen; verſmadende met de verhevendſte zielen alle zulke dingen, daar 't gemeene ſlag van menſchen doorgaans vieriglyk naar haakt. En is 't (myns bedunkens) genoeg, zyn goet geweeten alleen tot een getuige van Weldoen te hebben. Hierom ſmeeke ik den Gever alles goets, dat Hy UWEDG. genadiglyk gelieve te verleenen, dat Dezelve nog lange jaaren in een' friſſe gezondheid, ten dienſt en hulp van Land en Volk, zyne hooge Bediening waarnemen, en het Schip van Staat, in deeze donkere tyden, met zoo veel wysheid en voorzigtigheid mag helpen beſtieren, dat hetzelve uit de woeſte Zee en dreigende onweders van Staatsgevaren de gewenſchte haven van ſtille ruſt moge beſtevenen: 't welk de wenſch is van my en alle opregte Liefhebbers van 't Vaderland, die de eere hebben van UWEDG. te kennen. Hier zal ik nog byvoegen, dat het my tot eere zal gedyen, UWEDG. deezen op te offeren; en dat mogelyk niemant ter waereld meer dankbaar zal zyn wegens de vryheid my ingewilligd van UWEDG. deezen te mogen toewyden.

Ik eindige, na UWEDG. verlof te hebben verzogt, van te mogen zeggen, dat ik van gevoelen ben, dat deeze vrymoedige Opdragt UWEDG. niet onaangenaam zal zyn, als ziende niet op eenigen loon, maar alleen op de Vriendſchap, waarmede 't UWEDG. behaagd heeft my te verwaardigen en te beſchenken. Ik was d'ondankbaarſte aller menſchen, zoo ik dat niet erkende: en gebreekt het my aan magt, myn wil ſtaat evenwel te roemen. Een koele dronk Waters in een zuivre kop geſchonken, was den Goden welgevallig, als het maar voortkwam uit een opregt harte: zoo is myne geringe offerhande mede, die ik vertrouwe dat UWEDG. met zulk een goet hart zal aanvaarden, als ze Dezelve

van

van my wordt toegezonden, met al 't geen in myn onmagtig vermogen is. UWEDG. gewaardige zig dan te gelooven en voor vaſt te houden, dat ik ben en onfeilbaar gedenk te verblyven, met alle ſchuldige hoogagtinge en eene hartgrondige genegentheid

MYN HEER

UWEDG.

Nedrigſte Dienaar.

's Gravenhage den 17. September 1743.

GERARD BLOCK.

PRÆFATIO.

I. UT hic VIGLIUM AB AYTTA ZUICHEMUM, Equitem, Sanctioris Consilii, & alterius, quod Rerum Statûs vocant Brûxellæ Præsidem, & Gandavi, ecclesiæ tunc Collegiatæ, nunc Cathedralis, Sancti Bavonis Præpositum, Cancellarium Ordinis aurei velleris fundatorem Collegii sui nominis in Universitate Lovanienſi &c. multis coner laudibus ornare aut efferre, nemo a me exspectet. Consentio enimverò *Ubboni Emmio*, qui præstare existimavit de eo tacere, quàm non paria ejus gloriæ dicere: paria autem dicere, difficillimum existimavit.

II. Præmittenda sunt nonnulla de *Vita* VIGLII, quam edimus in lucem. *Valerius Andreas* in Bibliotheca Belgica testatur, VIGLIUM, *de Vita sua, morum confidentiâ fretum, scripsisse*: & existimat inde hausisse *Suffridum Petri* in decade duodecima *de Scriptoribus Frisiæ*. Addit autem, hos *de Vita sua* commentarios, in Collegio a se condito Lovanii, asservari. Quin id verum fuerit dum *Valerius* scriberet, non ambigo: hodie verò illos in Vigliano Collegio frustra quæras. Testatur præterea, quod *Gisbertus Lappius à Waveren meditaretur*, dum ipse Bibliothecam Belgicam adornaret, *Vitam Viglii Zuichemi, ab ipso Viglio scriptam, notis variis illustratam*, emittere. Habuit illam certe *Lappius*; sed an autographam? Non liquet, & mihi, uti mox ostendam, non fit verisimile. Ejus partem communicavit cum *Johanne Isacio Pontano*, sed non sine hujus querela. Ita enim ad *Lappium*

Pontanus: (1) *Vitam illam Viglii a Viglio ipſo ſcriptam cur non totam etiam mihi miſiſti? Fruſtum accepi, idque expreſſi*: Nempe hoc fruſtum dedit *Pontanus* in hiſtoria ſua Geldrica. Ejus quoque fruſtum aliud dedit *Hugo Franciſcus Heuſſenius* in hiſtoria Epiſcopatus Leovardienſis, quamvis unde habuerit, pro more ſuo ſileat. *Nicolaus Burgundus* JC. & Profeſſor ordinarius Codicis in Academia Ingolſtadienſi, in præfatione Hiſtoriæ Belgicæ, quam contexuit ab anno 1558. uſque ad Ducis *Albani* adventum, profitetur, ſe fideliſſimis manuſcriptis adjutum fuiſſe, & *quidquid in Belgicis conciliis actum ſit, ex ſchedis Viglii acceptum* eſſe. Haſne ſchedas *Vitam* ipſam VIGLII exiſtimabimus fuiſſe? Viderunt præterea Vitam VIGLII alii viri docti. Teſtatur *Sanderus* in Flandr. Illuſtr. lib. 5. fol. 378. 379. quod *Georgius Viverius* Senator Brabantinus, *Henrici*, Geldriæ Cancellarii filius, ea quæ *de Vita ſua Viglius ſibi conſcripſerat*, editurus eſſet. Hæc proinde illius, prout & *Lappii*, mens fuerit, quæ apud utrumque effectu caruit.

III. Nos ipſam hanc *Vitam* hodie damus integram, atque ex codice manuſcripto, quem Collegii Lovanienſis fuiſſe, admodum eſt veriſimile. In uno namque Inventario ad teſtamentum VIGLII ſpectante & infra exhibendo (2) reperitur inter manuſcripta, poſt VIGLII obitum illata in Collegium: *Vita Dni. Viglii Zuichemi.* Quis extulit è Collegio? Fateor me neſcire. Perhibetur, *Andream Men-*

(1) *Sylloge. Epiſtol. ab Ant. Matthæo vulgat. p.* 318. *in* 8. *p.* 221. *in* 4.

(2) *Papiers miſes au coffre ſigné* 17. *contenants les lucubrations du Docteur Viglius de Zuichem. Infr. pag.* 240.

Mendez, Bruxellenſem, Canonicum & Officialem Brugenſem, codicem illum, e quo nos hanc publicamus, olim reperiſſe inter chartaceam ſuppellectilem *Joannis Franciſci de Baillencourt* Archidiaconi quondam Brugenſis, qui eumdem ex patrui ſui, Epiſcopi Brugenſis *Franciſci de Baillencourt* anno 1681. hoc ſeculo defuncti, inſtructiſſima bibliotheca ad opus pauperum ſtudioſorum publice diſtracta, ſibi reſervarit; quem anno 1722. donavit *Joanni Franciſco Foppens*, olim quoque Brugenſi, nunc verò Canonico Graduato atque Archidiacono Mechlinienſi, collegæ meo conjunctiſſimo; qui eumdem his ſuperioribus annis repoſuit in Bibliothecam Archiepiſcopalem ac Capitularem, quæ in palatio Archiepiſcopali Mechlinienſi congregata eſt per eminentiſſimum *Thomam Philippum* Cardinalem *de Alſatia*, *de Bouſſu*, Archiepiſcopum, Primatem Belgii, qui per quinque retro luſtra nec impenſæ pepercit, nec labori, in conquirendis optimæ notæ libris omnium facultatum.

IV. Ceterum codex ille non eſt autographus. Neque enim VIGLII ætas & male affecta valetudo fiverunt, ut vitam ſuam propria manu exararet, qui jam anno 1560., menſe Octobri, ad *Nicolaum Damantium* affinem ſuum ſcribens, teſtabatur (3) *manus & capitis diſpoſitionem calamum refugere, & ſe ex Scriptore dictatorem factum.* Arbitror ego ſtatui poſſe, hujus VITÆ exemplar autographum exſtare nullum, & forte exſtitiſſe numquam. Et ſane hanc quam vulgamus Vitam, VIGLIO dumtaxat dictante fuiſſe conſcriptam, patebit legenti. Illam

(3) *Tom. 4. Epiſt. inedit. quas a prelo rejecimus. pag. 618.*

Illam porro exceptam fuiſſe ab eodem amanuenſi, qui ejus ad *Hopperum* epiſtolas exaravit, ex utriuſque codicis collatione apparuit. Unum intervenit diſcrimen, quod codex epiſtolarum, manu propria VIGLII interpolatus exiſtat ſæpe ſæpius, quod de codice, in quo Vita deſcripta eſt, affirmare non poſſumus.

V. Quo tempore Vitam hanc ſuam dictarit VIGLIUS, mihi eſt quoque incompertum. Anno 1574. id eſt, triennio ante mortem, ſcribens ad *Joachimum Hopperum* in Hiſpaniam, in epiſt. CCXLIII. noſtræ editionis, deplorabat, ſe ad exitum vitæ propinquantem, ocium nondum nactum fuiſſe, *ut quæ obſervatu digna ſibi occurrerant, in ordinem redigeret*, verebaturque, *ne morte præoccupatus voto hoc ſuo frui nequiret*. Quamvis hæc de aliis, quam de propriis geſtis, accipi poſſint, videtur tamen uſque ad finem dierum ſuorum dictaſſe de vita ſua: quòd in hoc commentario meminerit de Teſtamento ſuo, non integris ante mortem menſibus duobus condito.

VI. Hæc Vita VIGLII ſine titulo, fine concluſione eſt ſcripta, *in quarto*, quod ajunt: implens paginas quinquaginta & ſeptem, primâ, alteràque hinc & inde exeſis. Unde lacunatam eam initio damus. Eſt tumultuaria & præcipitanti ſcriptione conjecta in chartam; ut dubitem, an a VIGLIO relecta fuerit umquam. Certe illam ſi recognovit, perpolire neglexit. Omnia fert ætas, animum quoque. Ceterum ſtylum ejus terſum, purum ac nitidum, & vere Latinum obſervabis in epiſtolis a nobis ſelectis, nec non in aliis, quas notis noſtris interjecimus.

VII. Cir-

VII. Circumferuntur & alii commentarii de *Vita* VIGLII, ſed diverſo exordio. Nempe a *Folcardo* VIGLII parente, ubi VIGLIUS ipſe orditur a *Folcardo* tritavo ſuo. Et illorum quidem compilator non eſt merus amanuenſis vel deſcriptor, ſed quodammodo & ipſe eſt auctor: qui VIGLII genus & proavos noſcens, reſque inprimis Friſicas perſpectas habens, priori codici noſtro ſæpe ſuperaddit; adeo ut & hunc codicem noſtrum, & *Genealogiam* VIGLII, quam pariter primi edimus, præ oculis, cùm ſuam componeret narrationem, habuiſſe videatur. In rerum geſtarum expoſitione ſecundi hujus codicis auctor, purus, ſimplexque deſcriptor eſt, ſed reſecavit nonnulla: præſertim quæ ad turbatiſſimi illius temporis res publicas attinent, conſilio nobis incomperto. Et has omiſſiones identidem adnotavimus. Multi nobis uſus fuit ſecundus ille codex, cùm, quod prioris caracteres difficiles, & lurido nimis atramento pictos, pluribus in locis aſſequi nequiverimus ſine hujus auxilio; tum quod bina folia, quæ in priore deſiderantur (4) ex ſecundo ſuppleverimus. Hinc magni nobis pretii effectus eſt.

VIII. Hi ſecundi Commentarii de *Vita* VIGLII, in quibusdam exemplaribus titulum non habent, in aliis præfigitur, qui ſequitur: *Vita Reverendi D. Viglii Zuychem ab Aytta præpoſiti Sancti Bavonis, Secretique Conſilii præſidis, ac Cancellarii ordinis aurei velleris per Adrianum Goudan.* Ita codex D. *Jo-*

(4) *In priori codice (quem edimus) ad marginem pagina* 43. *aliena quidem, ſed non recenti manu, aut atramento, notatum eſt*: deſunt bina folia.

D. *Johannis de Witt* Dordraceni, Conſiliarii Senatus Rerum Statûs, ac præſidis Cameræ Rationum Belgicarum Bruxellis, qui eumdem nobiſcum humaniſſime communicavit, & quo, tamquam prioris codicis noſtri perpetuo commentatore, uſus ſumus in notis noſtris, adhibito altero ejuſdem *Adriani Gaudani* exemplari manuſcripto, quod in ſupradictam bibliothecam palatii Archiepiſcopalis Mechlinienſis intulit *Joannes Baptiſta de Vicq* Decanus Eccleſiæ Cathedralis Burgenſis.

IX. *Suffridus Petri*, loco ſupra indicato de Script. Friſiæ, non ex priore codice noſtro, ſed ex hujus *Adriani Gaudani* commentario hauſit, prout ex utriuſque collatione conſtitit, & in notis noſtris oſtendetur. Idem eſto judicium de *Gisberto Lappio*, qui ad *Suffridi Petri* appendicem ad *Hedam* pag. 5. hæc ad marginem adjecit: „ Viglius Zui„ chemus in Vita ſua quam Lappius MS. adſervat, „ ait: *Principio quidem* (miſſus eſt Dux Albanus) „ *cum poteſtate Capitanei generalis, relictâ Duciſſæ* „ (Margaretæ Parmenſi) *adminiſtratione in iis quæ* „ *militiam non concernebant. Verùm illa intelligens* „ *cum conſorte imperii diu concordiam conſtare non* „ *poſſe, licentiâ a Regia majeſtate obtentâ ſub ini*„ *tium Calend. Januarii in Italiam abiit, Ducique* „ *Albano plenam poteſtatem regendi has provincias,* „ *ita Rege jubente, reliquit.* “ Hæc verba VIGLII, ſi tamen ejus ſunt, in codice noſtro fruſtra quæras. Sed *Adriani Gaudani* commentario inſunt; unde colliges, quod quam *Lappius* adſervabat *vitam MS.* ea *Adriani* fuerit. Nec quidquam facit quod ſupra agnoverimus, illum *Iſacio Pontano* fruſtum miſiſſe: hoc enim fruſtum tam in codi-

codice noſtro, quam apud *Adrianum Gaudanum* legas.

X. Porro quis ille *Adrianus Gaudanus*? Id juxta ſcio cum ignariſſimis. *Heuſſenius* (5) vult, eum eſſe *Adrianum Mangotium* Societatis JESU presbyterum, qui & ipſe Gaudanus eſt, & qui *Viglii Zuichemi ad tempus amanuenſis fuit, deſcriptis ejus, quæ in Collegio Vigliano Lovanii aſſervantur, epiſtolis, caractere elegantiſſimo ſub Adriani Gaudani nomine.* Præferunt certe hoc nomen deſcriptarum illarum epiſtolarum nonnullæ, uti dicam in præfatione ad Epiſtolas Selectas. Sed quis inde concludat, *Adrianum Gaudanum* deſcriptorem, eſſe *Adrianum Mangotium* Jeſuitam? Quod ait, *Mangotium* amanuenſem VIGLII fuiſſe, id verò probatum oportuit. Et quando fuit? Et quotus fuit? Plures namque habuit librarios, amanuenſes, ſecretarios. Inter executores teſtamenti legitur: *Secretarius meus Cornelius Breydel.* In codicillo: *Henricus Des Maretz Capellanus & ſecretarius meus.* Quinimo in ſubſcriptione teſtamenti: *Johannes Kersmaker, de Ordeghem, amanuenſis meus.* Et contra *Heuſſenii* opinionem facit primò, quod *Sotuellus* in Bibliotheca Societatis JESU, poſt enumerata *Mangotii* opera, nullum faciat verbum de *Vita* VIGLII, quantumvis ipſe opera quoque mſſ. ab auctoribus relicta conſueverit recenſere. Deinde de *Vita* illa non meminit *Philippus Alegambe* in Bibliotheca ſua, quamvis de *Mangotio* agens etiam VIGLIUM loquatur: *Lovanii annis IX. Philoſophiæ ac Theologiæ operam dedit in Collegio*

(5) *Hiſt. Epiſc. Ultraj. pag.* 307. *col.* 1.

legio Clariſſ. Præſidis Viglii Zuichemi. Hæc Bibliotheca prodiit Antverpiæ anno 1643. ubi *Mangotius* ante annos quatuordecim e vivis exceſſerat, & ubi editores illam ejus lucubrationem ignorare non potuiſſent. Poſtremò non capio ego, cur *Mangotius* huic *Vitæ* præfixiſſet nomen *Adriani Gaudani*, ſuppreſſo proprio cognomine, quod expreſſit ante alia ſua opera quæ typis excuſa ſunt. His adde, quod hæc *Vita Viglii auctore Adriano Gaudano*, in domo profeſſa Societatis JESU Antverpiæ, in qua mortuus eſt, nuſquam reperiatur, prout anno ſuperiore ad me perſcripſit P. *Guilielmus Cuperus*, qui illuſtrandis ibi actis Sanctorum multos annos impendit, & nuper admodum hoc ſeculo deſunctus eſt. Et haud ſatis ſibi conſtat *Heuſſenius*, qui paulo poſt locum citatum ita ſcribit (6) *Adrianus Bonſerus, Goudæ anno circiter* 1533. *ex non ignota familia natus, ſtudia Lovanii non infeliciter abſolvit. Fertur fuiſſe amanuenſis Viglii Zuichemi, cujus litteræ tribus voluminibus ab Adriano Goudano polito calamo deſcriptæ, in Collegio Viglii præter alia duo volumina, adſervantur.* Et per aſteriſcum inferius notat: *hoc ab aliis Adriano Mangotio tribuitur.* Alios illos non nominat. Sed quid tum poſtea? Habemus *Adrianos Gaudanos* duos, & ambos, ſi *Heuſſenio* credimus, VIGLII amanuenſes, quod mihi tamen nullibi occurrit, nec ab ipſo probatur. Alteruterne *Vitam* VIGLII ſcripſit? Non liquet. Ego ſic ſtatuo. Cùm ſecundus codex noſter hunc habeat titulum: *Vita Reverendi D. Viglii..... per Adrianum*

(6) *Pag.* 308. *col.* 1. *ubi ſup.*

num Gaudan. is non magis *Adriano Mangotio Gaudano*, quàm *Adriano Bonfero Gaudano* convenit. Latet porro cui ſit tribuendus. Fortaſſe neutri.

XI. Atque hæc hactenus de inedita *Vita* VIGLII, quæ dubio procul ejus eſt fetus. Sunt, qui orbi literario obtruſerunt, neſcio quam, indigeſtam viliſſimæ narrationis congeriem, quam VIGLIUS elaboraſſet Gallico ſermone, & quam oſtentant cum hac inſcriptione: *La ſource & commencement des troubles ſuſcités aux pays-bas, ſous le gouvernement de la Ducheſſe de Parme &c.* (7) Et ubi quæſo hæc? Quis poſſidet exemplar autographum? Eſt præterea, qui illam inſaniam e Gallico Belgice redditam audacter publicavit (8) nullo in rem adducto argumento. Ego, ut nihil dicam de ſtylo, qui neutiquam illius temporis eſt, incunctanter aſſevero, rapſodiam eſſe VIGLIO indignam; de qua nemo, qui de ejus ſeu vita, ſeu geſtis ſcripſit, vel per umbram meminit. Nil ſimile occurrit in inventario lucubrationum ſuarum, nullum in omnibus epiſtolis reperitur ejus vel leviſſimum indicium. E contrario, adeo longe abeſt, ut Gallice quidquam elaborare potuerit, ut aperte doluerit, ſe, cùm ad reipublicæ Belgicæ negotia primùm adhibereter, ejus linguæ uſum, olim in Gallia eum juri civili diſcendo operam daret, leviter com-

(7) *G. Brandt, Verhaal van de Reformatie. Amſterdam* 1663. *pag.* 324. *zegt*: Men houdt (*dit Frans geſchrift*) by Viglius zelf ingeſtelt te zyn. *Idem dicit Adrianus Pars in Indice Botavico. pag.* 267.

(8) *Grondig Berigt van t'Nederlants oproer* &c. In collectione cui titulus: *Hiſtorie der Graavelyke Regeering in Holland. Door V. H. p.* 207.

comparatum, amiſiſſe. (9) Atque de his jam ſatis, ſuperque.

XII. Nunc accipe conſilium noſtrum atque propoſitum. Lectorem omnem rogo memorem eſſe, nos Vitam VIGLII, aliaque analecta ad hiſtoriam ſciſſi Belgii attinentia edere, minime verò ſcribere hiſtoriam tumultus, bellique Belgici. Hanc adornare qui volet, utatur hac *Vitâ*, atque adhibeat VIGLII *Commentarium rerum actarum ſuper impoſitione decimi denarii per* Ducem *Albanum*, quem pariter primi vulgamus. His porro jungat *Epiſtolas ad Hopperum*, ipſiusque *Hopperi commentarium*, atque annales *Joannis Baptiſtæ Taſſii*, habiturus unde *Stradam*, *Haræum*, *Heuterum*, *Borrium*, *Meteranum*, *Meerbecanum*, *Hooftium*, & quos non? atque in primis *Joannem Franciſcum le Petit*, qui de VIGLIO male & non niſi ex odio vulgi ſcripſit, corrigat, emendet, expoliat. Et ego hunc laborem aggreſſuro precor mentem ſanam in corpore ſano.

XIII. In notis noſtris ad *Vitam* hæc ratio ſervata eſt. Rebus a VIGLIO præclare geſtis & obiter a ſe commemoratis, lucem, aut ab *Adriano Gaudano*, aut ab epiſtolis ſuis petitam, addidimus. Quæ præ modeſtia præteriit, in medium attulimus. Et ut rectum, excelſumque, & inſuper candidiſſimum viri animum noſceres, aperuimus qua mente & quo conſilio iſtud egit, aliud ſcripſit. Deinde quæ ad perſonam ejus attinent, non cenſuimus omittenda:

(9) *Ita teſtatur in Epiſt. ad Carolum Boiſotum tom. 3. p* 270. *& apertius ad Hectorem Hoxvirium anno* 1542. *cùm in Conſilium Secretum Bruxellis reciperetur. Tom. 4. p.* 331. *inter ined. Epiſt.*

da: quare de ejus genere & proavis, cùm ad manum eſſent, dedimus nonnulla. Scripſit *Hugo Grotius* (10) VIGLIUM haud magna domo natum. Fuit certe inter Friſicas ſpectabilis & non ignobilis, cui ſplendorem minime fucatum contulit cùm *Bucho Aytta de Zuichem* ejus patruus, tum VIGLIUS ipſe, qui Eques a Cæſare creatus, per varia munia officiaque conſcendit duplicis apud nos ſenatûs, rebus publicis curandis conſtituti, principalem locum; & in ordine eccleſiaſtico illud tenuit faſtigium, ut compellaretur *Monſeigneur de Saint Bavon.* (11) Præterea eruditorum virorum quibuscum ſibi aut contubernium aut ſtudii ſimilitudo, aut commercium fuit, & præſertim quibuscum potiores habuit neceſſitudines, acta aut ſcripta retulimus, ſed non continuò proſecuti ſumus prolixe, ſatis nos feciſſe ſubinde rati indicando auctores, apud quos, qui volet, plura cognoſcat.

XIV. Inſuper illud ſollicite cavimus, ne quis merito queri poſſet, quod in illuſtranda VIGLII Vita, extra chorum, quod ajunt, ſaltemus. Qui quidvis arripit, ut quod vult ſcribat, næ ille ineptit. Librorum ſcribendorum nullus eſt finis, quia nullum nonnulli ſervant modum; & ſibi ſolis placituri, quidquid multo ſtudio & examine congeſſerunt, ubi collocent, quærunt, de re quæ præ manibus eſt, ſollicitum ſæpe linquentes lectorem, qui, dum geſta ſeculi decimi ſexti perquirit, cogitur audire, quid ſeculo tertio & quarto, ſimile aut diver-

(10) Annal. lib. 1.
(11) Supplement de Butkens tom. 2. pag.** 379.** 38. Bajana pag. 64. 69. &c.

diverſum egerint Oriens, Occidensque. Specimina multa reperi in commentatore erudito quidem, ſed qui movet faſtidium, dum bona non bene collocat, & eruditionem ſuam non ſuo in loco oſtentat. Quid enim? *Joannes Lindebornius* in hiſtoria epiſcopatus Daventrienſis refert ex *Philippi Rovenii* ſchedis, quod *Baldericus* epiſcopus Ultrajectinus, corpus S. *Plechelmi* tranſtulerit Aldenſaliam in eccleſiam dicatam Sancto *Sylveſtro*, quam auctam a ſe ac dotatam, de Sancti *Plechelmi* nomine deinceps appellari voluit. Quem ad hæc commentarium exſpectes? An venuſte ad rem loquetur, qui hîc de tiara Pontificia, quam primus portaverit Sanctus *Sylveſter* papa, longum ſermonem faciat? Et ubi cœperit loqui, cogat te examinare, an tiaram *Sylveſtro* impoſuerit *Conſtantinus Magnus*? An eam *Bonifacius* VIII. duplicem, & *Urbanus* V. triplicem fecerint? Quid hæc, inquies, ad eccleſiam Aldenſalienſem in Tranſiſulania? Audi. Hæc olim Sancti *Sylveſtri* appellata fuit, & Sanctus *Sylveſter* papa fuit, & papæ tiaram geſtant, & tiara hodie triplicem habet coronam. Numquid cohærent? Numquid jure locum obtinent in *Eccleſiaſtica hiſtoria*, & inter *Antiquitates ſeptem fœderatarum provinciarum Belgii*? (12) Iſtud eſt ſapere, ut impleantur ſex volumina in folio. Ego ab animo meo impetrare non potui, ejusmodi ut imitarer exempla, quæ in citato opere invenias non tot quin plura.

XV. Quam-

(12) *Kerkelyke hiſtorie en outbeden der zeven vereenigde provintien. In t'Latyn beſchreven door den Heer H. V. H.* (Hugo van Heuſſen.). *In t'Nederduyts overgezet en met Aantekeningen opgeheldert door H. V. R.* (Hendrik van Ryn.) *Vide tom. 6. pag. 517. n. 4.*

XV. Quàmquam, ut initio diximus, tuto poſſint VIGLII decora alta ſileri, viſum tamen fuit, inter elogia & teſtimonia varia, adducere variorum carmina, quæ non videbuntur omnia operæ prætium auferre. Verum enim vero, non ſemper quæ dicuntur, ſed quandoque quis dicat, attendendum eſt. Atque ita judicarunt viri graves & ſapientes, qui popoſcerunt magis, quàm rogarunt, ut exhiberemus VIGLIUM laudatum a laudatis viris. Inter hos tamen invenias aliquos, qui ſuum erga VIGLIUM, atque etiam erga *Hopperum*, amorem teſtatum fecere invitâ Minervâ.

XVI. Ex eorumdem judicio adornavimus *Synopſim Vitæ*, ut omnes ejus actus, fortunam, & quæ cucurrit pericula, caſus denique omnes, compendio haberes, quæ alioquin ex *Vita*, ex *Commentario decimi denarii*, ex *Epiſtolis ad Hopperum*, aliisque a nobis *Selectis*, quaſi ex totidem ſylvis colligere & colligare neceſſe tibi foret.

XVII. Nullas pro VIGLIO vindicias ſcripſimus, quòd vita actusque, hominem loquantur probum non minus, quam ſapientem. *Henricus Geldorpius* (13) maledicta jecit in VIGLIUM. Sed hunc comiter admodum miſſum fecimus, quòd etiam in ſummum virum *Ruardum Tapperum*, aliosque eximios viros, ſæviit.

XVIII. De aliis porro lucubrationibus, quas e manuſcriptis quoque vulgamus, non eſt quod oppido moneamus, dum ad ſingulas præfati ſumus ubi opus fuit. Ceterum in omnibus MSS. nihil nobis ſumpſimus immutandum, ſervavimusque primigeniam

(13) *V. Epiſt. claror. Viror. a Gabbema editas pag.* 192.

niam phraſim Latinam, Gallicam, Belgicam, ſcribendique rationem ſeu orthographiam. Et quinimo, diverſitatem illam, qua idem verbum aut nomen non iisdem ſemper literis conſonantibus, & diverſis quandoque vocalibus pictum eſt, non correximus, quantumvis hæc amanuenſibus potius, quam auctoribus tribuenda videantur. Præſtat exhibere quod ſcriptum eſt, quam arbitratu ſuo uti, atque errare dum volumus ſapere.

ELOGIA

ELOGIA
ET
TESTIMONIA
DE
VIGLIO AB AYTTA ZUICHEMO.

Illuſtriſſimo Dno. D. Viglio Aytæ a Zuichem Præpoſito D. Bavonis & Conſilii Status Regiæ Catholicæ Majeſtatis Præſidi Ampliſſimo.

Jacobus Yetzweirtius S. D. P.

Edite inexſtincto radiantes igne lapilli
Quos legit in fulvis decolor Indus aquis,
Cedite & in rutilis pretioſa monilia gemmis
Quæ niger in diti littore jactat Arabs,
Cedite cærulei cum duro adamante ſmaragdi
Quæque micat media nocte coruſcus onyx,
Cedat quidquid habet rarum, admirabile, pulchrum,
Sive ferax tellus ſeu reflui unda maris:
Vicimus; En magni munus ter nobile Vigli
Aurea de collo pendula imago meo;
Majus habet pretium; collataque cenſibus orbis
Innumeris omnes una præit numeris.
Hinc, etenim, vivis ſpirantia nutibus ora,
Ora refert ipſis æmula pæne pijs:
Atque illud caput & Cœlo & venerabile terris
Exprimit ars doctis ingenioſa notis:
Inde, laboratæ per mille negotia vitæ
In medio pluteus conſcius orbe micat,
Impoſitusque liber pluteo, lucernaque pernox
Momentisque horas clepſydra menſa ſuis

Ex MS. Collegii Vigliani Lovanii.

Scilicet

Scilicet his ſtudiis, his artibus, optime Præſes
Altior humano factus es ingenio:
Et reliquis ſolus longe poſt terga relictis
Tollis honoratum ſydera in alta caput.
Salve, igitur, dulcis, venerandaque ſemper imago
Salve animi ſpes & gloria certa mei.
Tu recreas, ſtimulosque addis, tu laudis amorem
Suggeris, & famæ nobile calcar habes.
Tu facis ut nova ſubrecaleſcat pectore virtus,
Magnaque (neſcio quæ) ſpes rediviva canat.
Ergo mecum tu Numen eris, tu proxima cordi
(Ut decet) in noſtro tuta ferere ſinu.
Non imbres, ventosque feres, iraſque minaces
Aëris, aut rigido ſub Jove triſte gelu,
Nulla tuos etiam fex vulgi ingloria vultus
Tanget, & impurâ turba prophana manu.
At ubi Pierios in te pia corda poetas
Et ſacros Muſis ſors dabit ire viros
Tunc ego te gremio expediam, tum ſingula quæque
Signabo digitis conſpicienda meis,
Tunc ego lætitia exultans: Yetzweirtius *iſtud*
A magno dicam Præſide munus habet.
Tunc artem, pretiumque canam, laudesque retexam
Muneris, & dantis nomen in aſtra feram.
Tu quoque Belgarum ſpes unica maxime Vigli
Quo nihil hic noſter clarius orbis habet,
Salve iterum atque iterum, tibi ſit reverentia, honosque
Debentur meritis maxima quæque tuis.
Utque tuo immeritum decoraſti munere Vatem,
(Quale queat magnos exhilarare Deos)
Vive diu Regi, Patriæ, Muſisque, mihique
Sospes, & emigres ſerus ad aſtra precor.
Vive, inquam, quot imago tui durabit in annos
Et tua ſit dono vita coæva tuo.

Ampliſſimæ Dominationis veſtræ
obſervantiſſimus.

Jacobus Yetzweirtius.

ALIUS.

DE VIGLIO AB AYTTA ZUICHEMO.

ALIUS.

AD EFFIGIEM VIGLII ZUICHEMI.

Atria Juſtitiæ haud opus eſt ſervare dracones Ex eodem.
Pervigil eſt Divæ Viglius *ante fores.*
Hunc illum ob vigiles animos vigilesque labores
Præpoſuit ſummo Belgica Conſilio.

Viglio Zuichemo Jurisconſul.
Gabriel Ayala *medicus*
S. D.

Dum ſeneſcat opus tibi dicatum Ex eodem.
Hæc habe mea pignorata ſcripta
Vigli, *Præſes in arduo Senatu*
Regis maximi & optimi Philippi
Regis Heſperiæ, Indiæque vaſtæ
Regnorum hominumque plurimorum.

In effigiem D. D.
Viglii Zuichemi Præſidis
Sixti Dekama *Phryſii*

EXASTICHON.

Hunc pietate gravem quis non ſuperare Catonem Ex Gabbema in edit. epiſtolarum ad Hopperum.
Dicat, & inſignem vincere Pythagoram?
Hunc & Ariſtidem juſtum, celebremque vetuſtis
Juridicum Aemilium, quis ſuperare neget?
Doctus Ariſtarchus: Numa religione verendus:
Illuſtris dulci Tullius eloquio.
Clarus juſtitia Glaucus, ſed clarior illo
Bocchyrus: at cunctos Viglius *exſuperat.*
Muſarum antiſtes, patriæ protector, & omnis
Juſtitiæ præſes, præſidiumque bonis.
Cujus quam vigilans *peperit, poſt funera vivet*
Virtus, & nullo laus moritura die eſt.

ELOGIA ET TESTIMONIA

Guilielmi Marteni *J. C.*
de Viglii Comentariis in x. tit.
lib. II. Inſtit. de Teſtament.
Verſus
cujusmodi de Amaſonide Marſi
cujusdam luſit aliquando Martialis:

Ex Valerii Andreæ bibl. Belg.

Sæpius in titulo memoratur Viglius *uno*
Quam levis in tota Magnus Jaſonide.
Viglius *hinc Zephyris, & notus* Viglius *Euris*
Et ſaa cum Viglio *fama perennis erit.*

Cypriani Volmelii
Cameræ Imperialis Aſſeſſoris
Epitaphium
Viglio poſitum.

Ex Suffrido Petri Decad. XII.

Viglius *hic Zwichemus habet poſt fata quietem*
Præſide quo celebris Belgica tota fuit:
Quippe magiſtratu licet hoc illuſtrior uno
Haud cedat doctis, Cæſare dante viris,
Hic tamen illius valde amplificavit honorem
Inclyta tam virtus, nomen & hujus erat:
Tantus in eloquio nitor, atque ſcientia legum
Tanta, tibi quondam Scævola quanta fuit.
Id quod perpetuo monumenta diſerta loquuntur
Quæ juvenis merita luce frui voluit.
Jamque ſuæ decies ſeptem numeraverat annos
Quum Lacheſis vita fila ſuprema trahit.
Friſia mœſta parens, tibi ne ſolatia deſint
Heroas tales ede ſubinde novos.

A L I U D.

Jacobi Bouricii *J. C.*

Ex eodem.

Viglius *octava* (*flet triſtis Friſia*) *Maji*
Aſcendit læti ſplendida tecta poli.

ALIUD

DE VIGLIO AB AYTTA ZUICHEMO.

ALIUD.

a Cathedrali Canonicorum Gandavenſium Collegio
Poſt violatum a Calvinianis Viglii tumulum, in ſacello Præpoſitali poſitum.

ADMODUM REVERENDO VIRO
D. VIGLIO AB AYTTA
ZUICHEMO FRISIO
J. C. Clariſſimo.

Ex Aub. Miræo.

Cathedralis hujus eccleſiæ I. *Præpoſito mitrato*
Auret Velleris Cancellario
Supremi Belgicæ Statûs & Sanctioris Conſilii
ſub potentiſſimis Principibus
Carolo V. Imp. & Philippo II. Hiſp. Rege
Præſidi
Summo, vigilantiſſ. integerr.
Qui cum hanc Eccleſiam piis fundationibus
Plurimis munimentis decoraſſet,
Academiam Lovanienſem,
Structo ſui nominis Collegio,
Non minus liberaliter, quam magnifice dotaſſet
Natale ſolum novi Hoſpitalis beneficio perpetuo ſibi demeruiſſet:
Tandem poſt longas vigilias, poſt indefeſſos labores
Plenus dierum, plenus honorum,
Regi fidus, Patriæ carus,
Utilis omnibus, injurius nemini,
Magno ſui relicto deſiderio, quievit in Domino
Anno M. D. LXXVII. VIII. die Maji
ætatis ſuæ LXX.
Iſte vir fuit lector, ſed fuit, mirare, imitare,
Vigila, memor prudentiſſimi illius ſciti,
VITA MORTALIUM VIGILIA.

ALIUD.

ALIUD.

Qui curas Regum & Regnorum pondera obivit
Pervigil hic dormit, Viglius *in tumulo,*
Parce pios lector manes turbare, quietem
Hæc post tot vigiles vindicat umbra dies.
At vigilis Vigli *exemplo, vigil esse memento:*
Nil etenim vita est, sit nisi vita vigil.

ALIUD.

Qui curas Regum & Regnorum pondera obivit
Pervigil, augustæ clarus honore Mitræ,
Belgarumque æquis pius invigilavit habenis
Maximus hic dormit Viglius *in tumulo.*
Et nunc tot vigiles curas, pulchrosque labores
Parvula marmoreo contegit urna sinu.
Nemo tibi invideat requiem, ô venerabilis umbra
Quippe laborati hanc promeruere dies.
Felix qui satur, & vitæ laudumque Senectæ
Prægrave maturo funere ponis onus.
Felix qui, Belgis monstrata pace, perenni
Pace fruens, superis additus astra tenes.
At tu, quisquis ad hæc subsistes busta viator,
Istaque submissa carmina voce leges,
Parce pios manes strepitu turbare, quietem
Hanc post tot vigiles vindicat umbra dies.

ALIUD.

Maximiliani Vrientii
S. P. Q. Gandavensi a secretis.
ex epigrammatum libro III.

In scitum
Viglii Zwichemi
Præpositi
Divi Bavonis Gandensis.

Vita mortalium vigilia.

Allusio ad numisma. *Quid pluteo* liber *impositus*, candelaque *pernox*,
Quid celeres horas clepsydra *mensa docet?*

Artis

Artibus & studiis noctuque diuque severis
Admonet explicitus invigilare libet;
Hinc decus & clari venturum lumen honoris
Lumine Lychnuchus *præradiante notat.*
Tempora metiri vigili *labentia motu*
Nos docet exemplo clepsydra *gnava suo.*
Recte igitur vigilare mones, Vigil *optime*, Vigli;
Nil *etenim* vita *est*, *sit nisi* vita vigil.

Epitaphium
Illustrissimo Jurisconsulto
Viglio Zuichemo Frisio
factum.

Hic jacet ille
Viglius, *alter*
Papinianus,
Lumen avorum.
Non jacet ille
Cujus in omne
Fama superstes
Pervolat ævum.

Boëtius Epo, Frisius Frisio, J. C. minimus
J. C. maximo, devotus ponebat.

PROSOPOGRAPHIA VIGLII.

Ex Suffridi Petri decade XII. de script. Frisiæ.

Fuit Viglius *statura mediocri, membris bene compactis ac decentibus, cute candidissima, capillitio infra flavedinem albicante, prolixa satis, sed non densa, capite rotundo, vultu amabili, fronte lata nullis rugis interpolata: naso inter aduncum & simum medio, quantitate mediocri, buccis tumidulis ac rotundis, oculis vitreis ad nigredinem tamen inclinantibus, quorum radii notabili celeritate præsentem ingenii vigorem arguebant. Erat autem captu facillimo, memoria tenacissima, judicio acutissimo, ita ut quæ traderentur facile perciperet, fideliterque teneret, & in usum de-*

bitum dextere applicaret. Quibus quidem facultatibus ſuppetentibus ille non ad nequitiam abuſus eſt, ut illi quorum perverſitas declarat, optimis ingeniis innaſci plerumque vitia peſſima, & tritum pene vulgo proverbium fecit, Juriſtam bonum, eſſe Chriſtianum malum. *In his enim quia non ratio affectibus, ſed affectus rationi dominantur, fertur equis auriga, nec audit currus habenas, uti Poëta dicit, ac tanto etiam gravius in præceps ruunt, quanto magis ab indomita & effreni natura propellebantur. Atqui* Viglius *qui affectibus rectam rationem præfecit, voluntatem bonam naturæ facultatibus ſubjunxit, eamque vitam ab ineunte ætate ingreſſus eſt, ut ad eruditionis ac virtutis ſupremum faſtigium conſcenderet, eo propoſito, ut & ſibi & ſuis, & Reipub. prodeſſet: quod & facile animadvertet, quisquis ejus veſtigia diligenter obſervaverit, quæ curſum vitæ ab eo tranſactæ, ab initio ad finem hic ſupra dilucide indicant. Itaque cum talis plerumque fiat aut ſaltem habeatur unusquisque, quales ii ſunt quibuscum familiariter verſatur, ille a prima ſtatim pueritia pravum conſortium cane pejus & angui odit ac vitavit, illisque condiſcipulis ſuis ſe maxime ſemper applicuit qui ipſum ætate, eruditione ac virtute præcederent, præceptoribus ſuis ſe morigerum ac ſequacem præbuit, in diſcendo prima cura fuit ut animi cogitata propriis, perſpicuis, ac ſignificantibus verbis explicare poſſet. Deinde ut artium Liberalium Encyclopediam ordine debito perdiſceret, quo viatico percepto ſine remora ad ſolidam Jurisprudentiam porro contenderet. His fundamentis jactis ubi ſtudia ipſius maturuiſſent politiſſimis litteris ſuis iiſque cordate ſcriptis ſe præſtantiſſimis viris inſinuavit, optimis ac ſtudioſiſſimis adoleſcentibus ſe applicuit, iiſque ad ſtudia & virtutem exſuſcitandis, privatim publiceque benevolentiam apud omnes ſibi conciliavit: Cumque jam in publicum prodire, & eruditionis ſuæ ſpecimen edere conſtituiſſet, modeſtiæ memor, ab Inſtitutionibus Imperialibus juris profeſſionem auſpicare voluit. Ut ſine arrogantiæ ſuſpicione (quæ invidiam parit) magna tandem aggrederetur, qui in minoribus antea feliciter verſatus eſſet. Quantum igitur ille in re literaria præſtare potuiſſet, ſi perſe-*

perſeverâſſet, ſatis arguunt tot Univerſitates in Gallia, Italia, & Germania, in quibus ejus induſtria ſpectata fuit, arguunt etiam lucubrationes in publicum editæ. Arguunt denique politiſſimæ & elegantiſſimæ ejus epiſtolæ ad diverſos amicos ſcriptæ, in quibus ſingularis ac mirabilis quædam eſt concinnitas, quæ mediocritate modeſtiam, perſpicuitate judicium, elegantia eruditionem, candore benevolentiam, ſynceritate authoritatem pro re nata ad quos ſcriptæ erant, quaſi peculiari quodam ejus genio ſpirabant. Qui quidem genius etiam in aliis ejus ſcriptis, & quidem publicatis ſuaviſſime relucet, in quibus cum optimum lumen ordinis in convenienti rerum diſpoſitione cernitur, tum etiam apparet ſtylus naturalis, minime affectatus, purus & verbis propriis ac ſignificantibus ad rerum propoſitarum explicationem idonee comparatus ſine obſcuritate, ſine defectu, ſine ſuperfluitate, ſine oſtentatione: Nec mihi quidem dubium eſt, quin ille in literaria functione, ad finem uſque vitæ perſeverare maluerit quam extra omne periculum poſitus in otio profundo degere & vitam tranquillam ducere potuerit. Cum tot dotibus tum a natura tum ab arte inſtructus, parum difficultatis, plurimum autem honoris & emolumenti, ex ea porro ſenſurus eſſet: niſi aſſiduis Magnatum & Principum flagitationibus, (quibus operam denegare non plane tutum erat) ad civiles functiones traductus eſſet: In quibus quanta prudentia, quanta dexteritate uſus fuerit; inde æſtimari poteſt, quod tot Principibus a Conſiliis fuerit, tot Curiis aſſederit, ac præſederit, tot legationes obierit, ex omnibus laudem & honorem authoribus ſuis, ipſi Reipub. ſalutem reportaverit: In quibus omnibus perficiendis ille conſtantiam vigilantiamque adhibuit, ut a propoſito ſuo, quod cum judicio ſuſceperat nec metu cujusquam ſe abſtrahi, neque laboribus deterreri ſineret, ſed donec perfeciſſet vigilaret ac laboraret: ut merito ſuo ſymbolum uſurparit, vita vigilia eſt: *in quo neque manui mens, neque menti manus umquam defuiſſet. Quamquam autem ille patriæ amiciſque ſuis præmaturè ereptus ſit, ad juſtam tamen alioqui ætatem, hoc eſt, ſeptuagenariam pervenit, qui cum 19. Octobris anno 1507. natus eſſet, 8. Maji*

anno 1577. vita defunctus sit: Mortuus est Bruxellæ in ædibus suis, sepultus est Gandavi ad S. Bavonem in Mausoleo ab ipso contracto.

ELOGIUM
AUBERTI MIRÆI

Ex Script. Sæc. XVI.

VIGLIUS ZUICHEMUS, *frisius, paterno in prædio, a quo cognomentum induit, haud procul Leovardia Frisiæ metropoli, natus antiqua & nobili familia, puer in* Jac. Volcardi, *viri Græcis Latinisque litteris pereruditi, disciplina fuit. Quocum Lovanium profectus,* Conr. Goclenium, & Rutg. Rescium *utriusque linguæ Professores, studiose diligenterque audivit. Gustatis ibidem Jurisprudentiæ fontibus, Dolanam Sequanorum Academiam adiit. Triennio hic exacto, lustratisque Galliæ Academiis, Valentiæ Cavarum substitit, & urgentibus Academiæ Professoribus, Doctoris ibi lauream accepit.* Andrea Alciato *quo familiariter usus fuerat, in Italiam revocato, apud Biturigas in docendi munere subrogatur. Post in Italiam venienti, nec opinanti, ac pene repugnanti provincia de superiore loco Institutiones Cæsareas interpretandi a Patavinis demandatur. Hic præclaros illos* de Testamentis *commentarios adornavit, sibique non tam popularis auræ captandæ, quam bene de Republica merendi studio excidere passus est. Quo quidem libro, si molem spectes, in specimen fortasse exiguo, sin rerum utilitatem, ponderumque momenta æstimes, diffusis aliorum voluminibus anteponendo* (magnum *enim* librum magnum malum *Callimachus grammaticus appellabat, Domitius vero Piso* non Libros sed Thesauros esse debere *judicabat*) *Italiam qua patet, doctrinæ fama conturbavit; & præclarum illud Alciati elogium promeruit,* Magnæ spes altera Romæ. *Bibliothecæ Cardinalis Bessarionis, Reipublicæ Venetæ Testamento legatæ, quæ ad D. Marci adservatur, inspiciendæ potestatem adeptus,* Theophili Græcas Institutiones *eruit, atque in Belgium avectas*

tas, a Rutg. Rescio, *typographo Græce doctissimo, cum præfatione erudita sane ac laboriosa, Lovanii edendas curavit. In patriam, qua annos xiv. caruerat, reversum* Carolus *V. Cæsar Spirensi in senatu Consiliarium renunciavit. Inde a* Guilielmo *Bavarorum Duce ampio stipendio evocatus, Jus civile annos amplius quatuor in Academia Ingolstadiensi, magno auditorum concursu, interpretatus est. Sed patriæ si potius, quam exteris, ex Platonis sententia, natum cogitans, oblatum in supremo Mechliniensi Senatu Magistratum amplectitur. Crebris demum legationibus clarus, Sanctioris Consilii Præses a Cæsare renunciatur, & equestri honore insignitus, Velleris aurei Cancellarius salutatur. Uxore* Jacoba Damantia, *nulla prole suscepta, e vivis sublata, sacris initiatus, amplissima ad D. Joannis Gandavi Præpositura donatur. Lovanii senex augustum Frisiorum genti collegium magnis impendiis a fundamentis exstruxit, & vectigalibus dotavit. Moritur Bruxellæ* 1577. *septuagenarius, & Gandavi in Cathedrali S. Joannis Basilica conditur in Mausoleo, quod sibi vivus ponendum curarat. Statura fuit mediocri, membris bene compactis & decentibus, cute candidissima, capillitio infra albedinem albicante, fronte lata, vultuque amabili. Tumulum ejus a Calvinianis violatum, cathedrale Canonicorum collegium instauravit.*

ELOGIUM

VALERII ANDREÆ.

VIGLIUS AB AYTTA, ZUICHEMUS, *natus in Barrhusia, prædio paterno, ad medium a Leovardia Frisiæ metropoli lapidem, an. D.* CIↃ. IↃ. VII. XX. *Kal. Novembr. in ea familia, quæ inter Frisiæ primas & nobilissimas,* Zuichemi *cognomentum tulit ab avito similiter prædio & municipio Zuichemensi, agri Leovardiensis, ad primum ab urbe lapidem. Primis litteris imbutus est Daventriæ, Hagæ-Comitis, Leydæ, & Lovanii circa annum* CIↃ. *Ex Bibliotb. Belg.*

CIↃ. IↃ. XXII. *ubi & Græcas in Collegio Trilingui Basiliano didicit, & prima Juris elementa accepit. Inde quatuor post anno Dolam Sequanorum concessit, ad majorem ingentii fructum capessendum; & per litteras* Desiderio Erasmo *innotuit: quæ illi in* Andreæ Alciati *J. C. præstantissimi notitiam & amicitiam fores aparuêre. Itaque anno Dom.* CIↃ. IↃ. XXIX. *Avenionem ad Rhodanum fluvium se contulit; pulsumque inde sæviente epidemicâ lue* Alciatum, *& Biturigas accitum (postquam anno eodem, die octavo Maji, Valentiæ, quæ Galliæ Academia est, in Delphinatu non incelebris, doctoris insignia accepisset) secutus est.* Alciato *in Italiam revocato, cathedram ejus biennium tenuit & docuit. Hinc in Italiam dum cogitat, celebres Germaniæ Academias visit: Friburgensem, & in ea* Des. Erasmum, Uldaricum Zazium, Henr. Glareanum; *Basileensem, & in ea* Bonifacium Amerbachium, Sigis. Gelenium, *&* Heron. Frobenium; *Tubingensem, & inibi* Jacobum Jonam, *aliosque. Patavium ubi venit,* Franc. Curtium *præceptorem habuit, & juvenis adhuc ac peregrinus, ut ipse alibi scribit, in professorum numerum atque ordinem cooptatus est, anno* CIↃ. IↃ. XXXII. *atque Institutiones Justinianeas publicè prælegit, cum applausu fructuque audientium, ac stupore Italorum, hominis exteri ac Belgæ facundiam admirantium. Hic annum unum substitit, & a XIV. annorum peregrinatione patriæ amor animum subiit. Dum redit, in itinere* Erasmum *Friburgi;* Frobenium *Basileæ de via salutavit, & Græcas Theophili Institutiones, è Bessarionis Card. Bibliotheca Venetiis depromptas, typis ejusdem Frobenii edi curavit. In patriam reversum* Franciscus *Monasterienſis Episcopus anno* CIↃ. IↃ. XXXIV. *Curiæ suæ constituit Judicem;* Carolus V. *Cæsar anno* CIↃ. IↃ. XXXV. *Cameræ Imperialis Assessorem;* Guilielmus, *Bavariæ Dux,* CIↃ. IↃ. XXXVII. *Academiæ Ingolstadienſis Professorem, postquam similem conditionem sibi antea in Academia Regio-montana a* Joachimo II. *Marchione Brandeburgenſi oblatam recusasset, qua de re ipse ad* Geor. Sabinum *an.* 1535. *rationes suas perscribit, quo minus adhuc e foro ad scholasticam illam docendi tranquillitatem redire tunc statuisset.*

Deni-

Denique Maria, *Belgarum Provinciarum pro* Carolo V. *fratre Gubernatrix*, Viglium *anno* CIↃ. IↃ. XLIII. *Belgio reſtituit, oblata ſenatoria dignitate in ſupremo apud Mechlinienſes Concilio.* Carolus *vero conſtituit eumdem Concilii ſtatus & ſanctioris Præſidem, atque Ordinis aurei Velleris Cancellarium, Equeſtri honore inſignitum. Poſtremo*, Jacoba Damantia *uxore elata, ad S. Joannem Gandavi Præpoſitum nominavit: Cumque, ut in Epitaphio legitur*, Eccleſiam ſuam piis fundationibus, plurimis monumentis decoraſſet, Academiam Lovanienſem, ſtructo ſui nominis Collegio, non minus liberaliter, quam magnifice dotaſſet; natale ſolum novi Hoſpitalis beneficio perpetuo ſibi demeruiſſet; tandem poſt longas vigilias, poſt indefeſſos labores, plenus dierum, plenus honorum, Regi fidus, Patriæ carus, utilis omnibus, injurius nemini, magno ſui relicto deſiderio quievit in Domino Bruxellis, anno CIↃ. IↃ. LXXVII. *poſtrid. Nonas Maji, ætatis ſuæ* LXX. *ſepultus Gandavi ad S. Joannem, in Mauſoleo, quod conſtrui ipſe ſibi vivens juſſerat. Morienſque, condito paulo ante prid. Idus Martii teſtamento, cognatos hæredeſque ſuos ita alloquitur:* Rogo autem enixe eoſdem, quos ego propriorum liberorum loco ſemper habui, ut amorem benevolentiamque fraternam inter ſe colere ac conſervare ſtudeant, mutuoque ſibi (ſi opus fuerit) adſiſtant, ac unuſquiſque honoris promotioniſque alterius curam eam me mortuo gerat, quam ego vivens erga ipſos ſemper exhibui, hoc ipſis præcipuum teſtamentum, ac mnemoſynon relinquens. *Quibus verbis videtur mihi* Viglius, *vir ſummus, alludere ad illa* Saluſtii *in Bello Jugurthino, ubi Micipſa:* nunc quoniam mihi natura finem facit, per hanc dextram, per regni fidem, moneo obteſtorque, uti hos, qui tibi genere propinqui, beneficio meo fratres ſunt, caros habeas; neu malis alienos adjungere, quàm ſanguine conjunctos retinere &c. *Porro de Vita ſua ipſe* Viglius, *morum confidentia fretus, ſcripſit & hinc* Suffridus Petrus *Decade* XII. *De Script. Friſiæ. &c.*

URBO

ELOGIA ET TESTIMONIA

UBBO EMMIUS de Rep.
Frisiorum inter Flevum & Lavicam
fol. 49. edit. Lugd. Bat. 1616.

Omnes qui jam e vivis abiere, longe superavit Viglius Zuichemus, *non ipsa urbe* (Leovardia) *sed in agro urbi proximo natus, in urbe vero a teneris educatus, de qua tacere, quàm non paria gloriæ ejus dicere præstat, paria autem dicere difficillimum.*

MARTINUS HAMCONIUS
de viris rebusque Frisiæ illustribus p. 86.

. . . . . *Belgiacæ secreti maximus Aulæ*
Consilii præses, divique hierarcha Bavonis
Viglius *Astrææ vindex fuit, inclytus ille*
Auratus Zuichemus Eques, pater usque vocari
Qui meruit Patriæ.

Ex Ind. Bat. Adriani Pars pag. 267. qui descripsit ex P. Winsemii Chron. verm. p. 603.

Quem celsa virtus ipsa præmium sui,
Favorque Regum publicæ dedit rei,
Princeps Senatus, Nestor ætatis suæ,
Curis & annis fractus, hos vultus tulit,
Cui vita fluxit excubatrix, Viglius.
Huic nempe tantum debet uni Frisia,
Quantum Parenti *Roma debet patriæ.*

H. Bouricius.

M. S.

Ex P. Wins. sup. p. 605.

VIGLIO ZUICHEMO FRISIO JC. EQUITI AURATO, SECRETI AC STATUS CONSILII, CÆSAREÆ AC REGIÆ MAJESTATIS IN BELGIO PRÆSIDI, AUREIQUE VELLERIS CANCELLARIO, CUJUS EXCELLENS INGENIUM, INSIGNEM DOCTRINAM, PROFUNDAM JURIS DIVINI ATQUE HUMANI SCIENTIAM POSTERITAS ADMIRATUR. INCLYTI VIRI FAMÆ ORBI NOTÆ, VIRTUTI COELO RECEPTÆ, OFFICIOSA

DE VIGLIO AB AYTTA ZUICHEMO.

SA PATRIA P. C. OBIIT BRUXELLIS ANNO CHRISTI M.D.LXXVII. 8. DIE MAJI ÆTATIS 70. GANDAVI IN ÆDE CATHEDRALI SEPULTUS AC MARMOREO TUMULO CONDITUS.

ELOGIUM

A PETRO BORRIO VIGLIO SCRIPTUM.

DEn 8. *Mey* 1577. *is* Viglius Zuichemus *Preſident van den Rade van State, ende van den Secreten Rade des Coninck, binnen de Stadt Bruyſel gheſtorven, by was een ſeer geleert, vermaert, ende ſcherpſinnigh Man, Doctor in beyden rechten, int zeventigſte jaer zeyns ouderdoms, hy was van gheboorte wt Vrieslandt, wt het geſlachte van* Aytta, *maer hy voerde zynen Naeme naer het Dorp* Zuichem, *gheleghen ontrent een myle van Leuwaerden, alwaer hy gheboren was, hy was ſeer Catholyck, nochtans wt vreeſe * die hy hadde dat men hem voor een Ketter ſoude ſchelden ende alſoo een lack op den halſe ſoude moghen leggben, was hy in zyn oude daghen Gheeſtelick gheworden, ende is oock Prooſt van St. Baeff te Gendt gheweeſt. Zyn deviſe was* Vita mortalium Vigilia, *dat is, het leven der menſchen is waecken. Hy was een beminder der gheleertheydt, ende heeft veele van ſyn geſlachte tot geleertheyt ghevordert.*

Oorſpronck der Nederlantſche beroerten thiende boeck f. 241. Vſo. eerſte druk.

** Hic timor eſt ſtatus, prout etiam motivum aſſumpti ordinis clericalis.*

VIGLI ZUICHEMI Præſidis.

VIGLIUS *hic recubat, decorat quem gamma Pelaſgon,*
Quo dempto, invenies vilius *eſſe nihil.*

Ex Franciſci Sweertii epitaphiis Foco-ſeriis pag. 176. Edit. Antverp. 1623.

Multi viri docti lucubrationes ſuas nuncuparunt VIGLIO. Jacobus Pamelius *ſuum* Cyprianum. Cornelius Janſenius, *Epiſcopus dein Gandavenſis*, Commentarium *ſuum* in Proverbia Salomonis. *Eidem, ac Decano & Capitulo*

conjunctim, obtulit Paraphraſes in Pſalmos Davidicos. *Et* Petrus Bacherius *Gandavenſis Ord. ff. Præd. S. T. D. Lovanienſis*, Homelias in Epiſtolas Quadrageſimales. *Et ante hos omnes* Sigiſmundus Gelenius *eidem dedicavit Cardinalis* Contareni *librum* de Rep. Veneta *novis typis excuſum. Plura congeminare, neſcio an fuerit operæ pretium.*

SYNOPSIS CHRONOLOGICA VITÆ VIGLII AB AYTTA ZUICHEMI.

1507	19. Octobr.	NAscitur in villa *Barrabuys* sub pago *Wirdumensi*, non longe a *Zuichem*, ibique baptizatur.	V. Tom. I. pag. 5. & 6.
1514		Ad Sanctum Confirmationis Sacramentum adducitur.	Ibid. p. 6. n. XI.
		Grammaticam & cantum ecclesiasticum discit.	p. 64. n. XI.
1519	In Pasch.	*Daventriam* ablegatur ad ludum literarium.	p. 6. n. XI.
1520	.. Maji	Redit e *Daventria*, & mittitur *Hagam-Comitis* ad patruum Decanum ibi Capituli.	p. 7. n. XIII.
	med. æstate.	Mittitur a patruo *Leidam* sub disciplina *Guilielmi Verii*, græcis latinisque literis instituendus.	Ibid.
		Interim tonsura clericali insignitur *Ultrajecti*.	p. 7. n. XIV.
1521	sub fin.	Redit *Hagam*, datque operam *Jacobo Volcardo*.	p. 7. n. XIII.
1522	... Octobr.	Mittitur *Lovanium* cum *Jacobo Volcardo* futuro rectore studiosorum apud *Begardos*, ubi	

		duos fere annos, græcis, latinisque literis operam dat sub *Conrado Goclenio* & *Rutgero Rescio* in *Collegio Trilingui.*	p. 7. n. XIV.
1524	In Pasch.	Revocatur *Hagam* apud patruum, apud quem per mensem unum alterumque juris disciplinæ fundamenta jacit.	Ibid.
		Redit *Lovanium* serio, amplectens studium juris sub *Joanne Hagio* & *Nicolao de Bruxella.*	Ibid.
1525	. . .	Redit *Hagam.* Patruus constituit eum abligare ad quamdam Academiam Gallicam.	Ibid.
		Sed pare cum Gallis non succedente, redit *Lovanium*, & relicto *Jacobo Volcardo*, apud *Michaelem a Dona* hospitium invenit.	Ibid. & p. 68. n. X.
1526	. . Julii	Revocatur *Hagam.*	p. 8. n. XV.
	27. Sept.	Mittitur *Dolam* in *Burgundia.* Cohabitat Mgro *Haymoni Boudier*, cum *Henrico* ac *Quirino Rechlingeris* fratribus uxoris *Antonii Fuggeri.* Unde origo amicitiæ cum *Antonio.* Item cum *Joan. Georgio Hermanno*, cujus dein parens intimus ejus. Per totum fere triennium Jurisprudentiæ diligentem ibi navat operam sub professoribus *Ludovico Marantio*, *Jacobo Duxino*, *Joan.*	

		no Menacho, Petro Phanice, ac *Quirino Vitulo*.	
		Eraſmi ſe benevolentiæ amicitiæque inſinuat.	Ibid.
1528	3. Dec.	Moritur patruus *Bucho Aytta de Zuichem*, legato pecuniarum ac bibliotheca ſibi relictis.	p. 8. n. xvi.
		Dolæ privatim *Inſtitutiones* profitetur.	Ibid.
1529	15. Febr.	Primam ſcribit ad *Eraſmum* epiſtolam.	Tom. 2. part. 1. p. 7.
	Mart.	Proficiſcitur *Avenionem*, ubi audit *Andream Alciatum* ac *Franciſcum a Ripa*.	Tom. 1. p. 9.
		Graſſante ibi peſte *Valentiam ad Rhodanum* ſecedit.	Ibid.
	8. Maji.	Gradum ibi doctoratus ſuſcipit.	Ibid. n. xvii. & p. 72. 1.
		Biturigas migrat, ubi *Alciatus* ab *Avenione* adveniens profitebatur.	p. 9. n. xvii.
		Privatim ibi, publiceque profitendo nomen ſibi facit, & *Alciato* in *Italiam* abeunte, ejus ibi ocum tenet.	Ibid.
		Supra biennium *Biturigibus* moratus.	p. 74. n. iv.
		Ibi compoſuit *Juriſconſulti Inſtitu-*	

		ſtitutionem, primum ejus fetum. *Aureliam* interim & *Lutetiam Pariſiorum* inviſit. *Guilielmo Budæo* & *Joanni Tarteſio*, Lexovienſis Collegii rectori, aliiſque præclaris viris innoteſcit.	p. 9. n. XVIII.
		Fit Paſtor *Zuichemenſis*.	Tom. 2. part. 1. p. 18.
1531	ſub autumnum.	In *Italiam* proficiſcitur cum ſodalibus ſuis.	Ibid.
		Ab *Antonio Fuggero*, ut per *Germaniam* iter haberet, invitatus, *Baſileæ* videt *Bonifacium Amerbachium*, *Sigiſmundum Gelenium*, *Hieronymumque Frobenium*. *Friburgi Eraſmum*, *Zaſium*, ac *Ludovicum Berum* ſalutat. *Tubingæ* verò, *Jacobo Jona*, poſtea Regis *Ferdinandi* Cancellario accurrente, nomine Univerſitatis prandio excipitur.	pag. 10. n. XIX.
		Apud *Auguſtam* a *Joanne Recblinger* hoſpitio excipitur, & a *Fuggeris*, atque a *Joanne Paumgartnero* quotidianis fere conviviis, catenis, numiſmatibus, ac aureis annulis, aliiſque cimeliis donatur.	p. 10. n. XXI.
	16. Octobr.	*Monachium* primùm, inde *Swotium* proficiſcitur, a *Georgio Hermanno* ſplendide per triduum excipitur; Oenipontemque deducens Reginam ibi *Annam*, Regis *Ferdinandi* uxorem, ac *Maximilianum* & *Ferdinandum* filios ſalu-	

	salutat, & ab *Hieronymo Baldungo* Cancellario opipare tractatur.	
30. Octobr.	*Stertingam* pervenit; & per *Brixinam*, *Tridentum* ac *Tervisium*,	Ibid.
3. Nov.	*Venetias* attingit.	pag. 11.
9. Nov.	*Paduam* concedit, ubi in Jure profitebantur *Franciscus Curtius*, *Marianus Socinus*, *Marcus de Mantua* & *Arregutius ab Arregutiis*; in humanioribus literis primas obtinente *Lazaro Bonamico*.	Ibid.
1532 . . .	Per privatas lectiones publicasque disputationes ibi innotescit; lectione *Institutionum* donatur, procurantibus *Christophoro Madrutio* & *Othone Truchesio*, ambobus postea Cardinalibus.	p. 11. n. XXII. & p. 94. n. XXII. (1).
	[Ex quibus lectionibus suis composuit *Commentarios in* x. *tit. Institut.* quos *Frobenio* dedit excudendos]	p. 11. n. XXII.
	Pro *Udalrico Zasio* contra *Petrum Stella* scribit. Tom. 2. P. 1. p. 94. Invitatur ad Vicariatum judicialem in regno *Cypri*. Provinciam recusat,	p. 11. n. XXIII.
	Prout aliam quoque: Ut *Philippum Caroli* V. filium instituendum susciperet. [Quod *Philippus* aliquando intelligens doluit, quia	

		quia ſperarat non paullo ſe melius quam fuerat, inſtituendum fuiſſe.]	p. 11. n. XXIV. p. 12.
		A Cæſare commendatus Duci Venetiarum, & *Petro Bembo* faciente, facultatem obtinens inſpiciendæ bibliothecæ Cardinalis *Beſſarionis*, reperit ibidem Juſtiniani Imp. *Inſtitutiones Græcas.*	p. 12. n. XXV. & p. 96. n. XXV. (2)
1533	15. Aug.	Has *Bonifacio Amerbachio* permittit ab *Hieronymo Frobenio* excudendas.	Tom. 2. part. 1. p. 149.
	16. Octobr.	*Patavio* diſcedit in patriam. *Eraſmum* de via ſalutat *Friburgi.*	p. 13. n. XXVII.
		Inde *Baſileam* tranſiens curat, ut *Inſtitutiones*, ejuſque *Commentarii*, ſe præſente, correctius exeant.	Ibid.
	Dec.	*Græcarum Inſtitutionum* exemplaria *Petro Bembo* ac *Joan. Baptiſtæ Egnatio* ſubmittit.	p. 93. 94.
1534	7. Jan.	*Friburgum* redit invitatus ab *Eraſmo*, qui ei ſpem hæreditatis facit, ſi ſecum jam ſenio confecto, permanere non gravetur. Ille honeſte ſe excuſat.	p. 13. n. XXVII.
	23. Jan.	*Coloniam* venit. Excipitur a Doctore *Joanne Doccumenſi*,	Ibid.
		Quo faciente, munus *Officialis*, ſive Judicis eccleſiaſtici apud *Monaſterienſem* Epiſcopum, *Fran-*	

	Franciſcum a Waldeck, acceptat.	Ibid. n. XXVIII.
.. Febr.	Cum deputatis Epiſcopi conventionem ſignat.	Ibid.
	Quo tempore ad idem munus ab Epiſcopo *Ultrajectino*, *Georgio Egmondano*,	Ibid. n. XXIX.
	Et ab Academiæ *Dolanæ* Proviſoribus, ad Juris Civilis profitendi munus magno ſtipendio invitatus, fidem *Monaſterienſi* Epiſcopo datam ſervare mavult.	p. 14. & p. 118.
	Interim iter per *Brabantiam* proſequens,	p. 13. n. XXIX.
	Subſiſtit *Antverpiæ*, unde ſcribit in *Hiſpaniam* ad Cæſaris Pro-Cancellarium *Matthiam Heldt*, tranſmittens nuncupationem *Inſtitutionum Græcarum Carolo V.* inſcriptam.	Tom. 2. epiſt. inedit. p. 227.
12. Mart.	In *Friſiam* venit.	p. 14. n. XXX.
4. Maji	Ab Epiſcopo *Monaſterienſi* ad capeſcendum munus *Officialis* invitatus, in *Weſtphaliam* proficiſcitur.	Ibid.
.. Junii	*Dulmaniam* advenit. [Oppidulum tribus milliaribus ab urbe *Monaſterio*, per Anabaptiſtas occupato, diſtans.]	Ibid. & p. 118.
	Totum fere ibi annum permanet. Ceſſantibus ob belli turbas	

		bas judiciis, Episcopo consiliis & legationibus operam impendit.	p. 14. n. xxx.
	Nov.	Recusat in Academia *Marpurgensi* profiteri.	p. 117. & Tom. 2. part. 1. p. 167.
		Ab Episcopo *Monasterienſi* donatur Præpositura in territorio *Groningensi*.	p. 14. n. xxxi. & p. 119.
1535	5. Febr.	[Scribebat, Episcopum sibi nuper contulisse quoque Decanatum Ecclesiæ *Trans Aquas* in civitate *Monasterienſi*.]	Ibid. & p. 123.
	25. Julii	Recipitur in Collegium Assessorum Cameræ Imperialis *Spirenſis*, nomine Domus *Burgundicæ*.	p. 14. n. xxxi. p. 125. 126.
1537	sub fin.	Invitatus ab *Wilhelmo Bavariæ* Duce, ejus celebritate excitato, quod non mediocrem promeruisset laudem ex professione Juris in Academia *Patavina*, quod ejus *Commentarii in Instituta* testabantur, multis propositis præmiis, docendi munus in Academia *Ingolstadienſi* capit.	p. 16. 17. 128. 129. 130.
		[Collegas ibi nactus *Fabium Romanum*, & *Marcum Antonium Caimum*, post Senatorem *Mediolanenſem*.]	p. 17. n. xxxvii. & p. 131. (1) (2).
		Multam amicitiam colit cum *Joanne Eckio*, *Leonardo Marstaller*, theologis, ac cum *Vigilæo Hundt*	p. 18. 132.

		Hundt Juris-Conſulto.	
		Conſiliarius ibi Ducis efficitur.	p. 18. n. XXXVII.
1539	æſtate.	*Friſiam*, parenteſque inviſit.	p. 17. n. XXXVI.
1540	. . . .	Matrem *Idam Hanya* amittit.	Ibid. & p. 131.
		Peſte *Ingolſtadii* graſſante, *Reinam*, oppidulum vicinum, commigrat cum parte Univerſitatis, ibique totam agit æſtatem.	p. 18. & 132. (3)
		Ex pede periculoſe laborans *Auguſtam* ab *Antonio Fuggero* invitatus divertit, ubi peritorum chirurgorum operâ ſatis feliciter ſanatur.	p. 18.
1541		Honorant ejus auditorium *Ingolſtadii* (quo remigrarat) multi doctiſſimi primariique Viri, qui ad Comitia Imperialia tranſibant.	p. 18.
		Rectorali ibi poteſtate, ac Decanali dignitate fungitur.	p. 18. & p. 132. (7).
		[Circa idem tempus Rex *Ferdinandus*, qui poſt Imperator ejus nominis I. VIGLII fama permotus, diploma Conſiliarii ei ſponte tranſmiſit, præclariſque aliquot privilegiis donavit.]	p. 18.
		Induci non potuit, ut aſſentiretur Marchioni *Brandenburgenſi Joachimo II.* miris modis,	

	duplicatoque ſtipendio eum invitanti, ut in ejus Academia *Francofordiana* ad *Oderam* Jus profiteretur, quod Religio ibi Catholico labaſceret.	p. 18. n. XXXVIII. & p. 133.
	Cæſari *Carolo* V. per *Granvellanum*, alioſque requirenti, ut loco *Matthiæ Heldi* Vice-Cancelliariatus officium acceptaret, manibus pedibuſque reluctatur,	p. 18. n. XXXIX. & p. 136. (2)
	Non ſine quorumdam offenſa, qui & imperioſius cum ipſo egerunt, quod Cæſaris ſubditus naturalis eſſet.	p. 19.
	Offertur ei a Regina *Maria* vidua *Hungariæ*, & *Belgii* pro Cæſare Gubernatrice, locus in Conſilio ſecretiore *Bruxellis*, aut in alio quocumque *inferioris Germaniæ*, relictâ illi optione.	p. 19. n. XL.
Poſt Paſcha.	Excurrit *Bruxellas*, de oblatis conditionibus propius cogniturus.	p. 19. n. XL. p. 139. (2) 140. 141.
	Parentibus, amiciſque ſuadentibus, & in primis *Hectore Hoxvirio*, *Adriano Mario*, *Nicolao Grudio*, ac *Carolo Boiſoto* impellentibus, honorem ſibi delatum acceptare ſtatuit.	p. 20. n. XLI. p. 141. (4) 142. 143. & ſeqq.
	[Interim ab *Ingolſtadienſi* conditione ut liberaretur, non ſuis tantum, ſed & Reginæ *Mariæ* ad Duces *Bavariæ* literis excuſationis opus fuit.] No-	p. 20. n. XLII. & p. 146. (1) p. 150. (2).

1542	.. April	Novam functionem Consiliarii Consilii Privati aggreditur.	p. 20. n. XLII.
	.. Dec.	Mittitur a Regina *Maria* legatus ad Romanorum Regem *Ferdinandum* in Comitiis *Norembergensibus* contra Ducem *Cliviæ*, qui per *Martinum Rossemium* magnum *Belgio* terrorem incusserat.	p. 20. n. XLIII. & p. 152. (2) 153. (3).
		Inde reversus mittitur ad congressum *Lovanii* habitum pro induciis cum Duce *Clivensi* sanciendis.	p. 21. n. XLV.
1543	2. Jan.	Conventionem init cum Duce *Clivensi*. [a Cæsare dein confirmatam *Leodii* 7. Jan. 1544.]	p. 24. n. XLVIII. & p. 160.
	.. Jan.	Iterum *Nurimbergam* ad Comitia mittitur cum Barone de *Crikingen*, inde	p. 22. n. XLVI. & p. 156. (1).
		Spiram proficiscitur, ubi efficit, ut Cameræ Imperialis decretæ citationes contra Cæsarei exercitus ductores, qui Juliacensem agrum vastarant, suspendantur.	p. 22. n. XLVI.
		Nurembergam reversus ad Comitia, *Justificationem* contra Ducem *Clivensem* recitat.	p. 23.
		Et octo dierum spatio componit & evulgat *Confutationem* libelli, quo *Clivenses* Juris Cæsarei *Assertionem* oppugnarant.	p. 157. (4).

	Conventione ſupra inita & per Ducem *Clivenſem* infractâ, alium edit libellum, poſt quem, & poſt expugnatam a Cæſare *Duram*, Ducatus *Geldriæ*, Comitatuſque *Zutphaniæ* Cæſari ceſſere.	p. 23.
	E *Germania* redux, legationumque pertœſus poſtulat locum in Supremo Senatu *Mechliniæ* ſedente, ubi, mediâ, quod ajunt, *nominatione*, vacantem locum per obitum *Andreæ a Robais* conſequitur,	p. 23. n. XLVII. p. 157. (1).
21. Maji	tabuliſque commiſſionis acceptis,	Ibid.
.. Junii	*Mechliniam* migravit.	p. 157. (2)
	Parentem ſenem in *Friſia* inviſit.	p. 23. n. XLVII.
10. Octobr.	Cancellariatum *Gelriæ* ſibi oblatum reſpuit.	Tom. 2. part. 1. p. 309.
ſub hyemem.	A Cæſare in *Belgium* reverſo evocatur *Bruxellas*. Donatur penſione 300. flor. ob obſequia *Nurembergæ* præſtita. Jubetur manere in Curia, & cum honorario Conſilii Privati, etiam ſtipendia Magni Conſilii conſervat.	p. 23. 24. n. XLVII.
	Ducit uxorem, *Granvellano* faciente, *Jacquelinam Damant*.	p. 24. n. XLVIII. p. 158.

Cum

1544	. . Jan.	Cum Cæſare *Spiram* abit: ubi ipſe, paterque *Folcardus* multis a *Carolo* privilegiis ornantur, attributo illi primo in Senatu *Friſiæ* loco poſt præſidem, ſi quando ibi morari conſtitueret.	p. 24.
		A Nuntio Apoſtolico Comes *Palatinus* creatur.	Ibid.
		Accitur in Conſilium Imperatoris.	Ibid.
	23. Maji	Pacem ibi Danicam concludit.	Ibid. & p. 159. (5)
		Cæſare in *Galliam* cum exercitu eunte, ipſe tertiam legationem obit; ad firmandam pacem *Danicam Bremam* miſſus; ubi confectis negotiis,	p. 24. n. XLIX.
		Friſiam adit. Ex qua revertens decumbit aliquot hebdomadibus *Ultrajecti*. Tandem *Mechliniam* delatus, Reginæ ſuggerit quæ ſibi agenda videntur.	Ibid.
	23. Dec.	Cæſare a *Gallica* expeditione reverſo, paceque cum Rege *Franciſco* factâ, indictiſque ad pacificandam *Germaniam Wormatiæ* Comitiis, ipſe præmittitur pro negotio ſpinoſo, nempe ad Circulum *Burgundicum* ab Imperii legibus eximendum.	p. 25. n. L. p. 160.
1545		In Comitiis *Wormatienſibus* Reginæ *Mariæ* cauſam agit pro dote	

		dote *Hungarica* contra *Ferdinandum* Regem, ipſo Rege ac Cæſare annuentibus.	p. 25. n. L.
		Quartam legationem obit apud Ducem *Bavariæ*, cui nomine Cæſaris communicat conſilium de ſumendis armis contra *Proteſtantes*, impetratque, ut ad voluntatem *Caroli* paratus ſit.	p. 25. n. LI.
		Quintam legationem exercet apud conventum *Brugis* indictum ſuper Gallorum, Anglorumque controverſiis.	p. 25. n. LII.
	..Decembr.	Cæſarem *Ultrajectum* proficiſcentem ſequi jubetur.	Ibid. & Pont. Heut. lib.
1546		Ad Comitia *Ratisbonenſia* a Cæſare indicta præmittitur. *Albertum* Cardinalem *Brandenburgicum* & Archiepiſcopum *Moguntinum* graviter decumbentem *Caroli* nomine de via ſalutat.	12. c. 3. p. 25. n. LII.
	ſub fin. anni.	[*Proteſtantibus* Cæſarem haud ſatis paratum, apud *Ingolſtadium* fruſtra aggreſſis, dimiſſoque eorum exercitu, multi principes, civitateſque Imperii culpam deprecantes, *Carolo* ſe ſub conditionibus a VIGLIO conceptis dediderunt.]	p. 26. n. LIII.
		Carolo Boiſoto vita functo ſuccedit ex Cæſaris delectu in officium Theſaurarii ſeu Cuſtodis Archi-	

		Archivi, quod in arce *Rupelmundana* asservatur.	p. 26. n. LIV.
1547	Jan.	Sextam implet legationem cum Comite *Hochstratano Coloniam* pro depositione Electoris Archiepiscopi *Hermanni de Weda.*	p. 15. n. XXIII. p. 26. n. LV. p. 163. n. LV. (1).
		[Cùm Cæsar idem constituisset facere de Episcopo *Monasteriensi Francisco a Waldeck* VIGLIUS apud *Granvellanum*, ne fieret institit, & ad Cæsarem adductus, provinciam deprecatus est, edicens: malle se Majestatis suæ servitium deserere, quàm adversus illum, cujus panem comederat, quidquam attentare. Addens non esse eamdem causam *Monasteriensis* Principis, quæ fuerat *Colonienſis* &c. Qua oratione permotus Cæsar ab incœpto destitit.]	p. 15. n. XXXII.
	9. Julii	Altera vice recusat officium Vice-Cancellariatus vacans post mortem *Joannis Navii.*	p. 191. in fin. Tom. 2. part. 1. p. 336.
		Colonia redux a Regina *Maria* mittitur ad adeundam pro ingenti pecuniæ summa possessionem aliquarum urbium in *Westphalia.*	p. 27.
		Absoluta legatione domum reversus in aula Reginæ *Mariæ* hæsit.	Tom. 2. part. 1. p. 335.
		A Cæsare post *Saxonicam* victoriam	

		ctoriam evocatur *Auguſtam* ad Comitia Kal. Sept. celebranda.	p. 27.
		Imperiali ibi Conſilio cum *Maximilianus ab Auſtria* (poſtea Imp. ejus nominis II.) præfectus eſſet, ipſe illi adjungitur, ut eum in agendis inſtrueret.	p. 27. n. LVII.
		Ibi tabulas nuptiales conſcribit inter *Maximilianum* prædictum ac *Mariam Caroli* V. filiam.	Ibid.
1548	. . Julii	Comitiſſam *Rithergenſem* Cæſaris feudatariam efficit. Cum Archiepiſcopo *Trevirenſi* concordiam init ſuper *Luxemburgenſi* controverſia. *Inferiorem Germaniam* a jure Imperii liberam reddit.	Ibid. & Tom. 2. part. 1. p. 341.
		Ordinibus Imperii Cæſari permittentibus delectum novorum Aſſeſſorum ad Judicii Cameræ Imperialis inſtaurationem, id illi negotii datur a Cæſare. Tredecim Aſſeſſores eo mittit Cæſaris nomine.	Tom. 2. part. 1. p. 342.
1549	7. Jan.	Adit munus ac dignitatem Præſidis Conſilii Privati *Bruxellis*, a Cæſare ſibi nihil tale cogitanti collatum poſt obitum *Ludovici a Schora* 25. Decembr. 1548. hoc ſeculo defuncti.	p. 28. n. LVIII. & p. 164.
		Fit quoque Sigillorum cuſtos.	p. 165. (3).
		Equeſtri a Cæſare honore inſignitur. *Phi-*	p. 28. n. LVIII.

	.. April.	*Philippo* Cæſaris filio unico in *Belgium* advenienti adjungitur, ut de ſtatu Provinciarum eum inſtrueret, ac Cancellarii apud eum vices impleret.	Ibid.
	.. Aug.	Cum eodem mittitur per Provincias *Belgicas*, ut conſueta inaugurationis ei ſacramenta dicerentur.	Ibid.
	..Novem.	Pragmaticam *Caroli* V. Sanctionem pro unione ac ſucceſſione indiviſibili ditionum *Belgicarum* & Comitatus Burgundiæ dirigit, eique ſubſignat nomine, titulisque ſuis.	Ibid. & p. 165. (4)
		Cæſari auctor eſt Conſtitutionis ſeu Edicti adverſus fœneratores, qui *Lombardi* vocabantur.	p. 28. n. LIX.
1550		Edictum de Religione ab Cæſare publicatum multum ipſe mitigat.	p. 29. n. LXI. p. 165. & Tom. 2. part. 1. p. 349.
	14. Junii	Mortuo *Vincentio Cornelii* a *Myerop*, a Regina conſequitur officium Magiſtri Regiſtrorum in Hollandia, reſignatque officium Cuſtodis Archivi *Rupelmundani* Mgro *Hermeti a Winghene*.	p. 29. n. LXII.
	ſub fin.	Tractatum pacis inter Reginam *Mariam* & Reginam Regnumque *Scotiæ* conſcribit ſub ratificatione Cæſaris.	Ibid. n. LXIII.

1551	*Maria* Regina in Germaniam evocatâ, administratio Provinciarum *Belgicarum* illi cum nonnullis aliis Consiliariis committitur.	Ibid.
	[Lantgravio *Hassiæ Mechliniæ* captivo, & vix non fugâ elapso, a Cæsare injunctum fuit ne litteras ille aut mittere aut accipere posset nisi a VIGLIO visas.]	Ibid. n. LXIV.
1552	In executione pacis *Passaviensis* multum laboris insumit.	p. 30. in init.
	Moritur uxor ejus *Jaquelina Damant.*	Ibid. n. LXV. & p. 168.
1553	Ab Regina *Eleonora* vidua *Franciæ* Consiliarius, ac rerum suarum patrimonialium curator cum honorario eligitur.	p. 30. n. LXV.
	Constituitur a Cæsare Præses Consilii Status in locum demortui *Joannis a S. Mauritio.*	Ibid. n. LXVI.
	Fratrem *Serapionem* promovet ad officium *Grietmanni* in *Wimbritzeradeel.*	Tom. 4. Epist. ined. p. 544.
1554	Conscribit Tractatum antenuptialem pro *Philippo Hispaniarum* Principe ac *Maria* Regina *Angliæ.*	p. 30. n. LXVII.
1555	Cum legatis Cæsaris ac Regis *Galliæ*, nec non cum *Anglis* me-	

		mediatoribus prope *Caleſium* de pace fruſtra agit.	
		Cæſare ſe Regnis, Provinciiſque abdicare conſtituente, & ipſe ſtatuit ſe Reip. ſubducere, & Præſidis officium deponere: ſed a Cæſare, Reginaque prohibetur.	p. 31.
1556		Fit Coadjutor *Lucæ Munich* Abbatis S. *Bavonis Gandavi*, Rege *Philippo* aſſenſum præbente; ut in ſuo deinceps & in *Belgicarum* Provinciarum obſequio ſub novo Gubernatore *Emmanuele Philiberto* Duce *Sabaudiæ* permaneat.	p. 31. 32. 169.
		A *Philippo* Rege in Conſilium Status Belgici cum ſtipendio adhibetur.	p. 32. 169.
		Regina *Maria*, *Belgii* hactenus adminiſtra in *Hiſpaniam* cum Cæſare abeunte, accipit ab eadem penſionem annuam 200 florenorum cum ejus ſigilli cuſtodia, & cum adminiſtratione bonorum ejus.	p. 32. n. LXVIII.
1557	..Aug.	Poſt prælium *Gravelingenſe* *Philippum* Regem ad obſidionem fani *S. Quintini* proficiſcentem comitatur, & poſt victoriam ibi obtentam, *Bruxellas* remittitur pro ſubſidio aliquo durabili a Statibus obtinendo.	p. 32. n. LXIX.

1558	.. Aug.	Ad tractatum pacis cum *Gallis* in oppido *Insulensi*, & dein in Monasterio *Charicampi* habendum missus,	Ibid.
	... Sept.	*Atrebati* morbo corripitur	Ibid.
	.. Nov.	Et vix semivivus *Bruxellas* reducitur; a quo tempore numquam recte valet.	Ibid.
1559		Ægrotantem Rex per medicos ac familiares suos sæpe invisit, &	p. 33. n. LXX.
		Bibliothecarii ei officium confert.	Ibid.
		Recuperatis paululum viribus, Regem *Gandavum* euntem sequitur.	Ibid.
	.. Aug.	.Et ibi Regi valedicit, ac *Aquisgranum* proficiscitur cum *Nicolao Biesio* primario Medicinæ professore apud *Lovanium*, ex cujus consilio calidis ibi per sex hebdomadas aquis utitur, ubi non modicum levamen sentit.	Ibid. & p. 170.
		Bruxellas reversus a *Margareta Parmensi* nova *Belgii* Gubernatrice admodum benigne excipitur.	p. 33. n. LXX.
		[Cui Rex commiserat declarandum: ut quemadmodum summa fide ac industria Cæsari ac sibi, nec non Reginæ, ac Duci	Ibid.

		Duci *Sabaudiæ* prædeceſſori ſuo operam conſiliumque præbuiſſet, ſperare ſe, ut eâdem uſa & ipſa, magnum in felici gubernatione adjumentum ſentiret.]	
		Reliquum hujus anni tempus quietum cum eſſet, leviores corporis cruciatus patitur, tametſi numquam ſatis recte valens.	Ibid.
1560	ſub Kal. Januar.	*Jetziam Hoytema* ſuam ex ſorore neptem ac viduam *Franconis a Monte* Conſiliarii in Senatu *Hollandiæ*, elocat *Jacobo Heſſelio* Regio *Gandavi* Conſiliario celebri:	p. 33. n. LXXI. & p. 170. 171. 172.
		Et *Idam* fratris *Gerbrandi* filiam, *Feiconi à Fritema* Quæſtori *Groningenſi*.	p. 33. n. LXXI. & p. 172. (2).
	..Maji.	Cum *Maximiliano Morillonio* Præpoſito *Arienſi* in *Arteſia*, Epiſcopo poſtea *Tornacenſi* proficiſcitur ad thermas *Emiſanas* non longe a *Confluentia*, ubi multi vicini Principes, ipſeque Elector *Colonienſis* ac *Trevirenſis*, Lantgraviuſque *Haſſiæ* (idem qui ſub ejus fuit cuſtodia *Mechliniæ*) multique Comites ſalutatum eum mittunt.	p. 34. in init.
		Abbatem S. *Bavonis* inviſit, ab eoque honorifice deducitur.	Ibid.
1561		*Friſiam* patriam (a qua pene ſeptemdecim annis abfuerat) conſanguineosque ſuos, *Morillonio*,	p. 34. n. LXXII.

lonio, *Heſſelioque* ſociis inviſit: ubi tot viſitatores ſalutatoreſque habuit, ut propemodum gaviſus fuerit, ſe Duciſſæ literis in *Brabantiam* revocari.

Ibi nuptias *Igrami ab Accbelen* Conſiliarii in *Friſia*, dein *Bruxellis* in Secreto Conſilio, ac tandem Supremi Senatus *Mechliniæ* ſedentis Præſidis, cum *Mintzia* ſive *Clementia Hoytema* nepte ſua ex ſorore, ſolemniter celebrat. Negotia familiæ plurima componit. Ibid. & p. 173.

Haud ſatis æquo animo fert, novos Epiſcopatus, quorum inſtituendorum progreſſus *Franciſcus Sonnius* urgebat, ex Abbatiarum quarumdam bonis dotandos eſſe. p. 34. n. LXXIII. p. 174.

Cardinali *Granvellano* adhærens, invidiæ ac calumniæ expoſitus, Principem *Auraicenſem Egmondanum*, aliosque proceres ad concordiam hortatur tum publice, tum privatim. p. 35. n. LXXV.

Cum nihil proficeret, factionum pertæſus, & valetudinem integram recuperare deſperans, miſſionem a Rege petit: a quo lactatur ſpe adventus ſui in *Belgium*, jubeturque manere in obſequio cum donario 2000 flor. & cum penſione quadringentorum quinquaginta florenorum annuorum. p. 36. in init.

De-

1562	18. Jan.	Defuncto *Luca Munich* Abbate S. *Bavonis*, a quo & hæres ſcriptus fuit; mutata Abbatia in Præpoſituram, hujusque poſſeſſione per procuratorem adita,	p. 37. n. LXXIX. p. 179. 13. p. 181.
	3. Febr.	Solemnem ingreſſum *Gandavi* facit.	Sand. Fland. tom. 1.
	.. Maji.	In Conſilio Status, advocatis in illud Equitibus Ordinis aurei velleris, orationem habet de tutela Reip. concuſſæ; de qua *Margareta Parmenſis* dixit: in tota vita nihil ſe melius, facundius ac convenientius audiviſſe.	p. 305. p. 36. n. LXXVII.
	.. Junii.	Propoſitionem apud Congregationem Statuum facit de proviſione aliqua rei pecuniariæ.	Ibid.
		Philippo Nigri vita functo, fit Cancellarius Ordinis aurei Velleris, nominantibus Equitibus, eligente ac confirmante Rege, & Comite *Egmondano* poſſeſſionem tribuente.	p. 37. n. LXXX.
		Ob id ipſum a Cæſare *Ferdinando*, Equitum ſeniore, literis gratulatoriis honoratur.	Ibid.
	.. Octobr.	Sacerdos ordinatus per Cardinalem *Granvellanum*, primam miſſam celebrat, & dein benedictionem Abbatialem ab eodem conſequitur, uſus in poſterum mitrâ & baculo.	p. 37. n. LXXIX. & p. 181. (3).

1563	.. Dec.	In Conventu Statuum Generalium totius *Belgii*, propositionem Regiam facit.	p. 38. n. LXXXII.
1564 *Pont. Heut. hæc ad an.* 1565	13. Mart.	Cardinale *Granvellano* e *Belgio* discedente (quem discessum non potest non consulere ob temporum pericula) doluit rerum perturbationem mox subsecutam, venales factas beneficiorum, officiorumque provisiones, gratiarumque concessiones, *Lotterias* introductas, lucra privatorum iniqua &c. quibus ille frustra refragatur.	Ibid. n. LXXXIII. LXXXIV.
	29. Aug.	Adest solemni nepotis sui *Buchonis a Montzyma* receptioni in Sac. Theologiæ Doctorem *Lovanii*.	p. 39. n. LXXXVI. & p. 182. 183. 184.
		S. Carolus Borromeus Cardinalis & Archiepiscopus *Mediolanensis*, mandato Pii IV. Pontificis, proprioque ejus motu transmittit illi diploma pileumque *Protonotariatus* Apostolici.	p. 184. (5).
		Improbat, *Margaretam* Gubernatricem majores causas, quæ in Secreto Consilio discuti solebant, ad Consilium Status rejecisse ad Principis *Auraicensis*, aliorumque ejusdem factionis postulationem.	p. 39. n. LXXXV.
Dubium quo anno.		Sub Paschalibus festis *Gandavum* abit, & ipso festo Paschatis Officium Divinum in Ecclesia S. Ba-	Ibid. Sand. Flandr.

S. Bavonis solemniter celebrat cum mitra. tom. 1. p. 305.

In festis Pentecostalibus ne idem faceret, a Ducissa prohibetur. Ibid.

Subditur illi ulcus pedis. Ibid.

Multum negotii habet in redarguendis factiosis, qui refragabantur Jurisdictioni Ecclesiasticæ, & clericorum vitam ac mores carpebant. p. 40. n. LXXXVII.

Et ulterius progredientes, Consilium Secretum ac Financiarum abolenda censentes, omnia negotia in procerum Consilii Status potestatem venire cupiebant. Ibid.

Unde ipse invisus illis, declarat se, jam presbyterum, cui non convenit seculari Consilio præsidere, missionem a Rege petiisse, & ob ætatem, valetudinemque hanc ei gratam futuram. Ibid.

Comite *Egmondano* ex Consilii Status decreto in *Hispaniam* ad Regem profecturo, jubetur *Instructionem* conscribere. p. 41. n. LXXXVIII.

Quam dum in Consilio profert, Princeps *Auraicensis* longam vehementemque orationem habet: Ibid.

1565	Sub. Kal. Jan.	Qua ipſe commotus, noctemque inſomnem ducens, mane de lecto ſurgens, inter veſtiendum apoplexiâ tangitur; quare	p. 42. n. LXXXIX.
		Iterum à Rege miſſionem petit, rogans Comitem *Egmondanum* ut hanc ejus petitionem promoveat.	Ibid.
		Cornelium Janſenium ad novum Epiſcopatum *Gandavenſem* a Rege nominatum (cui bona Præpoſituræ *S. Bavonis* poſt mortem ſuam ceſſura eſſent) benigne ſincereque complectitur.	p. 42. n. XC.
	30. Nov.	Feſto *S. Andreæ*, in nuptiis *Alexandri Parmenſis* cum *Maria Portugalliæ* Principe, coram Conventu Ordinis Aurei Velleris, tamquam ejusdem Cancellarius, orationem habuit de Catholica Religione ſervanda:	p. 44. in init.
		Reſiſtente ſibi Feciali Ordinis.	Ibid.
		Supervenientibus Regiis litteris, quibus mandabatur ut Edicta de Religione executioni mandarentur, ipſe interceſſit: ſuadens, ut eæ litteræ eò uſque differrentur donec Rex certior fieret, quam in partem ejus juſſa accipiebantur in Belgio, offerens periculum in ſe recipere. Sed cum nihil proficeret, expeditæ fuerunt litteræ.	p. 45. in init.

Iiſ-

		Iisdem litteris ab officio Præsidis Secreti Consilii se liberandum intelligit, designato sibi successore *Carolo Tysnacquio*,	Ibid. n. XCIV.
		Relicta illi tamen dignitate Consiliarii Status.	Ibid.
1566	5 April.	Cùm famosa Confœderatorum Nobilium supplicatio *Margaretæ* offertur, calumniis ipse impetitur, pasquillisque ac famosis libellis proscinditur.	p. 46. n. XCVII. & p. 47. n. XCVIII.
	.. Aug. .. Sept.	Templa, monasteriaque expilantur.	p. 47.
		Margaretæ ob turbas commotæ, & profusis lachrymis ejus consilium postulanti, suadet, ut proceres, & Provinciarum Gubernatores ad novum Regi juramentum fidelitatis dicendum adigat.	p. 47. in fin.
		Cum omnes fere ita rebus desperarent, ut *Bruxellam* relinquendam, atque ad *Montes Hannoniæ* secedendum Duciſſæ suaderent, ipse solus reclamat,	p. 48. n. XCIX.
		Et discedere dein paratam, ac itineri accinctam, eumque invitum unà secum pertrahere conantem impedit, cohibetque.	Ibid.
		Tota hac æstate odiosissimis hisce negotiis implicitus, minis, conviciis, periculisque fran-	p. 48. n. C.

		gi se non patitur, sed contra audentior in tuitione rectæ Religionis, Regiæque authoritatis procedit.	
		Deputatus a *Margareta* cum Comite *Egmondano*, ut cum Confœderatorum Commissariis super concordia ageret, libere ipsis ostendit, quantum ea quæ egerant, fidelium Vasallorum officio non responderent, & quam ea aliquando in crimen læsæ Majestatis raperentur;	Ibid.
		Proinde hortatur ut a cœptis desistant. Illi verò non paruisse se recte monenti, postea sæpe conquesti sunt.	p. 49. in init.
		Magna illi cum immineren pericula domi ac foris, ac necem illi intentatam fuisse Ducissa intellexisset, per suos satellites eum ex Curia salvum duci jubet. Ipse in Deum fiduciam collocans, nihil ejusmodi minas facit.	Ibid.
1567	16. Feb.	Dictat *Margaretæ* epistolam ad *Brederodium*, quæ statim edita fuit.	p. 50. in init.
		Dolet se suadente, Cancellarium Brabantiæ *Joannem Scheyfve*, & D. *de Merode* ab sedandas turbas *Busium Ducis* missos, ubi de capite periclitati sunt.	p. 51. n. CVI.

Dux

	Aug.	Dux *Albanus* in Belgium advenit.	p. 52. in init.
		Qui illum multis persuasionibus frustra conatur inducere, ut *Consilio turbarum* intereſſet.	Ibid. n. cx.
		Proponit nihilominus aliquot primarios Præſides & Conſiliarios, qui huic cognitioni apti videntur. Queritur authoritatem pene omnem ad unum Hiſpanum Licentiatum *Ioannem Vargam* pertinere.	Ibid.
1569	28. Jan.	*Carolus Tyſſenacqueus* in *Belgium* ex *Hiſpania* adveniens, ſuccedit illi in officio præſidis Conſilii Secreti;	p. 52. n. cxi. & Tom. I. part. 2. p. 499.
		Ipſo permanente præſide Conſilii Status, cum titulo ac ſtipendio Conſiliarii in Secreto Conſilio, quæ duo, quòd Rex ad ſe honorifice ſcripſiſſet, acceptat.	Ibid. utrobique.
	19. Octobr.	Collegium (a ſuo nomine dictum) erigit & inſtituit *Lovanii*, accepto ad id a Rege ſubſidio duodecim millè florenorum.	p. 52. n. cxii. p. 190. n. cxiv. (1) (2) Tom. I. part. 2. p. 545. Comment Rer. actar. a. n. xli.
		Albano exigenti novam impoſitionem *Decimi, Vigeſimi & Centeſimi* Denarii	
1571	... Jan. 25. Sept.	Opponit ſe fortiter & imperterritus, quantumvis *Albanus* vi-	

ſus

		ſus ſit gravius aliquid in eum attentaturus.	Tom. I. part. 2. p. 609.
1572	11. April.	Scribit in *Hiſpaniam* ad *Joachimum Hopperum*, quod *quindecim mille* Cauſæ indeciſæ pendeant in *Conſilio turbarum*, *trecentis*, vel importunitate partium, vel favore (his proximis annis) expeditis.	Tom. I. part. 2. p. 677.
	9. Maji	Conqueritur ſe de fideli conſilio lapidari in *Hiſpania.*	Tom. I. part. 2. p. 681.
	... Junii	*Dux Medinæ-Cœli* in *Belgium* appulit, ſed non tradito ſibi ab *Albano* regimine	p. 53. n. CXIII.
	... Sept.	In *Hiſpaniam* revertitur.	Ibid.
1573	17. April.	Mortuo *Carolo Tyſenachio* Præſide Secreti Conſilii,	Tom. I. part. 2. p. 739.
	8. Maji.	Cuſtodiam Sigillorum Regiorum ad ſe recipit, ne implacabilem *Albani* animum offendat,	Ibid. p. 740.
		Quamvis multo jam tempore ſe domi contineat, nec ulla ſpes ſibi ſit reliqua, ut aut convaleſcat, aut ad res tractandas utilis, idoneusque fiat.	Ibid. p. 739.
	... Junii.	Poſt quadrimeſtre tempus, quod cubiculo ſellæque affixus fuit, *Lovanium* defertur ubi Collegium ſuum viſitat, Rationes excipit &c.	Ibid. p. 749.

In

	... Aug.	In *Flandria* hæret, cùm propter Eccleſiæ ſuæ negotia tum valetudinis curandæ cauſâ.	Ibid. p. 754.
		Obtinet hoc anno conſenſum Regium, ut *Bucho Aytta* ejus nepos, Coadjutor ejus eſſet cum futura ſucceſſione in Præpoſitura *S. Bavonis Gandavi.*	Ibid. p. 759. & p. 655.
	20. Sept.	Dux *Albanus* ſerio revocatus in Hiſpaniam cum eſſet, judicat præſtitiſſe, ut ante triennium diſceſſiſſet.	Ibid. p. 764.
	... Nov.	Ludovicus Requeſenius novus Gubernator	pag. 53.
	29. Nov.	Ad Gubernationem Provinciarum admittitur.	Ibid.
	Novembr.	*Takonem a Montzima* ſuum e ſorore nepotem, a *Geuſiis* captivum abductum (poſtea Conſiliarium in Curia *Ultrajectina*) florenis bis mille quadringentis redimit.	Ibid. p. 772. & p. 363.
	18. Dec.	*Albanus* in *Hiſpaniam* abit.	Ibid. p. 785.
1574	11. Junii.	Suſpicans *Albanum* jam in *Hiſpania* exiſtentem, non bono erga ſe animo eſſe, rogat ne inauditus condemnetur.	Ibid. p. 809.
	... Sept.	Cum Status *Brabantiæ* ac *Flandriæ* eò tenderent, ut acta Ducis *Albani* reſcinderentur, optavit ne inde Regis auctoritas pateretur.	Ibid. p. 823.

	7. Nov.	Scribit in *Hiſpaniam*, ſe ad vitæ exitum properare, nec potuiſſe hactenus, quæ tota vita obſervatu digna ſibi occurrerant, in ordinem redigere. Deplorat ſervatum in hæc tempora, in quibus Reip. ruina prope eſt. De pacificatione nihil ſolidæ ſpei eſſe: ſeque timere, ne Rex ipſe labenti Reip. ſubvenire valeat.	Ibid. p. 830.
1575	13. April.	Poſt obitum Commendatoris *Requeſenii* (5 Martii) cum res eſſent opinione quietiores, & Rex de ſucceſſore ſtatueret, ac interim adminiſtratio *eigii* Conſilio Status tributa eſſet, conſilium ſuum prolixe in *Hiſpaniam* perſcribit, deſiderans a Præſidatu Status abſolvi.	Ibid. p. 864. 865. Tom. 2. part. 1. p. 408.
1576	20. Martii.	Fundat *Gerontocomium* in pago de *Zuichem*.	Tom. 1. part. 1. p. 278.
	14. Sept.	In vincula rapitur cum Conſilio Status.	Ibid. p. 192.
1577	14. Martii.	Condit teſtamentum.	Ibid. p. 197.
	8. Maji.	Moritur *Bruxellis*, tumulatur *Gandavi*.	

VITA

VIGLII AB AYTTA

ZUICHEMI,

Ab ipso Viglio scripta sive dictata juxta quod in Præfatione nostra explicuimus.

PLERIQUE SUAM IPSI VITAM NARRARE, FIDUCIAM POTIUS MORUM, QUAM ARROGANTIAM ARBITRATI SUNT. *Tacit. in Vita Jul. Agricol. ſub. init.*

VITA VIGLII AB AYTTA ZUICHEMI,

Ab ipso Viglio scripta.

I. HErricus sive *Fridericus Folcardi Aytta* filius, vir cum primis locuples ac honoratus, habitabat in prædio suo sito in pago *Werdehuysum* (1) quod *Aytta* vocant, a quo & cognomen posteri ejus in hunc usque diem retinent. Verùm *Schiringorum Vetroperorumque* (2) (uti tunc duæ pestilentissimæ factiones vocabantur) quotidianas rixas, contentiones & injurias evitare cupiens, migravit in aliud prædium suum *Hemrichem* (3) dictum, in pago *Werragae* situm, quod id castello fossâque communitum securiorem & adversus malevolorum insidias habitationem præberet; ibidemque cum conjuge *Sydsia* diem clausit extremum.

II. *Ferricus* autem obiit anno 1460. Filios reliquit tres, Magistrum *Bochonem* (1) cùm doctum, tùm imprimis venerandum Sacerdotem, *Gerbrandum* sive *Gerbodum*, & *Rintzium Aytta* filios, filiam quoque unicam, nomine *Sionck*, nuptam *Jarricho* in *Metslawier*. Ex quo, in primis nuptiis habuit *Bivium Jarrichi*, & *Sydsiam*, *Hayoni Albadæ* nuptam. *Bivius Jarrichum* reliquit; ex quo nata *Sionck* Monialis, & *Jell* uxor *Hess*..... *Abbinga* in Husum, ex quo ..... *Goffo Douwema & Dauw*...

III. In secundo autem matrimonio..... uxorem Nobilis Viri *Renici Albadæ*, ex quâ unica dumtaxat filia extitit, nupta in primo matrimonio *Hesselo* à *Joughema* patri *Renici* & *Kemponis*, quæ postea alteri *Othoni*..... *Petri*, quæ ex eo suscepit *Annam*, nupta antea *Douwe Douwema* in *Jensum* & *Tekoni Glins*, multamque prolem edidit, quæ in *Donyanam*, *Douwamanamque*, & in multas alias cognationes sese diffudit.

IV. *Rintzius* filius *Ferrici* multas quidem habuit proles ex *Swop Heringa*, ac inter cæteros *Banium* ac *Hayonem Blynxſtra*, verùm ex eis nullus legitimus hæres ſuperſtes extitit, præterquam ex filia *Sydſiâ*, quæ duplex matrimonium experta fuit: primum *Ferckonis Hettema*, ex qua unicum habuit filium *Hettonem*, qui conjunctus fuit matrimonio cum *Hackia* filia *Tjerckii Rorda* & *Iodocæ*: ex quo inter cæteras proles progenuit *Barbaram* nuptam ex diſpenſatione Apoſtolicâ cognato ſuo *Serapioni* filio *Folcardi Ayttæ*. Alter ejus maritus fuit *Ono Wiarda* ex qua nullam habuit prolem.

V. *Gerbodus* autem tertius filius *Ferrici*, *Rintzio* ſenior, cui obtigit in diviſione villa *Idſinga*, in pago..... cum aliis nonnullis poſſeſſiunculis ibidem in..... ac *Werdebuyſum*, duxit *Jetſiam* filiam *Viti Bukama* fratris *Renardi* Paſtoris in *Zwichem* (1) viri cumprimis docti & honorati, commigravitque in poſſeſſionem dotalem, ibique ædes ædificavit pro eo ſeculo ſatis elegantes, quas poſtea *Viglius* nepos in avi memoriam ampliavit exornavitque, ac cùm *Ayttana* familia, unde ipſe deſcenderat, pleraque illic bona poſſediſſet relicta Eccleſiæ *Zwichemenſi*, inter primarios ejus pagi incolas ſemper habitus fuit.

VI. Genuit autem ex *Jetſia* conjuge ſua quatuor filios, qui ad virilem ætatem pervenerunt; præter alios in infantia mortuos; videlicet *M. Buchonem* (1) Conſiliarium primùm *Alberti* & *Georgii* Ducum Saxoniæ, ac deinde Cæſaris *Caroli* Quinti, Decanum poſtea Capellæ D. Virginis in arce Hagenſi, qui omnium Friſiorum ſuâ ætate doctiſſimus habebatur; *M. Ferricum* Præbendarium in *Wirdum* (2) ibique ſepultum: item *Vitum* defunctum ante ductam uxorem, & *Folcardum* patrem *Viglii* & fratrum ſororumque ejuſdem.

VII. Sex itidem filias idem reliquit; ex quibus, etſi omnes in matrimonium elocatæ fuerint, * quarum tamen earum ex ſe proles tantum reliquêre, quæ in numeroſam cognationem diſperſæ ſunt, videlicet *Mintzia* (1) nupta *Dotbiæ Wiardæ* fratri *Ononis* ſupradicti. *Ferrica* nupta in primo matrimonio *Sacæ Sipkonis*, & in ſecundo *Sydziæ Athonis*. *Swop* uxor *Wibæ Hillonis*, & *Sydts* uxor *Renici Siffridi*, alias *Renick Sbiourss*. Ex *Auck* autem & *Saep* nulli liberi extitêre. *Jetſia* autem ſingulari prudentiâ prædita mulier, quadraginta quatuor annos marito ſuperſtes, liberos in timore Dei diligentiſſimè

* *Lege:* quatuor.

mè educavit; ex quibus duos, *Buchonem* & *Ferricum* magnis ſumptibus in Scholis ac præſertim in Academia Lovanienſi in Artibus ac utriuſque Juris ſtudio inſtitui curavit, filiaſque honeſtè dotatas elocavit, obiitque anno 1528. ſecundâ Maii.

VIII. *Folcardum* (1) autem, minorem omnium natu, pater *Gerbrandus* moriens reliquit vix quatuor natum menſibus, circa feſtum *Matthæi*, anno 1484. Is verò nondum viginti natus annos, procurante adjuvanteque fratre *Buchone*, impetravit, ut cùm Regulares Canonici in *Bergum* haberent non longè a *Zwichem* villam quamdam valdè locupletem in vicino pago *Wirdum*, dictam vulgo *Barrabuys*, novi Monaſterii fundamenta ibi jacere inceperunt, quæ ob iniquitatem temporum bellorumque calamitatem perficere non poterant, eam *Folcardo* inhabitandam mediocri penſione concederent; qui deinde uxorem duxit anno 1503. menſe Junio *Jdam*, *Viglii Hannyæ* ex *Weydum* filiam, quæ cum matre *Rintzia* de *Bomminga* viduâ ejuſdem *Viglii Hannyæ* jam diu antea, hoc eſt, anno 1496. defuncti, habitans, ejuſdem ſolitudinem ſolabatur, cæteris fratribus ſororibusque jampridem elocatis. Erat autem ea, ob formam modeſtiamque, expetita a multis; ſed amor pietaſque erga matrem ſenio confectam, quam deſerere nolebat, ab matrimonio alieniorem reddidit, donec jam viginti-ſeptimum ætatis annum agens, ſollicitatione *M. Buchonis* apud ejuſdem matrem *Rintziam a Bomminga*, fratreſque *Broer* & *Tetardum Hannya*, qui *Buchoni* cohabitabat, in *Folcardi* nuptias conſenſit. Cujus avus paternus *Serapio Hannya* aviaque *Ecka ab Camſtra*, maternusque avus *Broer* a *Bomminga* ac avia *Tzedtzia* a *Renarda* præcipuis Friſiæ Nobilibus ſanguine cognationeque atque affinitate jungebantur.

IX. *Folcardus* autem atque *Ida* (1) quinque in *Barrabuys* liberos procrearunt; *Gerbrandum* videlicet primogenitum, qui anno 1513. XIII. Septembris in *Zwichem* apud aviam *Jetziam* mortuus fuit, VIGLIUM, *Rintzium*, *Serapionem* ac *Rintziam*. Poſtea vero circa (2) annum 1515. bello Geldrico incrudeſcente, cùm ædibus in *Barrabuys* incendio conſumptis boniſque omnibus ſpoliatus eſſet, in urbem Leovardiam migravit, ibique civium numero adſcriptus fuit. Cui Dux *Georgius* Saxoniæ, domum dictam *Mintzima* in recom-

penſam damnorum perpeſſorum donavit, quæ adhuc *Aytta-norum* eſt, ac poſtea *Mintziam* filiam, *Gerbrandumque* minorem natu *Ida* mater ſuſcepit.

X. Natus fuit VIGLIUS anno ſeptimo poſt 1500, decima-nonâ Octobris, ſuſcipiente eum ex Sacro Fonte *Tetardo Hannyâ* avunculo. Hoc quoque hîc adjicere viſum eſt, quod Dnus *Otto* Sacerdos Præbendatus in *Wirdum*, qui fuerat Capellanus *M. Buchonis*, ejus patrui, Paſtoris ibidem, VIGLIUMque baptiſaſſet, ac anno 1534. is ex Italia domum rediiſſet, & fortiter adverſus Anabaptiſtas tum in Friſia graſſantes diſputaret, ſenex Sacerdos retulit, non ſine cauſſâ, eum cùm abluiſſet in Sacro Fonte, juſſiſſe Patruum *Buchonem*, ut ambobus pedibus (1) in baptiſterium intruderet, quo in fide Catholica conſtans permaneret, cujus ſe nunc fructum vidêre lætabatur.

XI. Anno autem 1514. ad confirmationem eum adduxit *Dominicus Pibonis*, Burgimagiſter poſtea Leovardienſis, cognatus ejuſdem, quo etiam tempore prima elementa (1) Leovardiæ apud patruum *Buchonem* habitans diſcere cœpit, ac deinde variis uſus magiſtris, poſtremò cuidam *M. Antonio Colonienſi* privatim inſtituendus traditus fuit; ubi cum *Hayone a Camminga*, *Tziepkone Zirxma*, *Jeanne Brumers*, ac *Ambroſio Auguſtini* apotecarii filio, coætaneis, tantùm profecit, ut patruus ejus *Bucho* ad ſcholam Daventrienſem (quæ tunc in particularibus ſtudiis florebat) ablegandum eum cenſeret, eoque anno 1519. a Paſchate deductus ibidem ſeptimæ, ſextæ ac quintæ claſſi inter primos adſcriptus mediocriter profecit.

XII. Nomen proprium (1), quod *Viglonem* ſive *Wygerum* vulgus vocat, ipſe puer VIGLIUM dicere maluit. Et quamquam Familiæ cognomentum erat *Aytta*, ipſe patrui *Buchonis* de *Zuichem* appellationem ſequi maluit, *Zuichemenſemque* ſe ſemper ſcripſit, quòd in eo pago pater natus eſſet, avitæque villæ ſe ſucceſſorem fore ſperabat: uti etiam in ejus jus omnia prædia agerque univerſus in pago *Zuichemienſi* (præter ea quæ juris ſunt Eccleſiaſtici) poſtea ceſſêre. VIGLII autem nomen in memoriam avi materni *Vigle Hannya* ei inditum eſt, qui ſimiliter ab avo ſuo materno *Vigle Camſtra* nomen accepit, viro primario, qui *Bolſwardiæ* exortâ inter nobiles rixâ

ab

ab *Leone Albada* (2) in publico Statuum conventu occisus fuit; qui *Leo* ea-propter publico edicto in exilium actus fuit, parteque bonorum mulctatus; a quo tempore *Albadarum* familia in Frisia præcipua, declinare cœpit.

XIII. Revocatus autem ex Daventria mense Majo anni sequentis in Frisiam a patre, a quo paullò post cum fratre *Rintzio* missus fuit ad patruum *Buchonem* in Hollandiam, qui tunc in Haga-Comitis morabatur, ubi non ita diu Decanus creatus fuerat, à quo deinde anno 1520. sub festum D. *Joannis* apud Leydam traditus in disciplinam Magistro *Guilhelmo Verio*, qui præcipuorum procerum Hollandiæ filios tum ibi in Græcis Latinisque litteris instituebat, ac tandem sub finem anni vicesimi-primi in Hagam revocatus, operam dedit aliquot mensibus *Jacobo Volcardo* (1) Bergensi, viro apprimè docto, cujus extat perelegans Oratio Quotlibetica *de usu Eloquentiæ in obeundis muneribus publicis.*

XIV. Missus autem antea fuit Trajectum, ut ibi tonsuram clericalem acciperet ab Eximio Theologo *Jacobo Ridder* (1) Suffraganeo D. Episcopi *Philippi de Burgundia*, ac deinde cum præfato *M. Jacobo Volcardo* ad rectoratum studiosorum, qui apud *Bogardos* Lovanii nutriebantur, adscito, mense Octobri anni 1522. eò ablegatus fuit, habitavitque apud *Bogardos* (2) usque ad festum Paschæ anni * 1521. Duos autem fere annos Græcis Latinisque ac humanioribus litteris (3) operam ibi dare pergebat, cùm privatim apud eundem *M. Jacobum*, tum publicè in Collegio Trilingui (4) sub Professoribus *Conrado Goclenio* (5) & *Rutgero Rescio*: (6) donec eum patruus *Bucho* in Hagam ad se evocans, aptum judicavit, ut ad majorem aliquam disciplinam animum applicaret. Sortitus autem fuit (7) Professorem Juris, in quo ipse *Bucho* olim excelluit, idem publicè privatimque apud Lovanium professus. Jactis igitur sub eodem per mensem unum alterumque fundamentis, Lovanium remissus fuit, ut hoc studium seriò amplecteretur. Itaque post initium studii, Lovanii *Joannem Hagium* (8) ac *Nicolaum de Bruxella* (9) audire eodem anno 1524. cœpit. In quo cùm patruus ejusdem non infeliciter eum proficere animadverteret, anno sequenti 1525. iterum ad se revocatum, ac pace cum Gallis (Rege capto) sperata, ad Academiam aliquam Gallicam ablegare constituit.

Ve-

* *Lege:* 1524. *uti habet uterque codex Adriani Gaudani.*

Verùm cùm illa non succederet, (10) Lovanium rediit, & cùm *M. Jacobus Volcardus* ad *M. Severinum* * *Foytta* migrasset, ivit habitatum è regione in ædes, in quibus *M. Dorpius* (11) paulò antea mortuus fuerat, apud *Michaelem à Dorna.*

* à Feyta Frisium: *Suffr. Petri. decad.* 12.

XV. Rursusque anno sequenti in Hagam vocatus, consilium cæptum est, de eo in Burgundiam ad Academiam *Dolanam* mittendo, ideoque valedicto apud Hagam patruo, 27. Septembris anno † 1528. *Dolam* in Burgundia cum *Sionckone a Mellema* profectus fuit, ubi per totum pene triennium *M. Haymoni Boudier* (1) cohabitans, sub Professoribus (2) *Ludovico Marantio*, *Jacobo Duxino*, *Joanne Monacho*, *Petro Phœnice*, & *Quintino Vitulo*, Jurisprudentiæ diligentem navavit operam, ut inter auditores primam facile laudem referret. Eoque permoti studiosi aliquot adolescentes, *Henricus* ac *Quirinus Relingeri*, fratres uxoris *Dni. Antonii Fuggeri* (3) locupletissimi civis Augustani, ejusdemque consanguineus *Joannes Georgius Hermannus* in eisdem ædibus habitantes & commensales, familiaritate invicem conciliatâ, illum, propter opinionem quam de ejus studiis habebant, valde complecti cœperunt. Cumque *Erasmus Roterodamus* (4) *Basileæ*, quæ non longe a *Dola* distat, ageret, cui cum patruo ejus *Buchone* magna familiaritas benevolentiaque intercedebat, captavit occasionem ejus quoque amicitiæ se insinuandi, ac ad eam humaniter receptus, crebrisque literis ultro citroque missis in ea confirmatus, non parum existimationi ejus inde accessit.

† *Lege*: 1526. *uti cod. uterq. A. Gaud. & Suffr. Petri.*

XVI. Circa quod tempus patruum *Buchonem* è vivis tertiâ Decembris anno 1528. discessisse intellexit; cujus morte animo quasi dejectus consternatusque de reditu in patriam cogitare cœpit; verùm cordior factus illum legatum ei pecuniarum sat magnum, & bibliothecam tam in jure quam in aliis disciplinis satis instructam reliquisse, (quo videlicet studia sua ad metam commodè perducere posset, quod & pater ab eo postulabat) ac sodales, qui privatim illum *Institutiones* profitentem, lubenter audiebant, multis modis magnificisque § pollicitis apud eum contenderent; ut ipsis ad Academiam *Avionionensem* proficisci desiderantibus, comes esse vellet, ‡ quibus tandem assensit. Ac mense deinde Martio anni 1529. cum illis (perlustratis prius Ducatu *Burgundiæ* ac magnâ *Cister-*

§ Promissis. *ut codex uterque cit.*

‡ *Lege*: eis. *uti apud Adr. Gaul. & Suffr. Petri.*

cii

cii Abbatia (1) celebrique ab vinis oppido *Belva*, (2) nec non *Salinis* (3) ubi magnum in fontibus ſalſis Naturæ miraculum conſpexit; ac opportunè illuc advênit, cùm ad poſtulationem *Ferdinandi* Regis Comitia Statuum *Burgundiæ* ibi celebrarentur, quæ plurimi Prælati procereſque ac civitatum Legati tum frequentabant) per *Matiſconem*, *Cabilonenſemque* civitatem *Lugdunum* adveniens per rapidiſſimum fluvium *Rhodanum* navigio *Avinionem* appulêre, ut illic *Andream* (4) *Alciatum* ac *Franciſcum a Ripa* (5) (quorum celebris tum erat fama) audirent. Quò advenientes, ob peſtem ibi graſſari incipientem, paulò pòſt inde *Valentiam* ad *Rhodanum* (6) ſecedere coacti ſunt, ubi non ita pridem *Philippus Decius* (7) profeſſus fuerat.

XVII. Auditis aliquamdiu Profeſſoribus præclari ibi nominis ac doctrinæ, ab eiſdem perſuaderi ſibi paſſus eſt, ut gradum Doctoratûs (1) ibidem ſub promotoribus *Joanne de Mota* ac *Felice de Prato*, Profeſſoribuſque primariis *Antonio de Dorna* ac *Joanne Baptiſta Palma Alexandrino*, (2) octavâ Majj anno 1529. ſuſciperet. Verùm haud diu illic manſit: ſed cùm ſpes affulgeret pacis, de qua apud *Cameracum* tractabatur, favore quoque adjuti *Andreæ Alciati*, qui ab *Avinione* diſcedens in *Bituricenſi* Gymnaſio profitebatur, impetratis ab Rege Gallorum litteris ſecuritatis, ipſi quoque *Biturigas* (3) conceſſerunt, quò illos inferioris ſuperioriſque *Germaniæ* cumplures ſcholares ex *Dola*, *Valentiâ* atque *Avinione* ſecuti ſunt: eoque tempore, quo illic egêre, VIGLIUS privatim publicèque profitendo diſputandoque nomen ſibi inter ſtudioſos nonnullum comparavit, *Alciatoque* in *Italiam* proficiſcente interea ipſius locum tenuit (4).

XVIII. Interea vero *Aureliam Luteciamque* profectus, cum multis præclaris viris noticiam iniit, ac ab *Guilielmo Budæo* (1) *Joanne Tarteſio* Lexovienſis Collegii Rectore, ac pleriſque aliis familiariter receptus fuit. Inde vero rogatu eorumdem ſodalium ſuorum ſub autumnum anni 1531, in Italiam proficiſci conſtituit. Invitatus vero ab *Antonio Fouckero*, aliiſque nonnullis, quorum liberi ejus auditores fuerant, ut Germaniam inviſeret, ac cum ipſis coram noticiam iniret, *Biturigibus*, magnâ ſcholarium catervâ uſque ad proximum oppidum comitante, valedixit, *Lugdunumque* tertiò reviſens, ac per *Gebennam*, *Lauſanamque*, *Solodurum*, *Baſileamque* tranſiens,

Friburgi Briſgoiæ ab *Eraſmo Roterodamo*, *Udalricho Zazio* (2) aliiſque doctis viris, quam humaniſſimè exceptus fuit, ac inde *Rotweylam Ulmamque* tranſiens, ad deſideratam diu *Auguſtam* cum ſociis ſalvus pervênit.

XIX. Tres in eo itinere Academias inviſit, *Baſileenſem*, *Friburgenſem* & *Tubingenſem*. Apud *Baſileam Bonifacium Amerbachium* (1) Juris-Conſultum ſalutavit, ac in *Frobeniana* officina (2) cum eximiè docto viro *Sigiſmundo Gelenio* (3) Bohemo, qui libris ibi corrigendis præerat, *Hieronymoque Frobenio* typographiæ magiſtro, illic noticiam contraxit. Vidit quoque *Oecolampadium* (4) ac *Simonem Grynæum* (5) duos in ea urbe Hereticorum anteſignanos. Apud *Friburgum* verò præter *Eraſmum* ac *Zazium*, *Ludovicum Verum* (6) *Georgium Amelium* (7) *Theobaldum Papſt*, olim ſibi notos, alios non ſalutavit. *Tubingam* autem ubi adveniſſent, *Jacobus Jonas*, qui poſtea Regis *Ferdinandi* Cancellarius fuit, multique alii catervatim accurrêre, ſalutandi cauſâ, ac nomine Univerſitatis ad prandium invitavêre, non tantùm menſæ lauticiâ, ſed hilaritate ac doctis ſermonibus valde condîtum.

XX. Apud Auguſtam verò, Ornatiſſimus Vir D. *Joannes Relinger* (1) *Henrici* ac *Quirini* pater, hoſpitio illum accepit, magnificèque tractavit, quotidianiſque conviviis ab Dno. *Reymundo*, *Antonio* ac *Hieronymo Fuggeris*, ab Dno. *Joanne Pangartner* (2) ac pleriſque Doctoribus, & honeſtioribus civibus exceptus fuit, cathenis numiſmatibuſque ac aureis annulis aliisque cimeliis munificè donatus fuit.

XXI. Die autem decimâ-ſextâ Octobris inde diſceſſimus (1) ac apud *Monachium* ſe nobis itineris ſocium verſus *Italiam* D. *Chriſtophorus Backenbutius* (2) *Lubecenſis* adjunxit, vigeſimoque die *Swotium* venimus, ubi ab patre *Joannis Georgii Hermanni* ſplendidè excepti ac triduo humaniſſimè tractati fuimus, fodinaſque argenti & æris ditiſſimas perluſtravimus. Is autem nos *Ænipontem* deduxit, ubi per *Rodolphum* Comitem à *Solss* Gubernatorem ac locum-tenentem *Tyrolenſis* Comitatûs, ad ſereniſſimam Reginam *Annam* (3) Regis *Ferdinandi* uxorem, ac *Maximilianum* & *Ferdinandum* ejus filios ſalutandos deducti fuimus, opiparèque cùm a dicto Gubernatore, tum ab Cancellario Dno. *Hieronymo Baldungo* (4) tractati fuimus. Ubi autem *Stertſingam* perveniſſemus, *Georgio Hermanno* (5)

eò

eò usque nobiscum profecto, trigesimâ Octobris valediximus, ac deinde per *Brixinam*, *Tridentum* ac *Tervisium* tertio Novembris die eodem anno 1531. *Venetias* pervenimus, nonoque die inde *Paduam* concessimus; ubi tum in Jure profitebantur *Franciscus Curtius* (6) *Marianus Socinus* (7) *Marcus de Mantua* (8) & *Arregutius de Arregutiis* (9) *Perusinus*, multique alii in omni genere doctrinæ viri (10) præstantes. Inter humaniorum vero litterarum Professores primas tum ibi tenebat *Lazarus Bonamicus*. (11) Commendaverat autem *Erasmus Roterodamus Viglium* litteris suis *Joanni Baptistæ Ignatio* (12) ac *Petro Bembo* (13) postea in Cardinalium ordinem adscito, qui multâ eum benevolentiâ postea sunt prosecuti.

XXII. Cùm autem eum annum consumpsisset in privatis lectionibus, auditioneque præcipuorum Doctorum, publicisque ex disputationibus innotescere cœpisset, in nova creatione Doctorum ipse pene invitus ad publicam lectionem (1) *Institutionum* protractus fuit, ubi illi cum ambitioso antagonista *Malmingnato* (2) crebræ concertationes disputationesque juxta mores ejus Academiæ fuêre. Legebat autem ter in die, semel cum apparatu (ut dicunt) diligentique materiarum explicatione; deinde cum textu glossas percurrens propositoque applicans; ac postremò pro junioribus textum tantùm explicans. Quæ autem diligentiori studio in Scholis publicis legerat, domum reversus annotare consuevit, ac cùm discipulis quibusdam familiarioribus communicasset, ad editionem hortati sunt; quibus ipse obsequens, *Hieronymo Frobenio* celebri apud *Basileam* typographo *Commentarios in decem Institutionum Titulos*, quos *Patavii* fuerat professus, excudendos dedit.

XXIII. Duæ autem notabiles conditiones illi apud *Patavium* agenti oblatæ fuêre: una, Vicariatus Judicialis in regno *Cypri*, ad quam eum nobilis quidam Vice-regis *Cypri* (1) filius, ipsius auditor sectatorque continuus, multis promissis precibusque invitavit; ac quod in ea Insula Gallico jure ut plurimùm adhuc utebantur, magis eum idoneum fore persuasum habebat. Sed deliberatione cum *D. Antonio* * *Fouckero* initâ, illi ea conditio non satis probabatur, quòd inde difficilis concederetur in patriam reditus. * Fugero.

XXIV. Altera autem non paulò splendidior: cùm enim

Bononiam excurriſſet ſub id tempus, quo Cæſar ab expeditione Turcica rediens apud Bononiam (1) ad Pontificem *Clementem* ſalutandum veniſſet, ubi & numeroſus Cardinalium ceterorumque *Italiæ* Principum conventus celebrabatur, *Viglius*, cujus nomen jam nonnullis innoteſcere cœpit, ab magnis viris in aula Imperiali ſollicitatus fuit, ut *Philippum* Cæſaris *Caroli* filium inſtituendum ſuſciperet; ad quod ipſos movebat, quod multarum linguarum peritiâ pollebat, ac in Græcis Latiniſque litteris apprime doctus haberetur, ſermoque purus nec affectatus eſſet. Ad hæc, quod ſubditus naturalis Majeſtatis ſuæ erat, ac ejus nepos, cujus Cæſar aliquando in Legationibus adminiſtrationeque rerum, operâ uſum fuiſſe, meminerant. Verùm rerum adhuc imperitus, & naturali verecundiâ præditus, minorem ætatem adhuc agens, animum eò applicare non fuit auſus. Terruit eum quoque aulica vita, ad quam ſe componere nullo pacto potuit, ſumptuſque verebatur principio ferendos, majores quàm ipſius tum tenuitas ferre potuiſſet. Ipſeque Rex *Philippus* aliquando id intelligens, doluit, ſibi eam occaſionem non contigiſſe, quâ ſperarat non paulò ſe melius quàm fuerat, inſtituendum fuiſſe.

XXV. Cum autem idem tum ab Cæſare Duci *Venetiarum* commendari petiiſſet, quo Bibliothecæ, quam *Beſſario* (1) Cardinalis illic reliquit (2), inſpiciendæ facultas daretur, non difficulter id obtinuit, adjuvante Doctore *Matthia Held* (3) Majeſtatis ſuæ Vice-Cancellario, ubi Græcas *Inſtitutiones Juſtiniani* comperit, quarum deſcribendarum poteſtate illi factâ, curavit in officina *Frobeniana Baſileæ* eas imprimi, ac *Carolo* Cæſari opus hoc, ſtudioſis omnibus plauſibile, gratitudinis ergo dedicavit.

XXVI. Expleto deinde curſu, ut vocant, annuo, cùm decem Titulos Inſtitutionum abſolviſſet, a multis invitatus fuit, ut in prælegendi munere perſeveraret, quidamque ei ſpem faciebant obtinendæ primariæ *Inſtitutionum* Lectionis a Proviſoribus Reipublicæ Venetæ. Ipſe *Malmignatus* ipſius Collega, &, ut vocant, concurrens, ipſum ſollicitari hortarique ad id procuravit, ſperans ſe ad majorem Lectionem faciliùs promoveri poſſe, ſi idoneus reperiretur qui ſibi in prima-

primario loco ſurrogaretur. Verùm ipſum, qui quatuordecim annos a patria abfuerat, deſiderium ejus ac parentum permovit, ut de ea repetenda omnino conſtitueret.

XXVII. Itaque rebus compoſitis, ac valedictis amantiſſimis Sodalibus, decimâ ſextâ menſis Octobris iter ingreſſus fuit, ac *Georgium Hermannum* conjunctiſſimum amicum de via ſalutavit, ac deinde per *Conſtantiam*, *Friburgumque* deflexit, ut *Eraſmum Roterodamum* ac amicos ſalutaret. Inde vero *Baſileam* tendens, ut Inſtitutiones * Græcas, quas ipſe *Theophylo* adſcripſit, ac in dictos decem Titulos † Commentarios ſe præſente correctiùs ederentur. Quibus impreſſis, rurſus rediit ſeptimâ Januarii, *Bonifacio Amerbachio*, *Nicolao Epiſcopio*, (1) ac *Andrea Cratander* (2) eum comitantibus, *Friburgum*, invitatus ab *Eraſmo*, qui illi ſpem hereditatis faciebat, ſi ſecum, jam ſenio confecto, permanêre non gravaretur. Verùm honeſtè ſe excuſavit, ac inſtitutum in patriam iter proſequi maluit: indeque per *Argentinam*, *Spiram*, *Wormatiamque* ac *Rhenum* equo *Coloniam* 23. Januarii pervênit, ubi cùm a multis humaniter exceptus, tum præcipue ab Doctore *Joanne Doccumenſi* (3), olim Aſſeſſore Judicii Cameræ Imperialis, coactus, ob patrui *Buchonis* erga ſe olim impenſam beneficentiam, hoſpitium ſumere: ubi manſit uſque ad vigeſimum diem Februarii.

* Græcæ. *Adr. Gaud.*

† Commentarii. *idem.*

XXVIII. Ac interea cùm Epiſcopi Monaſterienſis Dni. *Franciſci* Comitis *à Waldeck* (1) Officialis defunctus eſſet, omnibus modis id egit Doctor *Joannes*, ut oblatam ab Epiſcopo conditionem acceptaret, cùm honorarium non contemnendum offerretur, & non ſolùm ab Præſule, ſed etiam ab præcipuis Capituli Canonicis magnificis promiſſis eò invitaretur. Terruit autem eum nonnihil populi *Weſtphalici* ruditas, & quod civitas *Monaſterienſis* gravibus diſſidiis de Religione tum agitaretur: verùm tandem ſibi perſuaderi eſt paſſus, ut operam ſuam polliceretur, atque *Monaſterium* poſt viſitatos parentes adire reciperet (2).

XXIX. Dum verò per *Brabantiam*, ut patronos amicoſque veteres ſalutaret, verſus *Friſiam* proficiſci cœpit, in initio Quadrageſimæ, dum Magiſtratum renovari mos eſt, civitas *Monaſterienſis* in apertam rebellionem § prorumpere, *Anabaptiſtiſque* (1) potiores partes obtinentibus, cæteri cives

§ Prorupit. *Adr. Gaud.*

urbe excedere coacti sunt. Unde commotus Episcopus urbem obsidione cinxit, passimque accurrentibus ex *Hollandia Frisiaque*, ac aliis locis ejusdem sectæ hominibus, justum bellum exoriri cœpit. Unde commoti omnes amici dehortari eum cœpere, ne se in tumultuum eorum periculum conjiceret, sed potius tranquilliorem aliquam conditionem expectaret, vel idem officium apud *Trajectensem* Episcopum (2) recens inauguratum susciperet; ad quod eum Archidiaconus *Boisot* (3) & *Gerardus Mulert* (4) Episcopi nomine invitabant. *Delanæ* (5) quoque Academiæ distributores eum ex *Italia* reversum intelligentes, ejusque lucubrationibus visis, eundem ad munus docendi sat magno stipendio evocabant; sed ipse fidem datam (6) *Monasterienſi* observare voluit, patre potissimùm illum propellente; qui ob belli turbas nihil motus fuit, sed cùm ætate florente esset, rerum experientiam ex bellicis actionibus consiliisque dicebat accreturam.

XXX. Itaque die 12. Martii in *Frisiam* veniens, usque ad 4. diem Maji ibi permansit, celebratisque interea nuptiis *Rintziæ* sororis cum *Popkone Montzima*, ipse interea ab R^mo. Episcopo *Monasterienſi*, ut ad muneris sui administrationem tempestivè adveniret, sollicitatus, mense Majo anno 1535. * eò profectus est, ac cùm bello omnia ferverent, *Dulmaniam* (1), parvum oppidulum tribus a *Monasterio* distans milliaribus, eum concedere jussit, eodemque convenire reliquos qui judicio ecclesiastico operam dare solent. In quo oppido annum pene totum permansit. Cùmque ob belli turbas judicia fere cessarent, consilium in rebus agendis Episcopo præbuit, atque in Legationibus, quæ tum ad sollicitanda auxilia in Conventibus circularibus Statuum Imperii frequentes fiebant, operam suam impendit. Deo autem opitulante, tandem illi bello optatus finis impositus fuit, Urbe *Monasterio* captâ, Reguloque ipsius ac ceteris rebellionis authoribus in Episcopi potestatem redactis.

XXXI. Sub idem vero tempus, Cæsareis ac Regis *Ferdinandi* litteris ad Assessoriam conditionem in Judicio Cameræ Imperialis, nomine Domûs *Burgundicæ* vocatus, valde perplexus fuit, quaminam conditionem præferret. Nam Episcopi benignitas, qui eum recens Præpositura (1) quâdam in territorio *Groningenſi*, ac Decanatu Ecclesiæ *trans-aquas* (2) in ci-

* Legendum: 1534. juxta omnes epistolas ad diversos datas. V. inter *Selectas*, eas omnes, quæ ex Dulmania. Et in Notis ad hunc num.

civitate *Monaſterienſi* donari procurârat, magnificaque promiſſa, & recens victoria, non parum eum movêre, ut in munere eo obeundo perſeveraret. Aliâ autem ex parte amici omnes ſuadebant, ne Aſſeſſorium officium, quod ad majora gradum præſtruere poſſe videbatur, negligeret. In quam ſententiam tandum inclinavit, diſcendi potiùs in ſupremo eo judicio & ad practicam deducendi id quod in Scholis didicerat, cupiditate, quàm honoris ejus, qui non minimus in Germania habetur, ambitione accenſus. Proinde quærens omnes rationes, quò cum bona gratia Epiſcopi amplecti novam conditionem liceret, tandem eam, intercedentibus quibuſdam amicis, etſi non ſine difficultate, licentiam obtinuit (3) ac deinde in omnem reliquam ætatem diligentiſſimè amicitiam cum Epiſcopis, Prælatis, Canonicis, Nobilibuſque Dioceſis ditioniſve *Monaſterienſis* coluit, atque oblatis occaſionibus, non parvis officiis eos ſibi demereri ſtuduit.

XXXII. Inter quæ illud non reticendum, quod cùm ab Cæſarea Majeſtate ad executionem deſtitutionis Dni. *Hermanni* (1) Archiepiſcopi *Colonienſis* miſſus eſſet, Majeſtas etiam ſua idem conſtituerat (2) de Epiſcopo *Monaſterienſi* facere, eòque cum mandato eum mittere. Verùm cùm reluctaretur apud *D. Granvellanum* allegans, non convenire ut hoc officium per eum fieret, qui ejus ſervitor fuerat, & *Granvellanus* non admiſſâ excuſatione ei hoc coram ab Cæſare mandari procuraſſet, ipſe humillimè deprecatus fuit: dicens ſe potius Majeſtatis ſuæ ſervitium velle relinquere, quàm ei, cujus panem comederat, aliquid adverſum tentare; neque ſimilem quoque eſſe cauſam *Monaſterienſis* quæ *Colonienſis*, cùm nullus contra iſtum Proceſſus ſententiave præceſſiſſet, neque alienum ſe a Catholica Religione unquam exhibuiſſet, quamquam excuſare non poſſet, [*quod*] cum *Lantgravio* ac vicinis Principibus amicitiam, quò fortaſſis ſtatum ſuum ſecuriùs tueretur, coluiſſet; eâque oratione permotus Cæſar conſilium exequi prætermiſit.

XXXIII. Itaque licentia ab Rev^mo. Epiſcopo ſuo obtentâ, viſitatiſque in *Friſia* parentibus, *Spiram* profectus fuit, ubi in tertium annum permanſit, receptus menſe Julio anno 1535. in Aſſeſſorium ordinem ab generoſo Comite *Adamo ab Rheuchlingen* Judice tunq temporis Cameræ Imperialis; ac ei

præ-

præſtito juramento conſueto in Collegium Aſſeſſorum (1) admiſſus. Cùmque is Comes jam ætate gravis ab Cæſarea Majeſtate dimiſſus eſſet, ei ſucceſſor datus eſt Dnus. *Joannes Comes Palatinus Rheni*, Dux *Bavariæ* & Comes *Spanheimenſis*, quem tunc appellabant Ducem de *Simmeren*, qui pater fuit *Friderici* Comitis *Palatini* Electoris, qui *Ottboni* ſucceſſit. Hic autem ſummâ benevolentiâ ſemper eundem *Viglium* complexus fuit, quod ipſe Gallicæ linguæ ſtudioſus, eum pene ſolum in Collegio habebat, ejuſdem peritum: ſummopereque amatus fuit ab *Joanne* Comite *Montisfortis*, *Warneroque* Comite ab *Simmeren*, primariis Aſſeſſoribus locumtenentibuſque Judicii, ac à ceteris omnibus Collegis, qui ob ejus diligentiam modeſtiamque ſummâ eum benevolentiâ complectebantur. Ceterum cùm in judicio Cameræ ageret, ſententiarum actorumque antiquorum Regiſtra diligentiſſimè perlegit. Linguam etiam Germanicam plenè ibi didicit, ac in Gallica quoque ſeſe exercuit, transferendo ſucceſſivis horis in linguam Latinam Acta Judicialia primarum Inſtantiarum, quæ ab *Biſontinis*, *Leodienſibus*, *Cameracenſibus*, atque aliis Gallici idiomatis civitatibus, quæ ſub judicium Cameræ Imperialis reſortiuntur, illuc deferebantur: pauciſque annis illud effecit, ut vix alius eſſet, qui res judicii exactiùs teneret.

XXXIV. Incidit autem in ea tempora, quibus in eo judicio aſſedit, quod Lutheranæ Sectæ novæque Religioni addicti, qui tum *Proteſtantes* vocabantur, multa contra authoritatem ejus Judicii molirentur. Verùm ipſe unus ex eis fuit, qui ſtrenuiſſimè Cæſaris judiciique illius authoritatem propugnarent. Et cùm non-nulli minis ipſorum permoti earum cauſarum relationem refugerent, ipſe nullum ſibi injunctum relationis officium unquam detrectavit: vivens interea ibi (1) ſuaviſſimè, ſi unquam aliàs in vita, ut ipſe ſæpius retulit: cùm quod officii ſui functioni tempus decidere poſſet, id jucundiſſimè in materiarum varietate, privilegiorumque multorum cognitione, & Actorum relectione, ac curioſa * magnarum rerum, quæ in illo judicio tractata antea fuerant, atque adhuc tractabantur, conſumere liceret.

* *Supple*: inveſtigatione.

XXXV. Donec ſub finem anni 1537. Dux *Wilhelmus* (1) *Bavariæ*, ejus celebritate excitatus, quod audiſſet non mediocrem eum promeruiſſe laudem ex profeſſione Juris in Academia

demia *Patavina*, quod Commentaria ejus in *Inſtitutiones* teſtabantur, ac non cum minore laude in Judicio Imperiali eum verſari audiviſſet, multis præmiis per magnos aliquot viros eum ſollicitavit, ut in Academia ſua *Ingolſtadienſi* docendi munus ſuſciperet. Amicis (2) autem, cum quibus eam rem communicabat, non conſultum videbatur, ut functionem mutaret; verùm ipſe docendi diſcendique ſtudio adductus, (tametſi in judicio Cameræ ſatis tranquillam honoratamque vitam ageret, attamen quod ibi de Religione perpetua diſputatio eſſet, Proteſtantiumque (3) injuriis inquietarentur) perſuaderi ſibi eſt paſſus, ut ad Academiam cumprimis Catholicam, profeſſioniſque munus honeſtiſſimâ conditione evocatus concedere, non reſpuendum ſibi duceret. Quod conſilium cum Collegæ ejus in judicio Cameræ intellexiſſent, multis modis ab ea eum avertere ſunt conati. Verùm cum ipſe jam fidem ſuam Illuſtmo. *Bavariæ* Duci obſtrinxiſſet, in propoſito permanſit. Sperabat quoque ſe aliquanto utiliorem operam ſtudioſis poſſe navare quam antea, poſtquam eccleſiaſtici ſecularisque fori practicam aliquam in Officialatûs eccleſiaſtici munere, judicioque ſupremo cauſarum Imperii verſatus, ea quæ cognitu magis neceſſaria viderentur, ab inanibus ſcholaſticisque ſubtilitatibus diſcernere poſſet. Venit autem *Ingolſtadium* (4) ſub finem anni 1537. ibidemque permanſit uſque ad paſſcha anni 1542, cœpitque profiteri ſecundam partem Dig. Vet. incipiens ab *Tit. de reb. cred. & ſi cert. pet.* Legitque per id ſpacium quatuor annorum, aliquotque menſium, primam & ſecundam partem *Codicis*: itemque primam & ſecundam partem *Digeſti Veteris*, in quas & Commentarios ſatis diligenter conſcripſit, quos tamen in publicum edi vetuit (5).

XXXVI. Anno autem 1539. Friſiam parenteſque ſub vacationum æſtivarum tempus inviſit, quos tunc adhuc incolumes reperit, matrem (1) tamen jam grandævam anno ſequenti 1540. amiſit.

XXXVII. Audiebatur autem ab ſcholaribus lubenter, multique eam Academiam ejus famâ exciti acceſſère, neque alius fuit qui ibi plures haberet auditores, tametſi excellentiſſimos ex Italia accitos Jure-conſultos collegas haberet: *Fabium* videlicet *Romanum* (1) & *Marcum Antonium Caymum* (2) *Mediolanenſem*. Ipſum etiam *Bavariæ* Dux in ſuum accivit con-

cilium, decidendiſque controverſiis, quæ *Ingolſtadii* ad Ducalem cognitionem pertinebant, cum aliis Conſiliariis præfecit. Honoraruntque ejus auditorium anno 1541. multi doctiſſimi primariique viri, qui ad Comitia Imperialia proficiſcentes ibidem tranſibant. Circa idem autem tempus ſereniſſ. Romanorum Rex *Ferdinandus* ejus famâ permotus Conſiliarii diploma ſeu codicillos illi ſponte tranſmiſit, præclarisque aliquot privilegiis donavit. Anno autem 1540 cum, ob peſtem *Ingolſtadii* graſſantem, Univerſitas ſtudioſorum *Reinam* (3), oppidulum vicinum commigraſſent, totam ibi unà egit ætatem. Ac cum ibi ex pede ſatis periculoſè laboraret, *Antonius* * *Fouckerus* ei perſuaſit, ut *Auguſtam* ad ſe veniret, ubi peritorum chirurgorum operâ ſat feliciter priſtinæ valetudini reſtitutus fuit. Toto autem tempore, quo *Ingolſtadii* habitavit, jucundè admodum vitam tranſegit, non tamen ſine magnis ſtudiorum laboribus, partim ut auditoribus ſuis ſatisfaceret, partim verò, ut de controverſiis ſuis illum conſulentibus reſponderet; atque ab Doctoribus ceteris ejus Academiæ multa ei amicitiæ officia interceſſerunt, præſertim autem cum *Joanne Eccio* (4) ac *Leonardo Marſtaller* (5) Theologis, ac *Vigilæo Hundt* (6) Jurisconſulto, ſuaviſſimis ac verè generoſis moribus præditio. Functus eſt autem in ea Academia Rectorali poteſtate (7) ac Decanali dignitate Juridicæ Facultatis.

* *Lege:* Fuggerus

XXXVIII. Duæ autem illi illic exiſtenti conditiones cumprimis ſplendidæ oblatæ fuêre: una ab Electore (1) *Joachimo* Marchione *Brandenburgenſi*, qui eum miris modis duplicatoque ſtipendio pertrahere nitebatur in ſuam Academiam *Francfordianam ad Oderam* fluvium, ut illic jus profiteretur, ac a conſiliis ſuæ Celſitudinis eſſet, cum res depoſceret. Verùm in animum ſuum nunquam inducere potuit, ut eò concederet, ubi Religio Catholica jam labaſcere incipiebat.

XXXIX. Altera verò ab Cæſare *Carolo* V. qui cum apud *Ratisbonam* Comitia Ordinum Imperii anno 1541 celebraret, ac opera Vice-Cancellarii ſui Doctoris (1) *Matthiæ Heldt*, viri incomparabilis deſtitutus eſſet, ſuggerentibus nonnullis Conſiliariis, in vicina urbe *Ingolſtadio* morari *Viglium*, quem Majeſtas ſua aliquando ad judicium Cameræ promoverat, ac poſteà aliquot annos in Academia *Ingolſtadienſi* jus civile profeſ-

professus esset, ejusque nomen per totam Germaniam celebraretur, quemque & linguam germanicam rebus Imperii necessariam, ac gallicam curiæ Cæsareæ convenientem, tenêre intellexerat, multis modis per *Granvellanum* aliosque Consiliarios conatus ei fuit persuadere, uti (2) Vice-Cancellariatûs officium apud Majestatem suam susciperet. Ipse autem attonitus se ad tantum honorem vocari, & secum muneris ejus amplitudinem expendens, præsertim quòd Vice-Cancellarius os Imperatoris erat, qui coram Statibus Imperii, Principibusque viris, & illis quibus apud Imperatorem negotium erat, proponendi, respondendique germanicè onus incumbebat, & sibi conscius quàm parùm idoneus ad id esset, ut quamquam linguam teneret, nunquam tamen ita se in eâ exercuerat, ut cum dignitate eâ eloqui posset, quæ amplitudo officii exigeret, manibus pedibusque vocationi est reluctatus, non sine quadam quorumdam offensa, qui eò illum commendaverant. Cumque imperiosiùs cum illo ageretur, quòd cùm subditus naturalis Majestatis suæ esset, proprio potiùs Principi servire debebat, quam in extera regione fortunam quærere: responsum est ab eo, non posse (*se*) humeris suis imparem provinciam suscipere; verùm si aliqua offeratur conditio in patria, quâ ibi honestè vitam traducere possit, eam se non recusaturum. Ac ita quidem tum illis mediocriter placatis, a *Ratisbona Ingolstadium* ad professionis suæ provinciam rediit.

XL. Verùm non paulò pòst (1) Regina *Maria* Belgicæ Provinciæ Gubernatrix jussu Cæsaris ad eum scripsit, conditionemque in Concilio secreto aut quolibet alio inferioris Germaniæ proposuit; atque cùm ad generalem ejusmodi oblationem nihil se certi statuere posse respondisset, iteratis litteris eum sollicitavit, ut expensis Majestatis Cæsareæ ad ipsam in Belgium venire non gravaretur, quo coram cum illo de conditione oblata conveniret. Dubius (2) autem consilii [*hæsit*;] neque enim temerè sibi relinquendam præsentem conditionem existimavit, & oblatam ab Regina, priusquam propiùs eam cognosceret, suscipiendam minimè est arbitratus. Itaque peractis Lectionibus quadragesimalibus, nemini ea re communicatâ *Francfordianas* nundinas, sub colore librorum comparandorum, invisit, indeque *Bruxellam* in Brabantiam excurrit, deductusque ibi ab amicis ad Reginam *Mariam*, Con-

filiariatûs dignitatem, (3) in quocumque Consilio expeteret, eadem obtulit, unà cum donativo pro sumptibus transmigrationis. Quod ejus pater (4) amicique intelligentes, non destitêre, donec ei persuaderent, ut eam conditionem, quam plerique multis artibus studiosè illic ambire solent, non sperneret.

XLI. In his erat Præses Trajectensis *Hector* (1) *Hoxvirius*, *Adrianus* (2) *Nicolai* Consiliarius Mechlinienſis, *Nicolausque* (3) *Nicolai* ejus frater Secretarius Concilii statûs apud Reginam, multique alii benevolentiâ ac amicitiâ illi jam dudùm conjuncti, ac imprimis Magnificus Dnus *Carolus* (4) *Boisotus*, qui in aula Augustali apud Carolum Imperatorem a consiliis erat, qui quotidianis litteris ad suscipiendam eam conditionem eum urgebant. Quam-ob-rem tandem eorum consiliis obsequens constituit non aspernari honorem sibi in patria delatum.

XLII. Multùm autem sollicitus fuit, quo pacto se ab *Ingolstadienſi* conditione (1) excusaret, non quod apud *Ingolstadienſem* [*Academiam*] aliquâ obligatione obstrictus esset, sed quod Illustrissimi Ducis *Wilhelmi* ejusque filii *Alberti*, multorumque procerum *Bavariæ*, Doctorumque ac Scholarium benevolentiam desideriumque non incognitum haberet. Etenim jam pridem antea cum eo Dux ipse tractari mandarat, quo ad aliquot adhuc annos operam suam ipsi Academiæque *Ingolstadienſi* addiceret; sed commodùm hæc Belgica conditio oblata fuit, priusquam de altera quidquam concluderet. Verùm litteris (2) ad omnes excusationis scriptis, quò potuit diligentissimè, accedentibusque Reginæ *Mariæ*, cùm justam ejus retinendi causam non haberet, ejus voluntati consilioque acquievêre, non sine indignatione in eos, quibus tractandi negotium de renovanda ipsius conductione datum erat, eò usque protraxerant, quò alia conditio offerretur. Ipse igitur codicillis, &, ut vocant, commissione Secreti Concilii in Curia Belgica acceptis, relictâ illi optione, si ad quod aliud Concilium postea transire mallet, mense aprili novam functionem aggressus est.

* *Hæc Pontanus a Lappio accepta.*

XLIII. Nec multo post * Rex Galliarum ob adversam Cæsaris fortunam apud (1) *Algeram*, bellum contra eum moliri cœpit, ac mense Julio (2) *Martinum Rossemium* cum magna equi-

equitum peditumque manu in Ducis *Clivensis* ditione conductum accivit, qui per *Brabantiam* hostili manu transiens, magnum Reginæ Belgisque ad bellum imparatis terrorem incussit. Cùm autem eodem anno Rex Romanorum ac Hungariæ *Ferdinandus* Comitia Ordinum Imperii apud *Nurenbergam* celebraret, quo auxilia Germanorum adversus Turcam in *Hungariam* irrumpentem sollicitaret, Regina illuc mittere legatos suos constituit, qui de Gallorum novis motibus conquererentur, & præsertim Ducis (3) *Clivensis* secretas cum Gallis conspirationes detegerent, eundemque apud Status Imperii accusarent: quòd, cùm antea Cæsari Ducatum *Geldriæ* ac Comitatum *Zutphaniæ* intercepisset, oblitus omnium beneficiorum quæ in Domum *Clivensem Burgundica* contulerat, Regem quoque Francorum in Belgiæ oppressionem exciverat. Verùm dum de deligendis Legatis ageretur, conscribendaque eorum instructione deliberaretur, ac omnia bello arderent, accidit ut tardiùs ea legatio expedita fuerit, ac tandem ea commissio *Viglio* imposita fuerit, qui licet summâ diligentiâ usus, non tamen antè *Nurenbergam* appellere potuit, quàm eo ipso die quo Rex *Ferdinandus* recessum publicarat. Quam-ob-rem Majestatem suam inde abeuntem apud (4) *novum Forum* sequutus est, ubi plenâ rerum in Belgia gestarum relatione auditâ, expositisque mandatis, ad Reginam *Mariam* cum Majestatis suæ responsis remissus fuit.

edidit Hist. Gelr. lib. XII. pag. 843.

Prima legatio Viglii.

XLIV. Interea vero in Belgiam eo redeunte, cùm ad (1) *Ivodium* in agro *Luxemburgensi* ab Gallis occupatum recuperandum, Regina exercitum misisset, animadvertissetque in longa forsitan ejus obsidione militem tempus consumpturum, constituit totum exercitum in *Juliacensem* Ducatum, qui ad *Clivensem* pertinet, quo sic se de ipso qui suos *Brabantiam* sub nomine Regis Francorum invadere passus erat, vindictam sumeret, mittere. Qui nihil tale expectantes, & de infortunio Belgiæ ridentes, graviorem calamitatem experti fuêre, castellis urbibusque omnibus captis, multisque etiam direptis ac incensis. Inter quæ fuere *Juliacum*, *Dura*, aliaque plurima loca, vix ut unus supertes Duci fuerit. Jamque in *Gelriam Cliviamque* progressurus videbatur exercitus, nisi (2) *Colonienſis* Archiepiscopus Landgraviusque *Hessiæ* Comitesque nonnulli intercessores pro pace (se) obtulissent.

XLV. Rediens autem in Belgiam, Reginam apud *Lovanium*

nium comperit, ubi præfatorum Principum Legatis audientiam præbebat, deputavitque aliquos, qui cum ipsis tractarent, quibus *Viglium* ob linguæ germanicæ cognitionem adjunxit. Eò autem illi tendebant, ut tractaturi de rebus componendis, interea ab armis cessaretur. Quod cùm non difficulter Regina consensisset, nec tamen ei conforme mandatum ab Duce *Clivensi* haberent, & nihilominus Reginæ persuaderent, nullam facturum Ducem difficultatem quin in idem consentiret, consulente (1) *Ludovico Pratensi*, penes quem primaria Concilii authoritas erat, ut ingruente hyeme Treugisque speratis aliqua pars militarium, ut sumptus non necessarii evitarentur, dimitteretur. *Clivensis* recollectis viribus, & in meliorem aliquam spem adductùs, id quod Legati de suspensione armorum egerant, ratum habere nolens, de recuperandis nonnullis urbibus cogitavit.

Secunda legatio.

XLVI. Cùm autem Comitia imperialia Rex *Ferdinandus* in mensem Novembrem prorogasset, jussus est *Viglius* se iterum itineri accingere, ac cum *Virico* Barone (1) in *Crichingen Nurimbergam* ad ea Comitia proficisci. Quoniam autem tam Dux *Clivensis*, quam ejus mater (2) nobilesque nonnulli incendia damnaque passi a militibus Cæsareis per Reginam in Ducatum *Juliacensem*, immissis, graves querelas apud judicium Cameræ imperialis exposuerant, ac contra Comitem Burensem, Dnum de *Bossu*, ac alios quosdam capitaneos ac proceres Belgiæ mandata citatoria super infractione pacis publicæ impetraverant, Regina dicto Baroni *Virico* a *Crichingen* ac *Viglio* mandavit, ut Spiram transeuntes justificationem defensionemque aliquam ibi exponerent. Quod eâ diligentiâ ab ipsis factum fuit, ut citationes processusque instituti suspenderentur, remitterenturque ad Regiæ Majestatis Ordinumque Imperii cognitionem, quibus ipsi in mandatis habêre affirmarunt, rem totam exponere ac sufficientem satisfactionem præbere. Profectique inde Nurenbergam aliquamdiu Regis *Ferdinandi* adventum expectarunt. Tandem autem adveniente etiam eodem ex Hispaniis primario Cæsareæ Majestatis Consiliario *Nicolao Perenotto* (3) Dno a *Granvella*, ejusdemque filio *D. Antonio* Episcopo *Atrebatensi*, mox ab propositione Regiæ Majestatis coram Ordinibus Imperii factâ, primùm ipsi *Granvellano*, qui contra Regem Francorum graves querelas exposuit, audientia data fuit. Deinde Oratoribus,

bus, quos Regina eodem miserat, *Vigliusque* justificationem contra Ducem *Clivensem* recitavit, quæ deinde prelo tradita, in publicum edita fuit: per quam evidenter fuit demonstratum, quam justis rationibus mota Regina arma in Ducem *Clivensem* convertisset. Ad quæ cùm non satis haberent *Clivenses* quæ responderent, declinavere ad disputationem super jure Ducatûs *Gelriæ* ante annos aliquot occupati. Cumque Libellum satis prolixum contra (4) *assertionem Juris* Cæsari in *Geldria* competentis præcedentibus Comitiis Ratisbonensibus oblatum exhibuissent, *Viglius* capita potiora perstringens, *Confutationem* similiter impressam die octavâ sequenti protulit, quæ avidè ab omnibus lecta mirabiliter eos contra *Clivensem* commovit. Cujus Legati credidère suum libellum Reginalibus, quod tam cito responderent, communicatum antea fuisse, quod verum non fuit. Omnibusque per Regem *Ferdinandum* Statusque visis, ac perpensis, deputavère quosdam qui super mediis concordiæ inter partes tractarent: qui eo rem deduxère, ut de Capitulatione aliqua conveniret. Verùm Dux *Clivensis* gallicâ pecunia interea corruptus, acta suorum Legatorum rata habère noluit. Super quâ infractione editus deinde libellus per *Viglium* fuit, pœnamque postea idem dedit, cùm Cæsare cum exercitu ex Hispania adveniente, (5) *Duráque* expugnatâ, de rebus suis Dux desperans, *Geldriæ* Ducatum Comitatumque *Zutphaniæ* Majestati suæ cedere coactus fuit *.

* *Hactenus Pontanus.*

XLVII. *Viglius* autem ex Germania rediens, pertæsus Legationum, malensque se in Concilii judicialis negotiis exercere, quam turbis Curiæ Reipublicæque involvi, postulavit sibi locum tum vacantem obitu *M. Andreæ a Robais* in Concilio Mechliniensi, uti promissum erat, concedi. Quod ejus desiderium Collegium Mechlinienſe intelligens, ipsum quoque ad hoc Reginæ (1) nominavère, quæ non gravatè ejus votis condescendit, ac 21. Maii anno 1543. commissionem ejus expediri jussit. Dimisso itaque statu Secreti Concilii, Mechliniam (2) migravit, eodemque anno parentem senem in Frisia invisit. Ac ubi rediisset Cæsar sub hyemem a bello Bruxellam reversus, *Viglium* ad se evocavit, benignissimèque allocutus, sibi gratissima fuisse dixit servitia in Comitiis imperialibus Nurembergæ

bergæ ſibi præſtita, penſionemque ejus nomine dedit trecentorum florenorum, poſtulavitque ut interea dum in Belgia ageret, manere in Curia non gravaretur, promittens ut cum ſtipendio magni Concilii, *Secreti* quoque interea perciperet, atque unà ad Comitia apud Spiram indicta, iret.

XLVIII. Animadvertens autem Cæſareæ Majeſtatis erga ſe affectum, conſtituit ad matrimonium animum applicare. Itaque procurante *Dno Granvelleno*, viri cumprimis honeſti ac divitis *Petri Damant* filiam *Jacquelinam* (1) duxit, celebratisque nuptiis in feſtis natalitiis, menſe januario ſequente cum Cæſare per *Leodium*, *Coloniam*, *Confluentiam* ac *Zimeren* in Germaniam Spiram abiit. Ubi patrem ejus *Folcardum*, ipſumque *Viglium* plurimis ornavit privilegiis, conceſſitque, ut ſi quando in Friſia patria morari vellet, primi Conſiliarii poſt Præſidem in ſenatu Friſiæ dignitatem obtineret. Eodem quoque tempore *Poggius* Epiſcopus (2) *Tropienſis* ac ſedis Apoſtolicæ Nuncius (3) Palatinatûs Diplomate ipſum decoravit. Cæſar autem eundem in Conſilium imperiale *, cui tum in Comitiis præſidebat Comes Palatinus ac Bavariæ (4) Dux *Fridericus*, multisque gravibus negotiis tractandis ejus operâ uſus fuit. Nam & pacem *Danicam* (5) cum Regis *Chriſtierni* Legatis ad optatum finem deduxit, & ſuper multis controverſiis cùm Duce (6) *Clivenſi* concordiam inivit, graviſſimumque diſſidium ac litem, quam Trajectenſes ad Moſam in Judicio Cameræ Imperialis cum heredibus *Dionyſii Frens* agitabant, compoſuit.

* quoque accivit *Adrian. Gaud.*

Tertia legatio.

XLIX. Ac Cæſare deinde in Galliam cum exercitu proficiſcente, ipſe *Bremam* a Majeſtate ſua miſſus fuit, ut ibi *Danica* Pax finalem concluſionem acciperet, juramentiſque hinc inde firmaretur. Quam profectionem ideo lubentiùs ſuſcepit, quod ipſo *Spiræ* agente intellexerat, patrem ſuum *Folcardum* è vivis exceſſiſſe, eaque de cauſa fratrum ſororumque litteris ſollicitaretur, ut eò venire vellet, quæque ſuper familia herciſcunda neceſſaria erant, unà tranſigeret. Rebus autem apud *Bremam* feliciter confectis, ac negotiis cum fratribus ſororibuſque concorditer in *Friſia* peractis, in reditu in Scyathicam incidit, quæ eum apud *Trajectum* aliquot hebdomadis lecto decumbentem detinuit, non ſine publico incommodo, ob

ob dilatam Pacis cum *Danis* initæ publicationem. Tandem tamen *Mechliniam* se deferri curavit, ubi quæ sibi agenda videbantur, Reginæ suggeri curabat.

L. Reversus autem ex gallica expeditione Cæsar, paceque cum Rege *Francisco* apud *Crispiacum* initâ, Cæsar conventum Ordinum Imperii *Wormatiæ* rursus indixit, eoque cum *Granvellano Viglium* (1) præmisit, ubi & Rex *Ferdinandus* comparuit, adversus quem Regina *Maria* gravem controversiam instituerat pro dote *Hungarica* ac parte hereditatis, ab dicto Rege *Ferdinando*, uti prætendebat interceptâ. Cum autem operam patrociniumque ejus in ea causa Regina requisivisset, non aliter in id consentire voluit, nisi Cæsare ipsoque Rege annuente jubenteque.

LI. Multum autem ab utroque fratre Cæsare ac *Ferdinando* in prædictis Comitiis allaboratum fuit, ut Religionis in Germania dissidium * componerent: verùm cùm id ob potentiam eorum, qui *Protestantes* dicebantur (1) Ligaque *Smalcaldicâ* confœderati erant, non successisset, alia Cæsar consilia quærere coactus fuit. Quæ Duci *Bavariæ* absenti communicare confidenter cupiens, *Viglium*, quòd in servitio ipsius olim fuisset, ad hoc delegit, qui eum humaniter accipiens, sese ad voluntatem Cæsaris Regisque accommodare in omnibus paratum offerebat.

* Componeretur. *Adr. Gaud. in utroq. cod.*

Quarta legatio.

LII. Reversus autem in Belgiam Cæsar, apud *Brugas* cùm Gallorum Anglorumque controversiis componendis Consiliarios aliquot primarios deputasset, *Viglium* etiam ipsis adjungere placuit, ac deinde sub finem anni 1545 *Trajectum* proficiscens, ut ibi Capitulum ordinis Aurei Velleris celebraret, eodem ipsum sequi mandavit. Ac deinde Cæsar rursus apud *Ratisbonam* indictis Comitiis, eodem illum proficisci voluit, atque ex via ad *Albertum* (1) Archiepiscopum ac Cardinalem *Moguntinensem* graviter decumbentem, salutandi visitandique causâ eum misit, qui officium hoc gratissimum habuit, lubontiùsque se mortem, quam sibi instare dicebat, laturum dixit. Ac eo inde discedente, post aliquot dies ejus mors Cæsari nunciata fuit, quam dolenter admodum intellexit.

Quinta legatio.

LIII. Ratisbonam autem (1) mense Februario Cæsar pervenit, quò *Protestantium* Principum nemo advenit. Et cùm secretos conventus eos inter se habere intelligeret, ipse quo-

que, quod diu meditabatur, exequi constituens, ea quæ ad tantam rem exequendam necessaria erant, in tempore providit, celebratisque ibi nuptiis inter *Albertum* Ducis Bavariæ filium cum Regis *Ferdinandi* filia *, ac Ducis quoque *Juliacensis* seu *Clivensis* cùm altera ipsius Regis filia †, cæpêre mox exoriri graves belli rumores, *Protestantesque* primi ad arma prosilière, ac Cæsarem nondum satis paratum aggressi ‡, eâ virtute ac prudentiâ Majestas sua illis occurrit, ut apud *Ingolstadium* (2) junctis exercitibus conatus adversariorum fregerit irritosque reddiderit, eosque ita delassarit, ut tandem dimisso exercitu domum quisque redire coactus fuerit, ac arma Cæsare retinente multi Principes Civitatesque quæ contrarias partes secutæ fuêre, culpam deprecantes se Majestati suæ sub conditionibus a *Viglio* conceptis dediderint.

* *Anna*
† *Maria*

‡ Sunt, qui. *Ita codex uterque Adr. Gaud. a quo utroque absunt verba: Majestas sua.*

LIV. Dum autem Cæsar juxta *Neuburgum* castra-metaretur, incidit in gravem ægritudinem *Carolus Boisot* Consiliarius ac collega conjunctissimus ipsius *Viglii;* qui Ratisbonam relatus, diem ibi clausit extremum. Is autem fungebatur in Flandria officio Thesaurarii ac Custodis Archivi in (1) *Rupelmundana* arce conservati, quod ejus morte vacans a multis expetitum fuit: sed Cæsar omnibus *Viglium* prætulit.

Sexta legatio.

LV. Qui cùm per omne hoc tempus Cæsaris castra secutus esset, ac sub tentoriis vitam duxisset, tandem mense * januario anni sequentis 1547 monente Pontifice, requirentibusque Capituli ac Cleri Colonienſis Legatis, *Viglium* Majestas sua (1) Coloniam ad conventum † ibi indictum misit, ut cum ‡ Comite *Hochstratano* Gubernatore Ducatûs *Geldriæ*, mandata super privatione exauthorationeque Archiepiscopi *Colonienſis* exponeret. Quod iter ex castris *Coloniam* usque non sine magno periculo peregit. Ubi convenientibus plusquam quadraginta oppidorum legatis, multisque Prælatis, Comitibus, nobilibusque ditionis Archiepiscopi *Colonienſis*, mandata sua eâ dexteritate exposuêre, ut tandem acquieverint Pontificis sententiæ, cujus executio Cæsari commissa fuit, ac Coadjutorem ejus *D. Adolphum* (2) ex Comitibus a *Schouwenburg* renunciatâ fidelitate *Hermanno*, qui Archiepiscopatum multis annis administrarat, in ejus possessionem induxerint §.

* *Hæc expressit Heussenius in Hist. Episcop. Leovardiensis pag.* 107. *Col.* 2.
† Ab Cæsare. *Adr. Gaud. in utroq. cod.*
‡ Philippo. *Idem.*
§ *Hactenus*

LVI. Reversus autem inde *Viglius*, mox ab Regina in Curiam revocatus fuit, quæ commissionem ei satis difficilem impo-

imposuit, ut videlicet possessionem aliquarum Urbium in *Westphalia* * acciperet, quas (1) *D. a Cruningen*, *Comes a Beversteyn* (2) ac (3) *Christophorus a Frysberg* Reginæ tradere obtulerant pro ingenti pecuniæ summa, quinquaginta quinque millium scilicet florenorum, pulverumque munitionibus ad expugnandam urbem *Bremam*, quam obsederant, necessariam. *Viglius* autem *Covordiam* cum pecunia aliisque perveniens, cùm aliquot per *Reynoldum a Burmania* Drossatum *Covordiensem*, ac *Joannem Fisker* schultetum *Amorsfordiensem*, vexilla militum colligi curasset, quæ præsidio oppidis tradendis imponeret, subodoratus ea in eorum † potestate non fuisse, doloque ac fraude cum eo agi, ut pecuniam extorquerent, licet promissa complere nequiviſſent, cùm aliquot equites ad eum *Covordiam* venissent, intempestâ nocte pecuniam in locum tutum *Groningam* secretò perferri curavit, corvosque hiantes delusit, magnasque illi gratias pro rebus servatis Regina egit. Ac mox ad Curiam Reginæ reversus, ab Cæsare rursus post Saxonicam victoriam, Augustam redeunte revocatus, lubenter excusationem prætexuisset, sed iteratis litteris evocatus, emanêre non est ausus.

Heuſenius.

* Ac Frisia. *Addit Adr. Gaud. in utroq. cod.*

† Plena. *Addit. Adr. Gaud.*

LVII. Eodem autem confluxêre frequentes Legati Principesque ex Germania, & aliis nationibus, ac tum imperiali consilio præfectus fuit *Maximilianus ab Austria Ferdinandi* filius, *Vigliusque* ei adjunctus, qui eum in agendis instrueret. Advenit autem eodem Regina *Maria*, concluſumque fuit matrimonium inter prædictum *Maximilianum* ac *D. Mariam* seniorem Cæsaris *Caroli* filiam, commissioque *Viglio* data, ut Tractatum antenuptialem conciperet. Accidit autem in iis Comitiis, ut Comitissa *Ritbergensis*, cujus arcem oppidumque *Bremenses* milites occuparant, ad *Viglium* propter patriæ *Frisiæ* conjunctionem recurreret, interceſſionemque ea requireret; quod ita dextrè peregit, ut triginta dalerorum millia Reginæ numerarit, feudumque *Esensis* dominii ab Cæsare tanquam Duce *Geldriæ* pro gratia recognosceret. Ac cum Cæsar mandasset, ut cum Archiepiscopo *Trevirensi* super aliquibus controversiis Ducatum Luxemburgensem concernentibus tractaret, ad felicem quoque concordiam rem perduxit. Illud quoque non minimum ejus fuit servitium in dictis Comitiis *Augustanis* præstitum, quod ipso principaliter negocium dirigente, concordia ac Tractatus inter Cæsaream Majestatem

tanquam Dominum inferioris Germaniæ ac Status Imperii initus fuerit super veteribus controverſiis ac pretenſionibus tam ratione feudorum, jurisdictionis ac contributionum aliisque nonnullis juribus. Quæ quidem Tractatus multæ lites, quæ ad judicium Camerae trahebantur, aliaque malignandi materia Germanis præciſa fuit.

LVIII. Ipſe autem deinde cum Cæſare in Brabantiam rediit, ac cùm (1) *Ludovicus a Schora* Præſes ſecreti Conſilii (2) menſe Decembri vitam cum morte commutaſſet, ipſe nihil tale cogitans expectansque, in ejus locum ſurrogatus fuit (3) Kalendiſque Januarii anno 1549. muneri huic inauguratus, conatus fuit quanto potuit ſtudio, ut ei officio ex dignitate ſatisfaceret. Cæſar autem, ut auctoritatem officii ſuo favore adjuvaret, Equeſtri eum honore inſignivit. Et adveniente ſub menſem Aprilem ſereniſſ. Principe *Philippo*, unico Cæſaris filio, *Viglio* commiſit, ut ipſum de Statu harum Provinciarum inſtrueret, ac proceribus, Ordinibuſque earum ad congratulandum affluentibus, nomine ipſius reſponderet. Cumque ſequente menſe Auguſto Princeps viſitare has Provincias conſtituiſſet, petiiſſetque Cæſar eum in futurum Principem recipi, cum eo miſſus fuit ad Provincias, præſertim quæ Germanico idiomate utuntur, ut conſueta inaugurationis ſacramenta præſtarentur. Quod officium cum ea dexteritate ac gratia obivit, ut ab eo tempore Princeps ſemper eum ſingulari favore amplexus fuerit: Pragmaticamque (4) tum Conſtitutionem direxit, quâ omnes Provinciæ inferioris Germaniæ in hoc concordarent, ut in ſucceſſione dominii Repræſentationi locus ubique eſſet. Illud quoque effecit, ut in Tractatum *Auguſtæ* cum Statibus Imperii initum Provinciæ omnes conſentirent, ſigilliſque ſuis confirmarent.

LIX. Edita tum quoque fuit, *Viglio* ſuggerente, ab Cæſare * adverſus fœneratores, qui *Lombardi* vocantur, ut loco ſtuferi non poſſent hebdomadatim pro libra groſſorum Flandriæ niſi blancam (1) id eſt, tres ejus partes pro uſura accipere; neque liceret ipſis res furtivas pignori accipere; cogerenturque anno elapſo in publico foro pignora venumdare, ac, quod plus valerent quam debitum aſcendat, reſtituere, neminemque ſibi aſſociare in uſuris †; ut videlicet qui hujuſmodi

* ordinatio. *Adr. Gaud.*

† exercendis. *Idem.*

jusmodi lucra percipiunt, ab cæteris dignosci valeant; quod postea quorundam Curialium avaritiâ depravatum est.

LX. Valde autem commovit *Viglium* Cæsareæ Majestatis rigor, qui Dnum de *Froymont* in ipsius ædibus comprehendi jussit, quem condemnatum magnâ contentione a morte vix eripuit.

LXI. Cæsare autem cum Principe anno sequente, 1550 scilicet, redeunte ad Comitia *Augustæ* indicta, nonnullum Antverpiensis facescere cœperunt negotium, ob Edictum de Religione (1) paulò ante abitum ab Cæsare publicatum; sed Regina *Augustam* evocata difficultates eas composuit, novoque Edicto edito murmurantium ora obturavit.

LXII. Mortuo autem sub idem tempus (1) *Vincentio Cornelii* Thesaurario generali, qui officio quoque * M. Registrorum in Hollandia fungebatur, illud Regina in *Viglium* contulit, alterumque quod in Flandria antea gerebat, Thesaurarii videlicet ac Custodis Archivi, Doctori *Hermeti à Wingbene* (2) Consiliario secreti Concilii resignavit.

* *Magistri.*

LXIII. Sub finem autem ejus anni advenientibus (1) *Binzium* ad Reginam Legatis Reginæ Regnique Scotiæ, concordia ac pax, quæ occasione regni Angliæ conturbata aliquot annis præcedentibus fuerat, resarcita fuit, *Viglio* potissimùm authore, qui Tractatum inter Reginam ac prædictos Legatos initum, sub ratificatione Cæsaris concepit. Abeunte autem deinde in Germaniam Reginâ ab Cæsare (2) evocatâ, administratio Provinciarum aliquibus Consiliariis, inter quos & *Viglius* erat, commissa fuit.

LXIV. Accidit autem paullò pòst infelix casus per attentatam Landtgravii (1) qui apud *Mechliniam* (2) detinebatur, fugam; unde non paucæ in Curia molestiæ exortæ fuêre, indignè ferente Cæsare non diligentiorem custodiam adhibitum fuisse. Laboratumque multùm, ut ab duriore supplicio nobilis quidam *Bremensis* Landtgravii puer, qui fugæ director habebatur, eximeretur. Injunctumque deinde ab Cæsare *Viglio* fuit, ut deinceps nihil ad Landtgravium ab quoquam scribi posset, neque etiam ipse aliquas quoque litteras mittere, nisi a *Viglio* visitatæ antea fuissent. Sed cum *Mauritius* Dux Saxoniæ filiusque Landtgravii (3) ac alii nonnulli Principes longam diu detentionem ipsius ægriùs ferrent, exercitumque contraxissent, ut quod precibus impe-

trare non poterant vi extorquerent, Cæſar apud *Ænipontem* hærens, & ad reſiſtendum imparatus, *Villachium* * conceſſit, ac interea apud *Paſſavium* Rex Romanorum (4) inter Majeſtatem Cæſaream ac *Mauritium* conſorteſque ejus belli, eò rem deduxit, ut in liberationem Landtgravii Cæſar conſentiret. Ac multùm † in ejus executione, ſereniſſ. Reginæ ac *Viglio*, per quem negotium dimiſſionis tractabatur exhibitum fuit.

LXV. Eam autem (1) occaſionem Rex Francorum ‡ arripiens, arma ſua, favente *Mauritio* ſociisque ejus belli, Germaniæ inferre non eſt veritus, verùm diſcedentibus ab cæpto *Mauritianis*, Cæſar ingentem contraxit exercitum, cum quo in Galliam profectus fuit, urbemque imperialem *Mediomatricum*, quam Galli inſidiis ante occuparant, recuperare ſtudens, cùm aliquot menſibus eam obſediſſet, hiberni temporis incommoditate ſpe ſua fruſtratus, ad inferiorem ſuam Germaniam rediit, eodemque § anno Dna *Léonora* vidua Franciæ, cum apud ſororem Bruxellæ degeret, & permiſſu Cæſaris, *Viglium* in Conſiliarium cum honorario, ut res ſuas patrimoniales unà dirigeret, aſſumpſit; ac ſub idem tempus *Jaquelinam Damant* (2) Chariſſimam uxorem *Viglius* amiſit.

LXVI. Variâ autem fortunâ per aliquot annos inter Cæſarem & Gallum pugnatum fuit, multoſque labores *Viglius* interea ſuſtinuit, ut apud Status neceſſariæ in ſumptus belli pecuniæ impetrarentur, cujus ſollicitationis potiſſima cura Præſidi *Viglio* incubuit, dum alter collega, *de S^te. Mauritio* (1) nominatus, viribus impar, miſſionem impetrat; quo diſcedente, Cæſar utriusque Præſidatûs, & Statûs & Secreti Concilii officia iterum in *Viglio* univit.

LXVII. Rege autem *Eduardo* Angliæ defuncto, cùm ad *Mariam* (1) regnum delatum eſſet, declaraſſetque Cæſar ſibi non ingratum fore matrimonium ejus cum *Philippo* filio, *Viglio* conficiendi conſcribendique Tractatûs commiſſio data fuit; ac poſtea cùm *Philippus* in Angliam appuliſſet, Regina Angliæ de pace reconcilianda inter Cæſarem ac Gallum agere inſtituit, conſtitutuſque fuit locus communicationis apud *Marcam* pagum, non [*longè*] ab Caleſio Gravelingâque ſitum, deputatiſque eò Duce Medinæ-cœli, *Antonio* Epiſcopo Atrebatenſi, *Viglioque* cum aliquot aliis primariis viris ex parte Cæſaris,

* *Willaeb. in Corinthia.*

† *Supple:* laboris, *aut quid ſimile.*

‡ Henricus. *Adr. Gaud.*

§ *Quæ ſequuntur, in Autographo exſciſſis paginis deerant, & ex Adriani Gaudani Codice ſuppleta ſunt.*

Cæsaris, ac Cardinale Lotharingiæ, Conneſtabili, ac *Morvelerio* Epiſcopo Aurelianenſi ex parte Regis Francorum, & Mediatoribus ab Angliæ Regina eodem miſſis, videlicet (2) *Reginaldo Polo* Cardinale, *Arondellio*, ac *Vitomo* Decano Cantuarienſi, fruſtra inter eos laboratum fuit, evocatoque paulò pòſt ad ſe ex Anglia *Philippo* filio, de abdicando (3) imperio, renunciandiſque ei regnis, Cæſar ſerio agere cœpit. Quod conſilium *Viglius* multique alii ſummopere improbabant, quòd verebantur, ne Regina quoque *Mariæ* gubernationem inferioris Germaniæ dimitteret, animadvertebantque apud Regem, rerum hujus Provinciæ non ſatis peritum, inſinuare ſe juvenes quoſdam, quorum ſtudium ad innovandas res exauthorandoſque antiquos Miniſtros, rerumque confuſionem tendere conſpiciebatur: qui antea Cæſaris Reginæque auctoritate repreſſi fuerant.

LXVIII. Cæſare itaque propoſitum ſuum exequi mandante, cùm omnes Miniſtri juramento munereque ſuo ſoluti eſſent, *Viglius*, qui multitudine magnitudineque negotiorum ſe obrui, & novi Gubernatoris imperium ſubire neceſſe habebat, multitudinemque procerum in Conſilium Statûs cooptari videbat, quibus difficile futurum erat ſatisfacere, in animum ſuum induxit, velle ſe curis officioque Præſidiali ſubducere. Quod conſilium cùm Reginæ expoſuiſſet, atque illa ad Regem Cæſaremque detuliſſet, omnibus modis inſtitêre, ut in ſervitio perſiſteret: ac cùm eodem tempore (1) Abbas *S^ti. Bavonis* queſtus eſſet, ſe a multis proceribus inquietari pro admittendo in Coadjutorem Eccleſiæ ſuæ uno ex filiis eorumdem, videlicet *Marchio* Verienſis, Comeſque de *Boſſu* ex una parte, Dominus de *Brederode* ex alia, aliique nonnulli, quorum vota penitus abominabatur, quòd non Coadjutores ſed Dominos ſibi adſciturus eſſet, aperuit conſilium ſuum Præſidi *Viglio*: ac quoniam jam dudum, mortuâ uxore, illum conjugium repetere, licet magnæ offerrentur conditiones, nolle intellexerat, ipſum ſponte in Coadjutorem aſſumere offerebat, perſuaſoreque utebatur Rever^mo. Epiſcopo *Atrebatenſi*, cùm poſtea caſu vacationis adveniente, ſi ſuccedere eidem nollet, integrum eſſet repudiare. Cum autem ille grandævus eſſet ætate, offerretque illi competentiam non minorem ſtipendiis quæ a Curia percipiebat, cœpit aures ſuas accommodare,

dare, ac re cum Regina per dictum Episcopum communicatâ, illa continuo ad Regem accurrit, optimam occasionem oblatam esse, quò illum in servitio suo retineret, quatenus scilicet ipse Rex ceu patronus ejusdem Ecclesiæ *Sⁿⁱ. Bavonis*, in Coadjutorium consentiret. Rex autem confestim occasionem eam amplectens, mox assensit, vocatumque ad se *Viglium* benignè appellavit, seque optare ut triplo majus esset quod dabat, cum majora longe eum promereri diceret; addens, rogare se, ne de ejus servitio relinquendo cogitaret, sed uti patri Cæsari fideliter servivisset, ita sibi quoque ministerium ad annos aliquot impenderet. Egit ille gratias, resumptoque animo, non obstantibus omnibus difficultatibus, servitium continuare sub Regia Majestate ejusdemque novo Gubernatore Dno *Emanuele Philiberto* Duce Sabaudiæ assensit, constituitque: renovarique jussit Litteras Commissionis Præsidatûs Concilii Secreti. Ad hæc M. Regiſtrorum Hollandiæ, ac ordinato Consilio Statûs (2) *Viglium* in illud cooptavit, stipendiumque æquale decrevit. Regina autem cum Cæsare in Hispaniam proficisci constituens, *Viglio* quoad ipse viveret ducentos florenos annuos donavit, eidemque cum aliis quibusdam superintendentiam bonorum suorum, quæ habebat in Belgia, commisit, sigillique sui custodiam ejus fidei credidit.

LXIX. Anno autem sequenti, 1557, post prælium *Gravelingense*, Rex ad exercitum qui ante *Sᵗᵘᵐ. Quintinum* (1) erat proficiscens, transivit *Montem Hannoniæ*, ubi solemnem fecit introitum, indeque *Valencenas* ac *Cameracum* concessit, cui *Viglius* comes fuit. Victoriâque insigni apud *Sᵗᵘᵐ. Quintinum* contra Gallos obtentâ remissus fuit *Viglius* cum Comite *de Lalaing* Bruxellam, ut cum deputatis Statuum, qui eo evocati erant, super durabili aliquo subsidio agerent, quod deinde anno 1558 in novennale conclusum fuit, eoque obtento consensu Rex *Atrebatum* mense Augusto cum exercitu profectus fuit, ac tum temporis renovata fuit Pacis tractatio cum Gallis, quæ *Insulis*, authore * Conestablio Franciæ ac † *Duo de Sᵗᵉ. Andrea*, qui ante *S. Quintinum* capti fuerant, ac ad Monasterium ‡ *Chari-campi* in Comitatu *Sᵗᵉ. Pauli* continuata fuit, ubi etiam *Viglius* ab Rege ad hoc deputatus fuit. Verùm ejus adversa valetudo, quæ mense Septembri *Atrebati* illum invasit, impedimentum præstitit, quo minus operam

* *Anne de Mommorancy.*
† *Mareschal de St. André.*
‡ *Cercamp en Artois.*

operam ſuam ei impendere poſſet, adeoque illum afflixit, ut menſe Novembri vix ſemi-vivus *Bruxellam* reductus, nec ab eò tempore unquam rectè valuerit. Sequenti autem anno 1559. accidit mors (1) *Annæ Baviæ* conjugis *Petri Damant*, chariſſimæ ſocrus ipſius.

LXX. Rex autem ægrotantem ſæpe per medicos familiaresque ſuos eum inviſere conſolarique dignatus fuit, Bibliothecariique officium impoſuit, ac paululum recuperatis viribus *Gandavum* Regem ita petentem ſequutus fuit; ubi in rebus plerisque magnis Majeſtati ſuæ Conſilium impartivit, * menſeque Auguſto anno 1559. ex medicorum conſilio hortatuque amicorum ac Regis permiſſu *Aquis-granum* ad balneas valetudinis curandæ cauſâ proficiſci decrevit. Itaque Majeſtati ſuæ † apud *Gandavum* valedicto, ſalutatâque Illuſtriſſ. Duciſſâ *Parmenſi* Gubernatrice novâ, iter illuc ingreſſus eſt, comitante illum Doctore *Nicolao* (1) *Bieſio*, primario Medicinæ Profeſſore apud *Lovanium*, cujus conſiliis calidis uſus per ſex hebdommadas ibidem aquis, non modicum levamen ſenſit, revertentemque inde *Bruxellam* (quò ſub idem tempus etiam Duciſſa *Parmenſis* Gubernatrix nova, ex *Zelandia*, quò Regem in *Hiſpaniam* navigantem comitata fuerat, appulerat) admodum eadem benignè accepit, retulitque quæ ei de ipſo Majeſtas ſua commiſerat: nempe ut quemadmodum ſummâ fide ac induſtriâ Cæſari ac ſibi, nec non Reginæ, ac Duci *Sabaudiæ* prædeceſſori ſuo operam conſiliumque præbuiſſet, ſperare ſe, ut eadem uſa & ipſa, magnum in felici gubernatione adjumentum ſentiret. Cui lubenter omne officium obſequiumque ſuum detulit impenditque; [quoad uſque poſt Cardinalis *Granvellani* diſceſſum ejus gratia aliò converteretur.] Reliquum autem illius anni ſequentis tempus quietum fuit, ac animi omnium qui Gubernatrici aſſiſtebant, ſatis concordes. Ipſe quoque paulatim, tametſi nunquam ſatis rectè valebat, leviores tamen corporis cruciatus paciebatur, multùmque valetudini conferebat animi hilaritas, ſollicitudinum graviorum expers.

LXXI. Duas itaque tum temporis ſub Kal. Januarii 1560. neptes elocavit, unam *M. Jacobo Heſſelio* (1) Regio *Gandavi* Conſiliario, ‡ alteram (2) *Feickoni a Fritema* Quæſtori *Groningenſi*. Ipſe quoque perpendens quantum ex balneis proxi-

* *Hactenus ex Adriani Gaudani codice ſuppletum.*

† Ac Duci ſabaudiæ gubernationem Belgiæ dimittenti. *Adr. Goud.*

Quæ uncinis diſtincta ſunt, ea Adr. Goud. omiſit.

‡ & procuratori generali. *Adr. Goud.*

mo anno adjutus fuisset; cùm a multis illi *Enisuna* thermæ non longè a *Confluentia* ad *Lenam* fluvium sitæ commendatæ essent, illuc mense Maio anno 1560. fuit profectus, quò multi vicini Principes ipseque Elector *Colonensis* * ac *Trevirensis* †, Landtgraviusque ‡ *Hassiæ* multique vicini Comites per internuncios suos salutatum illum visitatumque misêre, omniaque ei officia obtulêre. Cura interea sigillorum Rev^mi Episcopo *Atrebatensi* commissa, qui Præpositum (3) *Morillonium* ei adjunxit, quò curam valetudinis ejus gereret, ac de successu subinde ei perscriberet. Inde vero feliciter reversus, rogante eum Abbate *S^ti. Bavonis*, uti sese apud (4) *Lac-Christi* inviseret, annuente Ducissâ eò ivit, humanissimèque ab eodem susceptus, & per omnes ejus ædes in *Wolffdene*, (5) *Everghem* ac *Gandavum* deductus fuit, deque rebus suis cum eo multa collocutus, discedentem rogavit, ut illis quos ad illum Bruxellas missurus esset, non gravaretur operam suam in directione ultimæ voluntatis suæ impartiri.

* Antonius Comes a Schauwenburg.
† Joannes de Petra.
‡ Philippus.

LXXII. Anno vero sequenti *Frisiam* patriam (a qua pene septemdecim annis abfuerat) ut inviseret, Ducissa benignè concessit; quò eum Dnus *Morillonius*, *Hessliusque* comitati sunt: honorificèque ab civitatibus populoque universo susceptus fuit, ac in *Zuichemensi* villa Doctoris *Igrami* (1) Consiliarii Frisiæ cum nepte suâ nuptias solemniter celebravit, nepotumque ac liberorum fratris *Serapionis* sororumque prædefunctarum rationes ab tutoribus exegit, ac paternorum maternorumque bonorum partitiones de propinquorum ac eorum, qui jam ætatem habebant, consensu fecit, multasque inter amicos discordiarum causas sustulit, [ac tot ibi visitatores ac salutatores habuit, ut propemodum gavisus fuerit (se) Ducissæ litteris in Brabantiam revocari.]

Omissa ab Adr. Gaud.

LXXIII. Interea Dno *Francisco Sonnio* (1) sollicitante novorum Episcopatuum progressum, in serenitate hac temporis nubecula quædam exoriri cœpit, quod ex Abbatiarum quarumdam bonis dos sumenda esset. Et proceres quoque majores, novarum harum dignitatum institutionem suis quoque luminibus (2) obstructuram persuasum ‡ haberent, ac paulò post Episcopo *Atrebatensi* (3) in Cardinalium Collegium cooptato, Abbatiâque (4) *S^ti. Amandi* illi commendatâ, atque ad Archiepiscopatum (5) *Mechliniensem*, qui Primas omnium erat

‡ habebant. *Adr. Gaud.*

erat futurus, assumpto, *Affligemensique* (6) primariâ illi Brabantiæ Abbatiâ attributâ, multorum ipse invidiæ expositus fuit.

LXXIV. Præcipuè vero indignationem præ se tulit Princeps *Auriacensis*, qui primatum inter Status Brabantiæ gerebat, superintendentiamque affectabat quam idem Cardinalis cum Regis authoritate non satis convenire aliquando dixisse ferebatur. Quod graviter Princeps, aliter relatum quam ab eo dictum fuisset, accipiens, apertè se ejus inimicum declaravit, aliosque in odii societatem adducere studuit. Addidit autem oleum camino, quod ipse Princeps secundas nuptias cùm Ducis *Saxoniæ Mauricii* unicâ relictâ filiâ * expetens, cùm intelligeret Regem non satis id matrimonium probare, culpam omnem in Cardinalem rejecit. Cumque ea affinitas *Augusti* Ducis *Saxoniæ* patrui novæ conjugis, Landgraviique avi materni vatiniano odio, ob id quod Cæsaris Caroli V. tempore acciderat, † prosequeretur, & rancorem eum augeret Religionis diversæ studium, ad quod Principem incitabat mater ac fratres totaque pene cognatio ac affinitas novis dogmatibus dedita, cum magno Provinciæ nostræ malo odium isthoc prorupit, quo semel infecta Respublica semper in ruinam postea tendere visa fuit.

Quæ hoc numero & duobus sequentibus prodit Viglius, ea omnia omissa reperi apud Adr. Gaudan. in utroq. cod. nec Suff. Petri de his meminit.

* Anna.

† *Supple*: eumdem Cardinalem. *Id enim deesse videtur.*

LXXV. Cùm verò Præses ipsius Cardinalis amicitiâ familiariter uteretur, vix & ipse malevolentiæ calumniæque jacula evasit. Eâ tamen prudentiâ usus fuit, quam & ministerium suum, ac Regis Reipublicæque servitium expostulabant, ut justam partium offensam non incurreret. Cardinali enim uti antea omnem honorem cultumque deferebat Ipsum autem Principem, *Egmondanum*, cæterosque ejus factionis proceres honoravit semper, atque ad concordiam hortatus est tum publicè tum privatim, ac de Religione, Edictis, Episcopatibus novis, Conciliique Tridentini Decretis, cæterisque quæ ab illis in disputationem trahebantur; eâ modestiâ iisque argumentis, ac Regis potissimùm auctoritate nisus proferebat; ut illi ab eo se lædi nullo pacto conquiri possent.

LXXVI. Sub finem autem anni 1561. Rex iis discordiis auditis, per (1) *Courtewillum* de quibusdam Ducissam admonuit, per quem Præses harum factionum valde pertæsus,

& cùm integram valetudinem recùperare se posse desperaret, apud Regem supplicavit, quò illum munere suo exonerare placeret. Ad quod Rex respondit, pacientiam haberet, donec ipse, ut constituerat, huc rediret, pollicitus interea egregiè illi recompensaturum labores suos, ac ex tunc promittens quadringentos quinquaginta florenos annuos super bonis in *Bildia* (2) ei jam antea oppignoratis, duoque millia ipsi in donum mittens.

LXXVII. Interea autem animos multorum ad novitatem impellebant Gallicæ de nova Religione turbæ; adversus quas ut sese Ducissa muniret, mense Maio anno 1562. Equites Ordinis Aurei Velleris ad se evocavit, cum ipsis deliberatura super iis quæ ad tutelam Provinciæ spectarent. Quibus Præses gravi Oratione pericula remediaque omnia proposuit. De qua eam satisfactionem Ducissa habuit, ut in tota vita nihil se melius, facundius, ac convenientius audivisse diceret. Verum cùm deliberandum super iis esset, spacio cogitandi sumpto, Princeps *Auriacensis* ad suas ædes omnes præter Cardinalem ac Præsidem vocavit, ibidemque cum eis non ut Regiis Consiliariis, sed ut fieri solet, cùm Statibus seorsim aliquid proponitur, deliberanda censuit: cùm multa præsertim in deliberationem venirent, quæ non satis confidenter coram ipsa Ducissa, præsente præsertim Cardinali *Granvellano*, ventilarentur. Cui contradicere cœpit (1) *Barlemontius*, eique nonnulli adhæsêre, uti Comes (2) de *Bossu*, Comes (3) *Joannes* Frisiæ Orientalis, Dnus (4) de *Courieres*, & alii quidam hisce factionibus non dediti: qui allegabant, se ab Ducissa consilii præbendi causâ advocatos fuisse. Quod intelligens Ducissa, eos ad se vocatos sententiam suam dicere jussit, quæ eò tandem deducta est, ut Statibus convocatis de provisione aliqua rei pecuniariæ per ipsorum obligationes faciendâ postulatio fieret, eaque de re propositio ad Status facta sub finem Junii. Eâ autem non infeliciter tum per ipsum Præsidem factâ, mali ominis signum ei fuit, quod domum reversus morum arborem prægrandem in horto ædibus suis contiguo turbine venti dejectam reperit. Nec certe magnus ex propositione illa fructus secutus fuit, (5) sive ob nonnullorum siniſtras machinationes, sive quod in Galliis turbis utcumque sedatis, eâ provisione opus esse non videbatur.

LXXVIII.

LXXVIII. Sub idem autem tempus viſum Duciſſæ fuit Dnum de *Montigney* in Hiſpaniam ad Regem mittere, ut apud Majeſtatem ſuam rei pecuniariæ ſubſidium ſollicitaret; [verum is egregiè ferebatur ignem contra Cardinalem accendiſſe, & ſub principium anni 1562. reverſus Regem res iſtius Provinciæ parum cordi habere renunciavit, quod aliis ad exequenda ſua conſilia animum addidit.] *Omiſſa ab Adr. Gaud.*

LXXIX. Sub idem tempus, id eſt, decimâ-octavâ die Januarii defunctus eſt *D. Lucas Munich* Abbas *S. Bavonis*, confeſtimque accitus Præſes ad capeſſendam poſſeſſionem ejus Præpoſituræ, qui ipſum quoque heredem (1) ſucceſſoremque ex Indulto Apoſtolico nominarat, mox ſe in *Loo-Chriſti* contulit, funusque ante omnia honorificè curavit, ac prius poſſeſſione (2) per procuratorem acceptâ, ipſe deinde ſolennem ingreſſum Gandavi ad Eccleſiam *S. Bavonis* fecit, ſacrisque Ordinibus per congrua intervalla, Illuſtriſſ. Cardinale ſacris operante initiatus, Presbyterque factus, die Dominicâ quæ feſtum omnium Sanctorum præcedit, primum ſacrum celebravit, ac deinde ſolennem benedictionem (3) ab eodem Cardinale accepit.

LXXX. Obitum autem ipſius Abbatis duabus hebdomadis præceſſit mors *Dni Philippi Nigri*, (1) Decani *Bruxellenſis*, & primarii Conſiliarii in ſecreto Regiæ Majeſtatis Conſilio, Cancellariique Ordinis Aurei Velleris. Cum autem Equites ejuſdem Ordinis, qui in hac Provincia præſto erant, in unum conveniſſent, ut ſucceſſorem in eo officio eligerent, nominavere (2) ad hoc * Rev^mum. Epiſcopum (3) *Tornacenſem*, ac Præſidem præfatum, quod præter illius opinionem accidit, cum vereretur, ne familiaritas Dni Cardinalis *Granvellani* potiores Equites ab veteri erga eum affectu alienos reddidiſſet. Transmiſſâ autem nominatione ad Regem, Præſidem *Viglium* ipſe prætulit, confirmationisque litteras expediri juſſit, quarum vigore ab Comite *Egmondano*, ſeniore ejus Ordinis Equite, præſentibus aliquot aliis, in poſſeſſionem ejus dignitatis aſſumptus fuit, juramentumque ſolenne præſtitit; [quod Cæſar *Ferdinandus* intelligens (qui omnium Equitum ſenior erat) litteris ad eum datis, eidem congratulatus fuit, idemque etiam plerique alii fecêre.] * Rmum. Archiepiſcopum Cameracenſem &. *Ita Adr. Gaud.* *Omiſſa apud Adr. & Gaudan.*

LXXXI. Crevit autem adverſus Cardinalem procerum noſtrorum

Omissa apud eundem.

florum contentio, eò usque, ut undecimâ die Martii, *Auriacensis*, *Egmondanus* ac *Hornensis* multâ cum aliis habitâ communicatione, ad Regem de eo ab Senatu ac rerum administratione amovendo, si Rem-publicam salvam esse velit, (1) scriberent; ad quas litteras Rex moderatè respondit, inque suum adventum rem totam rejecit. Post quod tempus, symbolo quodam manipuli (2) sagittarum vestibus servitorum insuti, Confœderationem declaravêre, ac eò rem adduxêre, ut ipsa Ducissa paulatim persuaderi sibi sic passa, ut voluntati eorum acquiesceret, *Armenteriumque* (3) Secretarium in *Hispaniam* ablegaret, ut Regi periculum quod Cardinali imminebat, significaret. Quod & ipse Cardinalis fecisse creditur, ut cum Majestatis suæ licentia secedere in Burgundiam posset, sub prætexto * cùm suorum propriorum, tùm familiæ quoque suæ, & ut matrem ætate gravem inviseret.

* *Supple*: negotiorum.

Omissa ap. eund.

LXXXII. Evocatis autem mense Decembri prædicto anno 1563. generalibus Statibus, propositioni interesse recusarunt, quatenus Cardinalis præsens foret. Quâ re ipsi *Machliniæ* tum agenti significatâ; reditum, donec Status dimissi essent, distulit. Causa autem convocationis, quam Præses ipsis disertè exposuit, erat, ut in ordinariorum præsidiorum stipendia ipsi Status contribuerent.

Omissa.

LXXXIII. Redeunte autem ex Hispania *Armenterio*, ac ab Rege responsum referente, Dnus Cardinalis, fratre suo Dno *a Chantonay* ex Gallia, ubi diu Regium Oratorem egerat, adveniente, in *Burgundiam* decimâ-tertiâ Martii, magno cum Præsidis dolore abiit. Sed tamen præsentia pericula expendens, metuensque graviora, non potuit ipse ei ad tempus recessum non consulere, donec Regis adventu aliqua harum rerum catastrophe fieret.

Omissa.

LXXXIV. Remoto seu recedente Rev^mo. Dno Cardinale, non tantum ejus inimici, qui in senatu erant, non aliter exultavêre quam pueri abeunte ludimagistro, sed ipsa etiam Ducissa servitutem excussisse sibi visa fuit, cùm antea nihil magnum nisi ex ejus consilio resolvere solita esset. Cœpêreque mox venales fieri beneficiorum officiorumque provisiones, remissionum, gratiarumque similium concessiones, quæ in Consilio rejectæ denegatæque essent; ad hæc sortium, quas *Lotterias* vocant, mensarumque fœneraticiarum, passortium,

salvo-

salvorum conductuum, securitatum, quas vocant, corporum, & alia id genus diplomata: unde *Armenterius* ejus privatus Secretarius atque Consiliarius non modicam corrasisse fertur (1) pecuniam. Cumque iis Præses eâ quâ decebat modestiâ refragaretur, ac in iis sigillandis difficultatem nonnullam faceret, alias invenêre artes, quibus authoritatem sigilli eluderent.

LXXXV. Ad hæc cùm de majoribus causis in Secreto Consilio discussis, Præses secundum ordinationes ejusdem, Gubernatrici relationem facere soleret, ipsa Ducissa ad Consilium Statûs eam, juxta postulationem Principis *Auriacensis* atque aliorum ejus factionis (qui asserebant nihil in Consilio Secreto aut Financiarum tractari aut decerni debere, quod ipsis antea non communicaretur) rejecit: unde accidit, ut causæ Religionis, Inquisitionis, Edictorum, executionis, Decretorum Concilii Tridentini, controversiæque novorum Episcoparuum, ac similes, in Consilio Statûs proponerentur, *causam acceperint multa calumniandi, actaque priora improbandi. Ac in summâ, cùm nihil illi rectum censerent quod priùs actum esset, paulatim collapsa est authoritas Edictorum, observantiaque Religionis & Decretorum ejusdem Concilii, disputarique coepta est de confiscationibus abolendis, præcipuè iis quæ ad Majestatis suæ jus pertinebant; cùm quæ vasallis inferioribus concessæ erant, mordicus tuerentur. Ipse autem Præses nihil magis desiderans, quam ut hisce aulæ curis negotiisque se subduceret; Ecclesiæque suæ debitum officium impenderet,] sub paschalia festa Gandavum adiit, omniaque ibi Ecclesiæ officia ipse executus fuit, eodemque in festo Pentecostes redire cupiens, per Ducissam remoratus fuit, accedente ei ac suborto ulcere pedis, quod ei postea non sine magno incommodo permansit. Incidit postea mense Augusto mors *Ferdinandi* Imperatoris ac *Pii IV.* summi Pontificis. (1)

Omissa.

* *Supple:* Et illi.

Huc usque omissa apud Adr. Gaud.

LXXXVI. Cumque *Bucho a Montaima* (1) Præpositus *S. Joannis* Trajectensis, ex ejus sorore nepos, Theologiæ studio tanto tempore apud (2) *Ruardum* ac (3) *Tilletanum* insignes Theologos operam dedisset, atque aliquot annis sacris Litteris incubuisset, lubens ejus desiderio obsecutus fuit, ut lauream Doctoralem Lovanii susciperet, anà cum Dno *Jacobo Hor-*

Horſtio (4) tum Canonico S. Gereonis, ac nunc Scholaſtico S. Bavonis Gandenſis. Ad quam ſolemnitatem ei comitati ſunt plurimi ex curialibus, ut vix honoratioris actûs Lovanienſes meminerint. (5)

Hic articulus cum duobus ſequentibus, non leguntur apud Adr. Gaud.

LXXXVII. Studia autem procerum Conſilii Statûs quotidie ulteriùs progrediebantur, præcipuèque de jurisdictione Eccleſiaſticis competente abolenda crebri ab eis habiti ſermones, occaſione præbitâ per mortem Præpoſiti Brugenſis, (1) ſuggeſtumque ab *Egmondano* Duciſſæ, ne aliter Epiſcopum (2) ad poſſeſſionem admitteret, niſi jurisdictione quam intra oppidum *Brugenſe* alibique Præpoſitus, cui ſuccedebat, habuerat, ab ſe abdicaret. Multæ etiam in vitam & mores Eccleſiaſticorum invectivæ eorum quotidie audiebantur, ut non parum negotii Præſidi ſæpe fuerit in eorum argumentis refellendis. Verum in hoc minimè conſtitêre, ſed paulatim ultra progredientes, Conſilium Secretum Financiarumque penitùs abolendum cenſuêre, ac jam novam Reipublicæ formam inter ſe excogitavêre, uti omnia in procerum Conſilii Statûs poteſtate adminiſtrationeque deinceps eſſent, pluresque ſui generis homines in id adſciſſendos, abdicatis aliis exiſtimavêre. Ad hæc Præſes aliquoties reſpondit, inſtitutiones ordinationesque Conſiliorum per priores Principes deliberatè prudenterque factas convenire primùm ab ipſis relegi, nec antea novam formam introduci, niſi veteri bene cognitâ & perpenſâ. Quod ad ipſum autem pertineret, cùm ſæpe muſſitaſſent ob Eccleſiaſticum ordinem non convenire ut ſæculari Conſilio præſideat, & ob ætatem valetudinemque ei perſuadendum ut miſſionem peteret, dixit id quod res erat; ſe jam pridem litteris interceſſoribusque ab Rege miſſionem poſtulaſſe, neque quidquam illi gratius fore, quàm ut illam impetret, cùm Deus illi abundè providerit, ut quietè ei deinceps ſervire poſſit. Eâ autem ſæpiùs inculcantes, ipſam etiam Duciſſam in ſuam pertraxêre ſententiam, honore etiam majore quam antea ipſam afficientes, quo muliebris ſexus facilè capitur. *Berlaimontium* etiam tentavêre in ſuam pertrahere ſententiam, interponente *Sehetzio* (3) officium ſuum: verùm iis conditionibus * in gratiam recipere offerentes, ut ipſe libertatem patriæ unà promoveat contra Inquiſitionem & alia gravamina ſæpius expoſita, quas ipſe ſubire recuſavit.

* eum. *Id enim deeſt.*

LXXXVIII.

LXXXVIII. Interea, quoad potuêre, uniones Abbatiarum novis Epiſcopatibus factas diſſolvere conati ſunt, * penitus populi animos ab recipiendis novis Epiſcopis, præſertim illinc ubi non fuêre recepti. Concilii tamen Tridentini publicationem cùm Rex litteris ſuis præciſe mandaſſet, non auſa fuit Ducissa juſſionem ejus contemnere: ſed publicatam in calumniam vertêre: nec potentes diutiùs, quod in animo habebant, diſſimulare, deliberavêre aliquem ex Ordine ſuo ſub Ducissæ auctoritate ac favore ad Regem mittere qui ei latiùs ea exponeret: atque ad illud Comitem *Egmondanum* delegêre, juſſusque Præſes Inſtructionem conſcribere: cùm eam in generalibus terminis concepiſſet, nec tamen ab ceteris improbata eſſet, qui de eorum ſententiis plenius informatus verbis ſupplere poſſet, quod minus expreſſum eſſet, ubi ad Principem *Auriacenſem* dicendi ſuffragium ordo pervenit, ipſe dixit, apertè loquendum eſſe, atque non longiùs diſſimulandum, cùm hæc Reſpublica diutiùs in hoc rerum ſtatu conſiſtere non poſſet. Primum ſiquidem in tantâ vicinorum omnium circa Religionem contentione mutationeque, impoſſibile omnino eſſe, Placcatis, Inquiſitoribus, Epiſcopisque, ac in tanta potiſſimùm Eccleſiaſticorum corruptela veterem Religionis ſtatum conſiſtere poſſe; quod Regi clarè dicendum eſſet. Secundò, quod juſtitiæ adminiſtrationem ſub his Judicibus & Conſiliariis qui corrupti eſſent, odiisque ac inimicitiis inter ſe certarent (allegans Cancellarii Brabantiæ (1) ac *Maſii* (2) exemplum) ſubditi longiùs ferre nequirent. Tertiò cùm res curiæ in tria Conſilia diſtributæ eſſent, ea mutuo ſeſe impedire, ac alterum alteri detrahere, nec meliora eſſe ſperanda, donec uni omnia ſubjicerentur. Quartò, quod ad Conſilium Statûs plures deligendi eſſent viri magni & excellentes, quorum apud populum auctoritas eſſet. Quintò, errare Regem graviter, qui cæteris omnibus, etiam Catholicis Principibus Germaniæ, Concilium Tridentinum aſpernantibus, multisque rationibus impugnantibus, ipſe credat hanc provinciam ipſis adeo vicinam poſſe ad eorum Decretorum obſervationem adduci. Quam-ob-rem rectiùs eum facturum, ſi, quod ipſi faciunt, itidem diſſimulet, Placcatorumque pœnam tollat, moderetur ve. Et quamquam ipſe

* avertêreque

Catholicæ Religioni adhærere constituerit, non posse tamen ei placêre, velle Principes animis hominum imperare, libertatemque Fidei & Religionis ipsis adimere. (3)

LXXXIX. Hæc & similia tantâ vehementiâ longoque sermone deduxit, ut in septimam noctis horam eum protraheret, Ducissaque ad cœnam vocata resolutionem in sequentem diem differret. Domum autem reversus Præses, iisque quæ ab Principe audierat valde commotus, totam pene noctem insomnem duxit, secum meditans, quid ad hæc capita ipse responderet, cùm præter *Berlaymontium* nullum pene esse perspiceret, cui hæc non plausibilia esse viderentur. Itaque mane de lecto surgens, inter vestiendum apoplexiâ attactus est, ut occurrentes domestici amicique in summo eum discrimine versari judicarent. Jamque passim de eò [*actum*] conclamatumque ferebatur, licet propitius Deus ei paulatim meliorem valetudinem redderet: interea *Joachimo Hoppero* ejus partes in Consilio obeunte, qui Instructioni ab Præside conceptæ nonnulla ex suggestione Principis adjecit, re tamen verbis, quantum licuit, temperatâ. Cum autem gravi hoc casu admonitum se Præses animadverteret, ut deinceps occasiones evitaret, ex quibus recidivus morbus accidere posset, Regi enixissimè supplicavit, ut missionem ei concederet, rogans etiam *Egmondanum*, ut verbis fidem adstruere, ac hanc ejus licentiam promovêre dignaretur. Id vero accidit, sub Kalendas Januarias anni 1565. juxta stylum Romanum.

XC. Antequam autem Præses integrè convaleseeret, domique manens valetudini intenderet, ad eum (*accessit*) *Dnus Cornelius Jansenius* (1) Theologiæ apud Lovanium Professor, qui ei expositit, se ab Ducissa evocatum, ut ei Regiam Nominationem ad Episcopatum Gandavensem insinuaret, in cujus dotem bona Præposituræ *S^ti. Bavonis* post ejus mortem cessura essent. Quamquam autem ab Majestate sua de eò admonitus non fuisset, & forte alium morbi eventum Ducissa expectasset, ipse tamen benignè eum amplexus, voluntatique Regis lubenter se accommodaturum ei pollicitus est; obtulitque ei pontificalem aliquem annulum in symbolum benevolentiæ illius erga ipsum. Et quamquam tempora studiaque procerum, quorum supra meminimus, impedimento fuêre, ut pri-

primùm post quadriennium ejus Episcopatûs possessionem consequeretur, cùm mediocris dotis * provisione, donec morte Præsidis amplior ei accresceret: ipse tamen Præses omni fide ac sinceritate benevolentiâque eum est tutatus prosecutusque. (2)

* Trium millium Florenorum. *Adr. Gaudan.*

XCI. Omnium autem animis in *Egmondani* reditum erectis, ac plerisque novarum rerum studiosis aliam Reipublicæ faciem brevi expectantibus, ipsoque Præside missionem sperante, rediit sub Kalendas Maii *Egmondanus* cum eo responso Regis, quod non usquequaque ceteris placebat. Nam Religionis negocium sive potiùs conservationem novem viris examinandum sibique referendum committi jussit, disertè scribens: SE MILLE MORTES OPPETERE MALLE, QUAM AB CATHOLICA RELIGIONE VEL LATUM UNGUEM DISCEDERE. Supervenêre etiam postea Regiæ Majestatis litteræ, quibus absque dissimulatione de hæreticis, anabaptistisque nonnullis incarceratis supplicium sumi jussit. Quæ res non solum multùm sociorum animos turbavit, verum etiam ipsi *Egmondano* graviter displicuit, cùm ceteri ei exprobrarent, quod suum potiùs negotium quàm publicum apud Regem egisset, honoreque in Hispania sibi impenso munificentiâque se corrumpi siviſſet. Novem viris (1) autem evocatis, & in Consilio Statûs, præsentibus Ducissâ, *Auriacensi*, *Egmondano*, *Hornensi*, ac nonnullis aliis, sententias dixêre, quæ postea scriptæ ad Regem missæ fuêre, quæ non satis illis placuêre, quamquam majorem moderationem adhibendam censuêre, quam Regia Majestas probare se posse postea responderit. Ab eo autem tempore cœpêre adversus ipsum Regem plerique voces non satis sanas emittere, ac in vulgus etiam spargere; culpam in Cardinalem ceterosque, quos *Papistas* dicebant, transferentes, capitaque ac Consilia conferentes, quibusnam modis mediisque obviam iri posset: multis calumniis eos impetentes, qui veterem Reipublicæ formam a prudentissimis Principibus præscriptam conservare satagerent.

Et hic rursus articulus ac duo proximè sequentes, ab Adriano Gaudano resecati sunt.

XCII. Cùm autem circa illud tempus Principi *Parmensi* (1) Ducissæ Gubernatricis filio desponsata esset puella ex regio sanguine *Portugalliæ* prognata, ac Comes *Mansfeldius* instructâ classe ad id regnum mitteretur sponsam adducturus,

in ejus reditum nuptiarumque ſolemnem celebrationem, procerumque ac nobilitatis frequentem conventum, deliberationem concluſionemque quid porro faciendum eſſet, diſtulêre. Fuit ad Kal. Decembr. indictus nuptiarum dies, ac in feſto *D. Andreæ* major quam unquam antea Equitum Aurei Velleris numerus comparuit. In quo Præſes Cancellarii officium diligenter obivit, orationemque ad eos habuit, quâ oſtendit præcipuam ejus Ordinis inſtitutionem eſſe, ut fides Catholica conſervaretur, concordia inter primarios viros conſtabiliretur, utque hiſce duobus fundamentis Reſpublica in quieto tranquilloque Statu conſervaretur. Religio autem Catholica eſt, quæ ab ipſis Apoſtolorum temporibus ad noſtram uſque ætatem pervenit, cujus anteſignanus fuit *D. Andreas* hujus Ordinis patronus, in cujus hiſtoria legitur, quod cùm *Ægeas* proconſul eum diis ſacrificare juſſiſſet, reſpondit, ſe quotidie unico Deo patri, JESU-CHRISTI ſacrificium offerre, corpus & carnem filii ſui unigeniti: unde manifeſtè apparet, hereticorum hujus ſeculi error, qui venerandum Miſſæ ſacrificium deteſtabilibus blasphemiis impetunt, ac poſt fidei Religionisque unanimen conſenſum nihil ad ſtatum publicum conſervandum præſentius eſſe vinculum, quam procerum concordia, quâ inter eos conſtante, non ſolum nihil poterunt malevolorum hoſtiumque machinationes, nihil hæreticorum infidorumque ſubditorum molimina. Quam ſententiam pluribus deducendo non omnes æquis auribus accepêre. Cui cùm intereſſet fecialis Ordinis, qui *ab Hammes* (2) cognominabatur, quem vocant *Vellus aureum*, homo ſectis contaminatiſſimus, Præſidem ex legenda *S. Andreæ* ſomnium aliquod recitaſſe dicebat. Quo permotus Marchio *Bergenſis* rogavit ex Cancellario, ubinam id legiſſet? qui miſſo ad eum diſcipulorum *Achaiæ* libello, poſt mortem ipſius *D. Andreæ* edito, impii fecialis calumniam confutavit.

XCIII. Satis autem tum animadverſum fuit, cumplures in novas opiniones inclinare, magiſtro ipſo feciali, qui cum plerisque eorum familiariùs verſabatur, aliisque juvenibus, qui dum credebantur in Academiis peregrè agere, ex *Gebenna* aliisque locis infectis venenum in patriam attulêre. Peractis autem nuptiarum ſolemnibus, haſtiludiisque in magna nobilitatis frequentia, ſupervenêre Regiæ Majeſtatis litteræ, quibus

bus mandabatur, ut Edicta de Religione diligenter obſervari Duciſſa curaret, Inquiſitoribusque in officii ſui exercitio omnem favorem aſſiſtentiamque præberet. Quæ cùm ſupradictis Dominis communicatæ eſſent, mirum in modum fremere cœperunt, & tamen, quoniam populi adverſus Regem clamores incitari poſſe credebant, conſuluêre, ut Duciſſa litteris ſuis ad Conſilia Magiſtratusque mandata Regis perſcriberet: verum videret poſtea Rex quam illud non rectè mandaſſet. Subodoratus autem Præſes id quod futurum erat, ſuaſit ut eæ litteræ eò uſque differrentur, donec Majeſtas ſua certior facta eſſet quam in partem id quod mandaverat, acciperetur. Verum alii in contrarium contenderunt, mandatisque obſequendum duxerunt; ad quod Præſes reſpondit, periculum ejus in ſe-ipſum recipere: ſed nihil id profuit, Duciſſâ eorum ſententiæ aſſentiente, ac litteras mox expediri, jubente. Quâ concluſione acceptâ, Princeps *Auriacenſis* cuidam in aurem dixit (qui pòſt id retulit) quaſi lætus gloriabundusque: *viſuros nos brevi egregiæ tragœdiæ initium.*

XCIV. Cum jisdem etiam litteris Regia Majeſtas ad Duciſſam Præſidemque reſcripſit, quid ſuper ejus longa tandem petitione, ut miſſionem ei concedere dignaretur, reſpondit. Fuit is nuncius ipſi multò gratiſſimus, quo videlicet ab functione Præſidali, quam multis annis exercuerat, liberabatur. Dnus (1) *Carolus a Tysnacq*, qui res Provinciæ hujus cum ſigillorum cuſtodia in Regia aula hactenus curaverat, ſucceſſor illi deſignatus erat, relictâ tamen ipſi *Viglio* dignitate Conſiliarii Statûs, ac Dno *Joachimo Hoppero* in *Tyſenachii* locum ſurrogato. Viſa autem fuit Duciſſa quoque de hac ordinatione non parum gaviſa fuiſſe, quod *Viglium* in plerisque expeditionibus nimis ſcrupuloſum refractariumque eſſe diceret. Verum *Hoppero* in Hiſpaniam profecto, dum *Tyſenachii* adventus expectatur, difficilioraque negotia ac tempora oboriebantur, ad ejus velut antiqui naucleri *Palinuri*que Conſilium (2) refugere coacta fuit.

XCV. Acceptis autem (1) litteris de obſervatione Edictorum, admiſſioneque Inquiſitorum, mox quatuor primariæ Urbes Brabantiæ recurrêre ad Cancellarium Conſiliumque Brabantiæ, magnopere conquerentes de novitate hujusmodi mandatorum, poſtulantes quo illi informare velint Duciſſam, ne

Nihil horum, uſque ad. n. CX. in commentarium

Suum retulit Adr. Gaudan.

ne præter morem graventur. Id quod intelligens Celsitudo sua, causam ad se evocavit, magnaque disputatio in Consilio Statûs fuit, asserentibus Brabantinis nullam se Inquisitionem unquam admisisse, ac de Placcatorum rigore Cæsarem *Carolum* aliqua olim remisisse. Prolatis autem Inquisitorum (2) Bullis Apostolicis, mandatisque Cæsareis, Regiisque, *Secretum Consilium* in contraria fuit sententia. Verum Ducissa ac cæteri, qui eam abhorrebant, Brabantini Consilii autoritatem prætulêre.

XCVI. Interea in *Breda*, *Hoghstrataque* convenientibus Confœderatis, *Brederodius* Comesque *Ludovicus a Nassow* nonnullique alii hujus viæ viri, passim Commissarios suos habuere, qui ligæ confœderationique subscriberent, quâ edictorum rigorem, Inquisitionisque officium longiùs ferre recusabant, nonnullaque alia scripto proponebant, quæ Regis autoritati adversari videbantur. Quæ etsi sub aliis nominibus agebantur, revera tamen ex suggestione eorum, qui hujus sententiæ in Consilio Statûs erant, procedere satis animadversum fuit. Famaque ejus mox ad Ducissæ aures perlata est, additumque brevi centum aliquot nobiles Bruxellæ adfore, qui Ducissæ supplicatum venirent, quo Inquisitionem Edictaque aboleret, Religionisque libertatem cuique permitteret. Ducissa autem quorumdam instinctu consilioque constituit Edicta seu Placcata revidere, ut si quid nimis durum esset, ei moderamen adhiberetur.

XCVII. Hoc cùm fit, ad quintam diem Aprilis magna nobilium turba Bruxellam affluxit, qui velut in acie procedentes, petitâ ab Ducissa audientiâ, supplicationem (1) illi paulò civiliorem quàm Confœderatio contineret, exhibuêre: submoniti a quibusdam, Præsidem dixisse, ut videant quò sic se temperent, ne aliquando illis læsæ Majestatis crimen objici possit. Quibus sic responsum ab Ducissa fuit: rem se omnem Regi perscripturam, atque missis ad eum Commissariis, ea promoturam, quæ rerum Status exigeret; ac interea Inquisitoribus Magistratibusque se scripturam, quo sic procederent, ut nemini justam gravaminis querelam præberet. Ipsos quoque supplicantes admonuit, ne quid interea novitatis attentarent. Delectusque fuit Marchio *Bergensis*, ac D. *à Montigny*, qui in Hispaniam proficiscerentur, ac Regis sententiam exquirerent.

XCVIII.

XCVIII. Hic dici non potest, quantis calumniis Præses impetitus fuerit, pasquillisque ac famosis libellis proscissus. Pessima tamen culpa in Cardinalem derivabatur, curavêreque conjurati, profugos bannitosque ob Religionis causam, revocari, concionesque hereticas passim fieri, ac *Geusiorum* nomen, quod assumpserant, palam proclamari. Et cùm Commissariorum ex Hispania reditus paulo longiùs differretur, in oppido *Stⁱ. Trudonis*, Leodiensis ditionis, rursus convenêre conjurati, evocatis eò ad se plerisque qui dogmatibus novis nomen dederant. Primùm ut pecuniam sumptibus bellicis necessariam submini strarent, deinde ut extraordinariâ aliquâ viâ populum in societatem suam pertraherent, Catholicisque metum incuterent. Ea autem fuit, ut passim conductâ hominum colluvie, templa monasteriaque diriperent, quod mense Augusto Septembrique magna insolentiâ ac protervia factum extitit, vix ut Bruxellensia templa, palatiique capella ab horum injuria tuta fuerit, tantumque metum Ducissæ incusserint, ut de decessu sæpe consultarit. In quibus angustiis cum se constitutam cerneret, Præsidem profusis lacrymis rogavit, ut suum illi Consilium impertiret: qui respondit, se jam per biennii tempus satis animadvertisse, quonam quorundam actiones consiliaque tenderent, & quamquam odio ac invidiæ expositus fuerat, non tamen desiisse ea dicere, quæ Regis servitium, publicaque quies, & recta Religio, justitiaque requirebant: licet non eam fidem respectumque meruerit, quam rerum exitus demonstrat. Ipsa autem circumventionem confessa, obtestari non cessavit, quo in hac rerum perplexitate ei consilium suum communicare non gravaretur. Ad hæc respondit, non ignorare eam, quæ Regis esset circa Religionem & cetera, quæ illi aliquando significata fuere, sententia: convenire itaque ut secum ipsa statuat, Regi obsequi an velit, an vero cum aliis longiùs dissimulare. Non posse autem eum aliter consulere, quàm, cum tota ejus authoritas a Rege dependeat, ut se eam adimplere velle resolvat. Id vero cum se plane facturam affirmaret, tum, quid porro faciendum, rogavit. Cui Præses dixit, idem singulatim ab cæteris qui in Consilio Statûs sunt, gubernationemque aliquam Provinciarum haberent, ut exquireret, absolutè ut responderent: an in Regis voluntate exequenda auxilio illi esse vellent, an non. Usa iis persuasionibus

nibus quibus con .... ut in Regis devotione, fidelitate ac obsequio constanter perseverarent, juramentoque eos qui oppositè responderent, adstringeret. Si qui vero essent, qui dubiè responderent, ab his ut sibi caveret; aliorum autem operâ consilioque uteretur, eisque committeret, uti providerent, ne inermem eam aliquando opprimerent.

XCIX. Id consilium cum sequeretur, paucos admodum repperit, qui Regis partes sequi tuerique promitterent. Inter quos primo loco nominari merentur Comes *Mansfeldius*, Dux *Arschotensis*, *Barlaimontius*, *Noircarmius*. Verùm omnes pene ita rebus desperabant, ut Bruxellam relinquendam, atque ad *Montes-Hannoniæ* secedendum Duciissæ suaderent, solo Præside reclamante. Quem tamen, cum quadam die bene mane ad Curiam ad se evocasset, vel invitum secum abducere constituerat. Ipse autem, cum in palatium veniisset, Duciissamque itineri accinctam reperiisset, multâ oratione conatus est ei persuadere, ne hoc oppidum, sedem Principum, tanto probro periculoque exponeret, neve Consiliarios ministros que reliquos, qui ipsi abs Regia Majestate coadjutores dati essent, non præmonitos, desereret, neve invitum se unà pertraheret, paratum potius omnia subire, quam tantam infamiam incurrere: consultandoque tempus extractum est, ut ceteri etiam Domini, Magistratusque urbis, qui portas aperiri prohibuerat, interea accurrerent, a quibus sibi persuaderi passa est, ut consilium mutaret, *Mansfeldioque* tutela urbis commissa fuit, civesque consensère, ut quale vellet præsidium urbi imponeret, offerentes se quoque ex civibus aliquot vexilla conscripturos, quæ unà omnem exteram vim prohiberent.

C. Totâ autem hac æstate odiosissimis hisce negotiis implicitus Præses, minis, convitiis, periculisque frangi se non est passus, sed contra audentior in tuitione rectæ Religionis, regiæque authoritatis processit. Deputatus etiam cum Dno *Egmondano*, uti cum Confœderatorum commissariis supra concordia ageret, liberè ipsis ostendit, quantum hæc, quæ ab illis attentabantur, officio fidelium vasallorum non responderent, ac in quantum se consorteque omnes periculum conjicerent, ne ea aliquando in crimen læsæ Majestatis raperentur. Itaque hortari se, ut a cæptis disisterent, &, dum Duciissa interceissionem suam pro gratia ab Rege obtinenda offer-

ret

ret, occasionem non negligerent. Illi vero non paruisse se rectè monenti, postea sæpe conquesti sunt. De periculis autem sibi imminentibus per amicos sæpius admonitus, intrepidè in officio perseveravit, quin & domi aliquando insidiæ ei intentatæ, ac eo ex curia redeunte non defuisse qui ei necem intentarint, Ducissæ renunciatum fuit, quæ per suos satellites eum salvum deduci jussit. Verùm in Deum fiduciam collocans, nihil ejusmodi minas fecit.

CI. Ducissa autem sub id tempus Principem *Auriacensem Antverpiam*, *Hogbstratanum Mechliniam*, *Egmondanum* in *Flandriam*, *Hornensem Tornacum*, *Noircarmium Valencenas* ablegavit. *Antverpiæ* vero accitis aliunde concionatoribus, tam Calvinisticæ, quam *Martinianæ* sectæ, quæ Augustanæ Confessionis titulum præferebat, *Auriacensis* Magistratusque, Ducissâ contradicente, templa nova erexêre. Idem fiebat apud *Tornacum*, ac in nonnullis oppidis, quibus persuasêre Confœderati, Ducissam id permisisse, quod revera falsum erat: licet invita consensisset (tumultûs majoris evitandi gratiâ) ut, ubi conciones ante habitæ fuissent, vi non disturbarentur, legitimâ tamen persecutione non sublatâ. Ac credentes heretici se in portu navigare, paulatim cœpêre fimbrias suas extendere, exercitiaque novæ Religionis usurpare. Quod cum *Noircarmius Hannoniæ* præfectus *Valencenis*, jubente Ducissa impedire conatus fuisset, Magistratus civesque contumaciter protervèque ei restitêre. Ipse vero cum multis viis mediisque eos ad obsequium reducere frustra conatus fuisset, tandem collecto aliquo milite, seriò cum ipsis agere obsidionemque minitari cum magna manu cæpit.

CII. Ipsi vero Confœderati in *Insulensi* territorio cœpere quoque sese adversum colligere, ac cum pago cuidam *Waterlez* dicto ad Præsidem tanquam Præpositum *S. Bavonis* pertinenti insedissent, Dnus *a Rassingben* ejus Provinciæ gubernator, inde multis eorum cædis disturbavit; ac post apud *Lannoyum* recollectis viribus, ut *Valencenensibus* succurrerent, *Noircarmius* cum majore militum parte, quos ante *Valencenas* collegerat, ipsos nihil tale metuentes aggressus, itidem cecidit, *Tornacumque* ex improviso occupavit, indeque ad obsidionem *Valencenensem* rediens fortiter expugnavit.

CIII. Quibus rebus commotus *Brederodius*, *Antverpiam* rediit, convocatisque aliquot nobilibus cum eis Bruxellam se

venturum Ducissæ minabundus scripsit. Ipsa vero urbe Bruxellâ præsidio munitâ, terreri se amplius non est passa, verum ei fortiter respondit, dictamve Epistolam Præsidi, quæ edita statim fuit *, quâ nonnihil perterrefactus, *Vianam* cum aliquo numero militum, quos conscribere cœperat, retrocessit: metuensque Ducissa, ne *Trajectum* occuparet, Comitem de *Meghem* cum aliquot vexillis, quæ in Geldria, cujus gubernator erat, collegerat, properè eum misit, qui ejus conatum irritum reddidit.

* V. Pont. Heut. lib. XVII. c. 7.

CIV. Eodem autem tempore in Insula *Walachria Middelburgum Vlissingamque* occupare conati sunt, cumque & ibi ipsorum conatus Ducissa prævertisset, versus *Antverpiam* redeuntes insidêre pago quem vocant *Austreweel*, quò confestim Ducissa aliquot vexilla mittens sub conductu Dni de *Beauvoir* †, in conspectu Antverpiensium, præsenteque Principe *Auriacensi* ac *Highstratano*, ad internecionem omnes delevit; unde magnæ in illa urbe turbæ motæ sunt, Calviniistis ex una parte, ex alia autem Catholicis & Martiniistis stantibus, ut jam in mutuos gladios ruituri viderentur. Verum sedítione interventu aliquorum utcumque sedatâ, cœpêre animum despondere heretici rebellesque, atque ad Ducissam mittere deprecatum veniam, conditionesque offerentes, sub quibus ad officium obsequiumque redire parati essent; cum quibus ita actum fuit, ut se penitus Regis Ducissæque ordinationi submitterent. Quæ mox cum milite eam urbem ingressa, templa nova dirui, omnemque Religionis novitatem cessare mandavit.

† Philippe de Lannoy.

CV. Interea vero cum *Valencenis* expugnatis apud *Trajectum Mosæ* ac *Buscum-ducis* rebelles adhuc dominarentur, ad adventum *Noircarmii* cum copiis militaribus machinisque bellicis ipsi sese confestim dedidêre, ac postea ad *Hollandiam* progressus, *Brederodium*, qui *Amsterodami* collectis aliquot militum vexillis confederat, infectatus est: ille autem mox navigio inde profugit. Quem dum nobiles capitaneique quidam sequerentur, per Comitis *Arembergensis* milites in mari comprehensi fuêre. Ipse autem *Brederodius* paulò ante, rebus quasi desperatis, *Egmondanum* magnopere sollicitavit, ut ad gratiam Ducissæ per eum redire posset. Illa verò non alia conditione admittendum eum censuit, nisi ut liberam de eo Regi reservaret dispositionem; cui ille non confisus, profugere

fugere alibi maluit, ubi cùm contra melancholiam nullam nisi ebrietatem remedium inveniret, ardentissimâ febre correptus, vivendi finem fecit.

CVI. Eodem autem tempore Principes aliquot ex his qui *Protestantes* dicuntur, ad Ducissam *Antverpiam* misère suos Legatos, qui postularent, ne in novam Religionem professos durius aliquid decerneret, nolentes, ut dicebant, rebelles templorumque violatores excusare. Quibus ipsa Ducissa modestè respondit, ab his, qui Religionem, invito Rege, novam introducere voluère, omnes has turbas rebellionemque exortas fuisse, seseque nihil nisi ex Regis arbitrio de ipsis constituere posse. Quin & *Ferdinandus* Imperator ad arbitrium suum hanc rebellium controversiam rejici petiit. Cui itidem Ducissa respondit, non in sua potestate esse quidquam consentire, sed ad Regem harum Provinciarum Dominum hoc negotium totum pertinere. Duorum autem casum graviter Præses tulit: nam cum illo suadente Cancellarius Brabantiæ * ad res apud *Buscum-ducis* sedandas, retinendosque in officio cives, cum Dno *a Merode* missus fuisset, tantum non de capite periclitatus fuit. *Torriusque* Secretarius *Amsterodamum* itidem ab Ducissa missus cum litteris, quò bonos cives in officio ac fide confirmaret, vix etiam ipse manus *Brederodii* effugit.

* Joannes Scheyfve, *Vide notas nost. ad n.* LXXXVIII.

CVII. Reliquas autem *Hollandiæ* civitates, ubi *Amsterodamum* se dedisset, facile ad obedientiam *Noircarmius* reduxit. Comes quoque *Arembergensis Leovardiæ*, expulsis concionatoribus, civibusque utcumque placatis, *Groningensibus* quoque persuasit, ut præsidium militare susciperent. Ita factum, ut brevi tempore pax ubique restaurata videretur. Ducissa autem *Antverpiæ* commorans, cum ibi malum hoc novæ Religionis altissimas radices jecisset, in Consilio diligenter deliberandum duxit, quonam pacto illud sine læsione Reipublicæ illius paulatim extirpari posset: Edictoque provisionali edito principium aliquod satis feliciter fecisse credebatur, licet Id Regiæ Majestati non usque-quaque placuerit, quoad perscriptis ad eum rationibus, ejus sententiæ acquievit.

CVIII. Rebus autem quæ hic acciderint ad Regem delatis, Marchionem *à Bergis* Dominumque *a Montigny*, qui legati ad eum præcedenti æstate iverant, ibidem detinuit, donec Ducem *Albanum* cum mandatis militaribusque copiis

huc miſiſſet, (qui menſe Auguſto anno 1567 huc appulit) certam ſpem præbens ſe mox ſubſecuturum, ipſo Marchione interea ex animi ægritudine corporisque, diem ibi claudente extremum.

CIX. *Albani* autem adventu perculſus *Auriacenſis*, qui, dum Antverpienſes cum Duciſſa de reconciliatione agunt, Bredam ſeceſſerat, paulò poſt miſſâ in Germaniam pretioſâ ſupellectile eò ſequutus fuit, *Hogſtratanusque* quæſito aliquo colore, & ipſe ſolum vertit, *Egmondanumque* ne nimis rebus ſuis confideret, admonuêre, mutuo ſeſe accuſantes, quod imprudentiùs conſilia ſua conduxiſſent, ac ab Duciſſa ſibi perſuaderi ſiviſſent, ne equitem peditemque, quem in Germania ſat numeroſum conduxerant, huc præteritâ æſtate non adſciviſſent, quodque, quam in imagines ſævitiam exercuêre, non potius in Clerum monachosque ac anteſignanos Catholicorum deſignaſſent.

Hæc & quæ ſequuntur Adr. Gaudani commentario inſunt.

CX. Dux autem *Albanus* inquirens diligenter authores præteritorum motuum ac turbarum, cum de judicio conſtituendo ageret, ipſum *Viglium* multis perſuaſionibus conatus eſt eodem pertrahere; verùm ille & quod ſacris initiatus, & aliis Curiæ negotiis ſatis diſtentus eſſet, ut vacare ei cognitioni non poſſet, ſeſe excuſavit, nominans nihilominus aliquot primarios hujus Provinciæ Præſides (1) ac Conſiliarios, qui huic cognitioni apti videbantur: quibus quidem ſtipendia ſat luculenta conſtituta ſunt, ſed authoritas pene omnis ad unum Hiſpanum Licentiatum *Joannem Vargas* reducta fuit, qui multas criminales civilesque cauſas tractans, parvam admodum populo ſatisfactionem præbuit.

CXI. Ac cùm *Viglius* non deſiſteret Regiam Majeſtatem pro miſſione ſollicitare, tandem ejus Majeſtas Dno *Carolo Tyſenachio*, quem ſucceſſorem ei longè antea deputarat, licentiam in Belgiam redeundi fecit, cum titulo Præſidis Secreti Conſilii, cujus adventu *Viglius* multùm exhilaratus fuit, quòd hoc ſaxo quod ſupra viginti annos volverat, exoneratus eſſet. Placuit autem Majeſtati ſuæ, cui refragari non fuit auſus, ut Conſiliarii Secreti Conſilii titulum ac ſtipendium etiam abſens retineret, & quo honoratiorem ejus miſſionem faceret, Conſilii Statûs Præſidem eum permanere voluit, ipſo Præſide *Tyſenachio* adjutore.

CXII. Ac cum eum Collegium apud Lovanium ſtudioſorum erigere intellexiſſet, duodecim millia florenorum in ſubſi-

ſubſidium ei ad id liberaliter * contribuit. Qui cùm venire in hanc Provinciam tardat, Duxque *Albanus* vectigal *decimi denarii* rigidè perſequitur, multæ civitates *Hollandiæ*, *Zelandiæ* ac *Geldriæ*, rebelles, exuleſque recepêre, ac tandem *Valencenas*, *Montemque Hannoniæ* occupavêre.

* *Supple:* Rex.

CXIII. Dux autem *Medinæ-cæli* ſub medium menſis Junii Flandriam appellans, resque inferioris Germaniæ valde perturbatas comperiens, non antea commiſſionem habuit regimen ejus ſuſcipiendi, quàm Dux *Albæ* abiens id ei dimitteret. Unde populus *Albani* pertæſus, ſpe propemodum quam de ejus ſucceſſore conceperat, excidit, dum illum conſpicit moras nectere, ac ſucceſſorem non admittere; unde ſimultatibus inter eos exortis viſum fuit Regiæ Majeſtati Ducem *Medinæ-cæli* in Hiſpaniam revocare, qui ſub menſem Septembrem anno 1573 itineri ſe accinxit, unàque increbuit rumor de Dno *Ludovico de Requeſens* ex familia Ducum de *Zuninga*, Commendatore majore *Caſtellæ*, ac Gubernatore Ducatûs *Mediolanenſis*, in ejus locum ſurrogato, qui menſe Novembri ſequenti in Belgium adveniens, & de rerum ſtatu per aliquot dies ab Duce *Albæ* inſtructus ac edoctus, tandem in vigilia *S. Andreæ* ad gubernationem Provinciarum inferioris Germaniæ admiſſus ab eo fuit, diſceſſitque Dux *Albæ* cum *Frederico* filio locum-tenente exercitûs, ac *Joanne Varga*, per quem res judiciales adminiſtrari curarat, die decimâ-octavâ menſis Decembris ſequentis.

CXIV. Dno autem *Carolo de Tysnacq* Præſide Secreti Conſilii, qui in eo *D. Viglio* ante triennium ſucceſſerat, ſub finem menſis Aprilis ſubitaneâ morte ſublato, ipſi rurſus invito ac reluctanti ſigillorum Regiorum cuſtodia obtruſa fuit. Ipſe autem ex pedibus continuò graviterque laborans, cùm morbis ſenioque ſe magis atque magis gravari ſentiret, Horatianæ ſententiæ memor †:

† *Epiſtolar. lib. 1. Epiſt. 1. V. 7.*

Eſt mihi purgatam crebro qui perſonet aurem.
Solve ſeneſcentem maturè ſanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.

ſeriò ſecum diſpicere cæpit (1) quonam pacto rectiſſimè de bonis ei per divinam bonitatem conceſſis diſponere poſſet, quantum potuit ea in vita teſtamentoque providere ſtuduit,

Collegiumque (2) quod *Lovanii* pridem inſtituerat, & Hoſpitale ſenum ſive (3) Gerontocomium, quod in pago *Zuichemenſi* ædificari curarat, unà cum Schola, adoleſcentibusque quibusdam per ludimagiſtros inſtituendis fundarat, ut proventibus rebusque neceſſariis competenter provideret, dans ſub idem tempus operam, ut in villa *Sti. Bavonis* civitati *Gandavenſi* adhærente, ſublato antea prophanatoque Monaſterio *S. Bavonis* *, parochia rurſus ad ſubditorum commoditatem in honorem *S. Amandi* erigeretur, ubi & præclaram domum judicialem ſive ſcabinalem, ut eò habitatores revocaret, magnificè extrui curavit. Sed & in Capitularis domûs *S. Bavonis* conſtructione liberaliſſimè contribuit, & ſeminarium quoque ejus aliquot Burſarum dotatione adjuvit; ipſiſque Canonicis & Eccleſiæ miniſtris pauperibusque annuatim in vita ac poſt ejus obitum diſtribuendas annonas ordinavit, atque Capellam (4) propriam in Eccleſia *S. Bavonis*, in qua ſepeliri deſideravit, competenter dotavit. Domos quoque & nonnullas Præpoſituræ ſuæ arcos, vitâ comite, diligenter reparari, ac in debito ſtatu conſervari fecit, ac pleraque alia ad Eccleſiæ ornamentum, decus, & utilitatem conſtituit ac providit.

* (cujus ædificia in caſtri militumque domicilium converſa erant) *Adr. Gaud.*

CXV. Quoniam autem numeroſam prolem fratres ſororesque ejus reliquerant, quarum major pars parentibus immaturè orbata fuerat, earum fidelem curam geſſit, ſumptuſque pro facultatum ſuarum modulo in eorum educationem inſtitutionemque ſubminiſtravit: quorum nonnullos, qui apti videbantur, ad Eccleſiæ miniſteria direxit provexitque. Alios ſæcularibus litteris inſtitui curavit, ut ad Reipublicæ munia promoveri poſſent. Neptes vero viris fere eruditis collocavit, & mediocri dote adjutos ad officia publica, quantum potuit, viam ipſis præſtruxit. Domum vero paternam, in agro *Zuichemenſi*, *Leovardiæque* ſitam †, operibus ſtructuisque novis non mediocriter auxit, exornavitque, ac nepotibus, agnatis pro familiæ decore ac monumento reliquit. De reliquis autem bonis diſpoſitionem ita moderatus fuit, ut quidquid ex eccleſiaſticis provenit, in uſus pios univerſum converteretur. Quæ autem ex patrimonialibus rebus, induſtriâ ſuâ aut remuneratione largitioneque Principum proceſſerunt, ea in propinquos ac bene de ſe meritos conferret.

† quam Dux Saxoniæ Georgius patri ejus donarat. *Adr. Gaud.*

FINIS. (1) COR-

CORNELII PAULI HOYNCK VAN PAPENDRECHT,

ARCHIPRESBYTERI MECHLINIENSIS

NOTAE

Ad vitam Viglii ab Aytta Zuichemi.

I. (1) WERDEHUYSUM.] In teſtamento *Viglii* n. 20. lego: *Villam antiquam ac avitam Roerdebuyſum, quæ vocatur Aytta.* Ita quoque in Genealogia *Ayttana*, quam infra damus. Sed in Mſ. noſtro nihil duximus immutandum.

(2) SCHIRINGORUM VETROPERORUMQUE.] *Ubbo Emmius, Martinus Hamconius* & hiſtorici paſſim, ſcribunt *Sciringios* & *Vetcoperos:* barbara ac *Friſiæ* infauſta quondam nomina, inquit *Emmius Rer. Friſ. Hiſt. lib.* 14. quem, ſi lubet, conſule.

(3) HEMRICHEM WERREGAE.] *Viglius* in teſtamento ſuo ad n. 22. ita loquitur: *Doctori Vibrando ab Aytta . . . . do ac lego villam majorem Hemrikeyn in pago Verragae ſitam unà cum altera a me comparata ab Dothia Fockonis & conſortibus, quæ dicitur parva Hemrikeyn.*

II. (1) MAGISTRUM BOCHONEM.] Hic propatruus *Viglii* deſtinguendus eſt a *Bochone* ſeu *Buchone* ab *Aytta* patruo, ejuſque educatore & patrono, de quo mox dicemus.

V. (1) PASTORIS IN ZWICHEM.] *Heuſſenius in hiſt. Epiſ. Leovard.* nullum novit hujus loci paſtorem. Hic habes *Renardum Bukama*, & infra *Buchonem* ab *Aytta*, *Viglii* patruum. Porro *Viglius* ipſe hunc paſtoratum obtinuit anno 1529. Erat autem ſacerdotium humile & pauci proventus, prout teſtatur ipſe in epiſt. ad *Tzalingum Wiarda* presbyterum & cognatum ſuum, quæ a nobis inter ſelectas ejus epiſtolas dabitur: ubi videas, quæ eſſet ejus temporis diſciplina; *Viglio* annorum viginti ac duorum adoleſcenti, clerico dumtaxat & nullo ſacro ordine initiato conceſſâ parochiâ, moxque *Viglio* paſtori datâ biennii abſentiâ. Sed quod magis placet, adverto ibidem curam ejus ſedulitatemque impenſam, ut recte adminiſtraretur ſe abſente ſacerdotium. Scripſit *Heuſſenius, Viglium Zuichemenſis* eccleſiæ collatorem uti loci dominum; ſed id difficulter admit-

admittas, cùm, rogante patre, sacerdotii illius patronis gratam se, acceptamque eorumdem collationem habere singulari epistolio scripserit.

VI. (1) M. BUCHONEM.] Huic, nempe *Viglii* patruo, nomen erat *Bernardus Bucho Aytta* ex *Zuichem*, uti lego in ipsius *Viglii* tabulis fundationis domus Dei *ab Aytta* in pago *Zuichemensi* institutæ anno 1576. quas adducit *Heussenius* in *hist. Episc. Leovv.* p. 108. Item in epistolis *Viglii* ad *Buchonem* & ad *Erasmum*, cui *Bucho* carus fuit. Denique in illius quoque testamento, quod huic de vita sua commentario subjunximus. Fuit autem *Bucho* pastor *Zuichemensis*; incompertum mihi quo anno. In Genealogia *Ayttana* annus quoque reticetur. Fuit præterea Pastor Veteris Curiæ *Leovardiæ* (incerto rursus anno) ut habes infra in his notis nostris ad N. IX. Porro An. 1499. ab *Alberto* Saxoniæ Duce ac *Frisiæ* domino seu Archigubernatore post *Potestates Frisiæ* primo, in senatum adlectus est, tunc pastor in *Huysum* ac U. J. Licentiatus. Dein anno 1504. ab *Georgio Alberti* filio ac successore ascitus est in Consilium sex virorum quibus Provinciæ regimen attribuit: quo anno notatur fuisse pastor in *Weydom* seu *Werdum* ut est in *Gen. Ayttana*. Tandem anno 1515. a *Carolo* Hispaniarum Belgiique principe, atque ex Saxonis cessione *Frisiæ* domino, constitutus est primus, etiam ante equestris ordinis viros, senatorum, quibus Rempublicam administrandam Jusque dicendum commiserat: a quo & eodem anno missus est in Galliam legatus contra *Gelriæ* Ducem insidiantem *Frisiæ*. Hæc notavi ex ms. codice chronicorum *Frisiæ*, quem possidet & humanissime mecum communicavit nob. dom. *Joannes de Witt Dordracenus*, in Cæsareo Belgicarum Finantiarum *Bruxellis* Consilio assessor. Ubi videndi lib. 10. pag. 17. lib. 11. pag. 6. & lib. 12. pag. 4. & 8. Porro *Viglius Carolo Boisoto* ex *Ingolstadio* scribens ad diem 15 Maii 1541. *Epist. tomo* 3. *p.* 269. hæc habet: „ Patruus meus Decanus olim *Hagensis* ab *Saxonum* „ temporibus triginta annos Consiliarii, &, ut tunc loquebantur, Regentis *Frisiæ* officio functus est, fidelissimamque operam Cæsareæ M^ti, in ea obtinenda, compescendisque variis „ provincialium tumultibus, navavit ". In *Martini Hamconii Frisia* lib. 2. p. 82. legitur;

. . . . . *Hagæ- Comitis* Bucho *pius* Aytta *decanus*,
Et patriæ fulcra Franca *legatus in Aula*, &c.

Hos *Buchonis* jam memoratos pastoratus ignoravit *Heussenius*, cujus interpres ac glossator *Henricus van Ryn*, solius pastoratûs de *Huyzum* meminit: verùm adfert ex *Gabbema*, *Buchonem* in hunc pastoratum migrasse e pastoratu de *Grouwergæ* quod nobis

bis non occurrit, niſi in *Gen. Ayttana*, ubi ſcribitur *Grouw.* Vide *Tom.* 5. *pag.* 93. antiquitatum eccleſiaſt. fœd. Belgii in folio. Poſtremò Bucho noſter anno 1519. a *Carolo* V. jam Imperatore palatii *Hagæ-Comitani* Collegio Canonicorum præfectus Decanus, & in ſummam Hollandiæ curiam ſenator adſcitus eſt, inquit *Suffrid. Petri in append. ad Hedam*, ubi ejus obitum ſtatuit ad diem 3 Decembris an. 1528. & recte: ita enim *Viglius* ipſe infra n. XVI. Corrigendus proinde *Heuſſenius* in prolegom. Bat. ſac. ubi menſem *Septembrem* expreſſit. *Suffridus* in *Buchonis* laudes merito excurrit, quas ſi legiſſet *Henricus van Rym*, non dubitaſſet eumdem claris viris adnumerare, quem *Viglius* teſtatur, *omnium Friſiorum ſua ætate doctiſſimum habitum fuiſſe.* Ceterum bene de ſe meritum patruum memori adeo mente proſecutus eſt *Viglius*, ut in teſtamento ſuo ſcripſerit, ſe benigna ejus directione ad eam quam poſſidebat fortunam perveniſſe: quæ quanta fuerit ex ejuſdem teſtamenti lectione patebit. Vide ſis teſtam. n. 9. *Hadrianus Marius* rogante *Viglio* carmen *Buchoni* ſcripſit, ejus Cenotaphio juxta avorum ſepulchra in *Friſia* conſtruendo inſcribendum, ait *Viglius epiſt. tom.* 3. *p.* 32. *Lappius* notavit ad *Suffr. Petri* in app. cit. p. 3. quod *Bucho Hagæ* ſepultus epitaphio decoratus ſit, ac altero honorario in *Friſia* quæ penes ſe erant. Hoc ultimum habes infra in *Geneal. Ayttana.* Ubi nota eum fuiſſe Lovanii in quatuor Pædagogiorum concurſu *Primum* renuntiatum, quod contigit anno 1487. cùm eſſet pædagogii Falconenſis alumnus, ut eſt in actis Facultatis Artium, ubi *Primus* illius anni vocatur: *Bernardus Leovardienſis.* Quod ne de alio quopiam *Bernardo* accipias, vetat *Viglius* ſcribens ad nepotem *Buchonem Zuichemum* quem ad proſequenda diligenter ſtudia philoſophica his verbis extimulat 15 Nov. 1557. „ Mihi nihil potes facere gratius, „ quàm eniti ut in virum doctum evadas: Fuit autem ille, „ cujus nomen refers, olim *primus Univerſitatis* (ut iſtic lo„ quuntur) in magno tunc numero eorum, qui ad magiſte„ rium una promovebantur". *Ex tom.* 4. *p.* 594.

(2) M. FERRICUM PRÆBENDARIUM IN WIRDUM.] Non quod ibi præbendæ & collegium Canonicorum exſtarent, ſed unica ſolùm præbenda ſeu *Vicaria*, uti paſſim in fœderato Belgio appellantur ejuſmodi ſacerdotia infimi ordinis: quæ *Capellaniarum* nomine veniunt in Belgio Auſtriaco, & ut plurimum ſunt juris patronatus laici, dum alicui caſtello vel magnatum, ſeu nobilium ruri degentium, in rebus ſacris obſequio addictus eſt *præbendarius* ſeu *Vicarius* aut etiam *Capellanus.* Hinc apud nos *Capellaniæ Caſtrales.*

VII. (1) MINTZIA, FERRICA, SWOP, SYDTS, AUCK, SAEP, JETSIA.] *Suffridus Petri* ſcribit *Clementiam*,

Fericam, *Swobinam*, *Sytſiam*, *Aucam*, *Sapiam* & *Fetſiam*, nomina mulieribus *Friſiis* propria, quæ apud alias gentes non audias, uti fatetur *Ubbo Emmius lib.* 2. docens: „ Nomina gentis eſſe diverſa prorſus a gentibus cæteris, uſque eo, ut horum argumento genuinum *Friſium* ab aſſcriptitio inſitivoue „ ſolerent quondam diſcernere". Horum plura tam virorum quàm feminarum nomina ibidem oſtentat.

VIII. (1) FOLCARDUM AUTEM MINOREM OMNIUM NATU &c.] Ab hoc *Folcardo Viglii* parente narrationem orditur *Adrianus Gaudanus*, aut quiſquis auctor eſt commentariorum quæ ſub ejus nomine circumferuntur & de quibus in præfatione ad vitam *Viglii* egimus. Porro ille nobis commentatoris loco erit, quòd multa quæ *Viglius* ſtrictim, ille prolixius adferat, ſcitu quoque haud indigna. Igitur quæ hoc numero *Viglius* eſt complexus, ille exponit his verbis: „ *Viglii* „ *Zuichemi* pater *Folcardus Aytta Gerbrandi Aytæ* & *Tetz Bouckama* commorantium in pago *Zuichem* filius ex multis prolibus „ natu minimus, poſt patris immaturam mortem matrividuæ, „ quæ quadraginta quatuor annis marito ſupervixit, cohabitavit, donec ad virilem ætatem perveniret, atque in villa „ *Barrabuys* commigraret, a qua aliquamdiu *Folcardus* à *Barrabuys* cognominatus fuit, ubi inter cæteros filios & *Viglius* „ natus eſt. Diſtat autem ea villa ab *Leovardia* primaria *Friſiæ* urbe ſub parochia *Wirdum* (quo vix amplior eſt in *Friſia* pagus) dimidio dumtaxat miliari, peramœno loco ſita & foſſis undique cincta, & fructiferis aliisque arboribus conſita, quæ ad Monaſterium Canonicorum Regularium in *Bergum* ſpectabat, cujus univerſa bona hodie doti novi epiſcopatûs *Leovardienſis* per apoſtolicæ ſedis authoritatem de Regiæ Majeſtatis conſenſu applicata ſunt, ipſâ villâ *Barrabuys* in aliquot hodie colonias diviſâ. Incoluerant autem eamdem ante *Folcardum* prædicti Monaſterii fratres laici, qui *Converſi* vulgo dicuntur, quam pro ſua erga religionem devotione ad novi monaſterii propaginem perducere molie„ bantur. Verùm ipſorum conatibus obſtitere civilium inteſtinarumque diſſenſionum, quibus tum *Friſii* in duas factiones diviſi, videlicet *Schieringorum* & *Vetteperorum*, graviter agitabantur, continuæ turbæ: quarum etiam occaſione advenarum hoſpitumque quotidianis onerabantur ſumptibus, ibidemque *Weſtergoi Oiſtergoique* ſuos frequenter celebrabant „ conventus, ac non ſatis concordes, hoſtilia invicem minitantes, nonnumquam diſceſſêre. Accidit quoque decimo „ die octobris anno 1492. inter *Leovardienſes Groeningenſibus* confœderatos ex una, & *Snekenſes* ex altera parte iisdem „ factionibus implicitos, gravis conflictus prope *Barrabuſiam* „ villam,

„ villam, cedentibus tandem & fuga ſibi conſulentibus poſt
„ multam acceptam cladem *Snekenſibus*. Dein iterum poſt an-
„ nos ſex, videlicet anno 1498. in die Sancti *Barnabæ* (qui
„ feſtum Sancti *Oduſphi* celebre apud *Friſios* præcedit) nobilis
„ ac ſtrenuus vir *Aucko ab Unya Virdumenſis* cum nonnullis
„ ejusdem pagi incolis contra *Leovardienſes* magis audacter
„ quàm prudenter inter *Schiruſiam* & *Barrabuſiam* villas ſeſe
„ obtulit, ubi præcipui ejus pagi occubuêre. Inter quos fuere
„ duo [*Folcardi* ſororii, *Sakas Feriæ Aytta*, & *Dothias Wyarda*
„ *Minxiæ Aytta*] mariti, & *Feico Hettema* qui *Sydz*, patruelem
„ *Folcardi* filiam, ſcilicet *Rinze Aytta*, in matrimonio habebat,
„ nec non *Ritzardus* filius *Atsonis*, & alii præſtantes viri:
„ *Barbuſioſque* fratres in quorum conſpectu utrumque prælium
„ accidit, tantopere exterruit ut de migrando cogitare inci-
„ perent. In quo propoſito conſilioque confirmavit eos poſt
„ tres menſes ſecuta prædictæ viliæ conflagratio calamitasque
„ illata per *Leovardienſes* die undecima Septembris ejusdem
„ anni, cauſam prætendentes, quod *Virdumenſes* Duci *Alberto*
„ Saxoniæ fidelitatem promiſiſſent, cui ipſi *Leovardienſes* tum
„ adverſabantur, ac *Willibrordo* a *Schauwenburgh* ex urbe arce-
„ que *Leovardienſi* expulſo adhæſiſſent, ob quod diuturnæ in-
„ ter *Leovardienſes* & *Virdumenſes* inimicitiæ ac ſimultates exor-
„ tæ ſunt, quas longum tempus poſtea extinxit. Ipſi vero
„ *Leovardienſes* ſuis diffiſi viribus ſeſe *Willibrordo* paulo poſt de-
„ diderunt, conditionesque ab eo præſcriptas receperunt: & ne
„ quando a fide deſciſcerent ſuis expenſis arcem (quam *Blockhuys*
„ vocant) in ipſa urbe *Leovardia* extruere * conati fuerunt."

Quæ hic duobus inclusa ſunt uncinis, deſunt in MS. Jo. de Witt, ſuppleta ex alio recentiore. pag. ibid. 2:

„ *Bergumenſes* autem monachi ædium uſu commoditate-
„ que per incendium privati, cùm damnum ingens confeſtim
„ reparare nequirent, ac animis eorum perpetuus obverſare-
„ tur metus rerum præteritarum, ac rurſus poſt biennium ſe-
„ cuta eſſet *Friſonum* contra *Saxones* rebellio, quæ poſtridie
„ *diviſionis Apoſtolorum* anno 1500. magna cum *Friſonum* clade
„ acciderat, omnem movêre lapidem, ut conſilium conce-
„ ptum exequi, magnisque ſumptibus ac periculis defungi cum
„ Ducis *Saxoniæ* bona gratia ac permiſſu villam eam relinque-
„ re, ac alicui incolendam eam concedere illis liceret; id quod
„ interceſſione Mgri. *Buchonis Aytta* non difficulter impetrave-
„ runt: Erat quippe is in magna apud eandem Ducem *Saxo-*
„ *niæ* gratia, cùm ob doctrinam & eloquentiam qua facile ce-
„ teris omnibus ejus nationis ſuo tempore anteibat, tum ob
„ ſingularem prudentiam, ac dexteritatem, qua in publicis
„ tractandis negotiis pollebat. Cùm autem idem haberet uni-
„ cum fratrem *Folcardum* ſupradictum, annos nondum natum
„ viginti, huic uſque ad longum tempus conductionem ab

* *In alio codice rectius* coacti.

„ *Bergumenſibus* monachis obtinuit; qui eo adjuvante utcum-
„ que reſtauratis ædificiis, ac de neceſſariis villâ inſtructâ, ad
„ uxorem ducendam animum adjiciens, comperit in vicino
„ pago *Weydum* virginem ætate quidem grandiuſculam, ſed
„ forma ac moribus inſignem *Idam* filiam quondam *Viglii* ab
„ *Hanya*, quæ matri *Rintziæ* a *Bomminga* viduæ cohabitans, vix
„ ad conjugium animum applicare potuit, dum ab matris jam
„ provectæ ætatis miniſterio ægrè divelli ſuſtineret. Fuit au-
„ tem uterque *Idæ* parens cumprimis ibi honeſti nominis, pri-
„ mariæque nobilitatis familiis ſanguine aut affinitate junctus.
„ Pater enim ex *Serapione Hayya* (quæ latiſſima in *Friſia* fami-
„ lia eſt) genitus, matrem ipſe habuit *Eckam a Camſtra*, *Vi-*
„ *gle* a *Camſtra* (a qua omnes hodie *Camſtrenſes* deſcendunt)
„ filiam. Mater vero matrona inſignis ex *Bommingana Renar-*
„ *danaque* ſtirpe procreata, *Albadanam*, *Harinxmanam* ac *Zyar-*
„ *danam* familias propinquitate attingebat. Verùm cum (*ob*)
„ numeroſam ex omni parte prolem, opes in plura capita ſpar-
„ ſæ diſtributæque eſſent (quibus familiarum decus nobilitatis-
„ que dignitas potiſſimum conſervatur) eum filiæ virum non
„ gravate prætulit, a quo ſperabat nepotes ſe conſequuturam,
„ qui, adjuvante patruo *Buchone*, viro cumprimis docto, in
„ litteris bonisque diſciplinis bene inſtituti, tenuitatem patri-
„ monii induſtria ſua aliquando reparare poſſent. *Idæ* in divi-
„ ſione hæreditatis maternæ ceſſit poſſeſſio ſita in *Loyngum* pa-
„ go urbi *Snekæ* vicino, quæ *Rintziæ* matri a patre *Broer Bom-*
„ *minga* hæreditario jure obvenerat, uti alia ei vicina fratri
„ *Laurentio* quem *Louwe Friſii* vocant, quæ hodie ad *Harysma-*
„ *nam* familiam pertinet, in qua ſcilicet ſucceſſère *Harismani*
„ nepotes ejus ex filio. *Folcardo* autem *Zuichemenſe* prædium
„ poſt matris vitam in donationem propter nuptias promitte-
„ batur;" non a *Rintzia Idæ matre*, ſed a *Folcardi matre Jetſia*
a *Bukama* vidua *Gerbodi Aytta*, *Viglii* avo; uti colligo ex iis
quæ *Viglius* in vita ſua N. XII. ſcripſit de patre in pago *Zuich-*
emenſi nato, & de *avita villa*: cujus ſucceſſor fuit fratre *Ger-*
brando primogenito juvene mortuo, ut eſt in Vita *Viglii* N. IX.
ubi etiam habes *Jetziam* aviam in *Zuichemenſi* prædio continuò
commorantem.

IX. (1) FOLCARDUS AUTEM ATQUE IDA QUINQUE IN BARRAHUYS LIBEROS PROCREARUNT.) *Adr. Gaudanus* hæc paullo aliter. „ Interea vero *Barbuſiam*
„ villam incolendam ſuſceperunt, in qua ſuaviſſime per annos
„ fere duodecim vitam duxerunt, ac quinque liberos ibi pro-
„ crearunt: *Gerbodum* ſive *Gerbrandum*, *Viglium*, *Rincium*, *Sera-*
„ *pionem* & *Rinciam*. *Gerbodus* primogenitus natus anno 1505.
„ diem ſuum obiit in *Zuichem* octennis anno 1513. in die *Exal-*

„ *tationis*

„ *tationis Sanctæ Crucis.* Quo mortuo *Viglius* in ejus locum a „ patruo *Buchone*, tunc primario paſtore Veteris Curiæ *Leo-* „ *vardienſis*, Ducalique Conſiliario, fuit ſuſceptus, & una cum „ *Franciſco* a *Mirmama*, qui ante *Confirmationem* (*intellige hic Sa-* „ *cramentum*) *Sipko* appellabatur, ac in ejusdem Mgri. *Buchonis* „ tutela erat, poſtquam ab illius capellano prima litterarum „ elementa didicerat, præceptoribus traditus, moratus fuit „ *Leovardiæ* apud patruum ſex annos pene integros. Cum ve- „ rò per omne illud tempus res inquietæ belloque turbatæ eſ- „ ſent, nec patruus ejus ſtudiis intendere poſſet, utpote va- „ riis Reipublicæ negotiis legationibusque diſtractus, & ma- „ giſtri ſæpe mutarentur, haud multum profecit, veluti lapis „ qui ſæpe movetur, muſco non obducitur." In hac *Adriani Gaudani* narratione, habes Buchonem *primarium paſtorem veteris Curiæ Leovardienſis*, vernaculè *Oldebove*. Non quod præter *Buchonem* alter ibi eſſet paſtor, ſed quod ipſa eccleſia ſeu parœcia *Veteris Curiæ* ſeu *Oldbova* Leovardiæ *primaria* ſit, quæ & memoriæ Sanctorum martyrum *Viti*, *Modeſti* ac *Creſcentiæ* nuncupata, poſtea in cathedralem erecta eſt. V. *Heuſſenium*, qui pag. 48. parochos *Leovardienſes* enumerans, *Buchonem* non agnovit; nam tertius illi paſtor eſt: *Brito Aita*, de quo ex *Emmii* ſententia addit: *hujus conſilio ac opera Saxoniæ principes & Burgundi & ipſe populus multum ſolebat uti.* Recte enimvero; ſed dormitare oportuit dum hæc leguntur, ſcribunturque, & *Brito* non mutatur in *Buchonem.*

(2) CIRCA ANNUM 1515. BELLO GELDRICO INCRUDESCENTE &c.) Hic *Adriano Gaudano* haud inutiliter audientia præbenda eſt. Loquitur in hunc modum: „ Habito autem ſub idem tempus & circa annum 1515. apud „ Trajectum conventu & tractatu ſuper reſignatione *Friſiæ* „ operâ ac directione * D. M. *Buchonis* per deputatos Ducis „ *Georgii* Saxoniæ cum *Adriano Florentii* Præpoſito S. Salvato- „ ris Trajecti, ac poſt ſummo pontifice Romano, nec non do- „ mino *Antonio a Montigny* qui poſt fuit † citatus Comes in *Hooch-* „ *ſtraten* legatis. *Caroli* Archiducis & Principis Hiſpaniarum „ concordatum eſt per eos de cedenda *Friſia* ipſi *Carolo*. In- „ terea vero paſſim *Geldri* ac milites Ducis *Saxoniæ* qui *Atri* „ dicebantur, ac ob ſtipendia non ſoluta ſeditionem moverant „ ac *Friſiam* inquietabant: die 28 Januarii anno 1515. *Jaucke* „ *Douwema*, *Jouw Jousma*, *Zicke Douwes Galama*, cum qua- „ dringentis ſuæ factionis, occupavere ex improviſo *Barbuſiam*, „ ædes *Folcardi*, vix dimiſſa ejus uxore, quæ cum tribus libe- „ ris *Rinzzio*, *Serapione*, & *Rinzzio* Leovardiam profugit. Ipſe „ *Folcardus* hac injuriâ intellectâ, ſollicitavit mox nobiles, qui „ fratri M. *Buchoni* familiares erant atque amici, nominatim „ vero

* dicti Mag. Buchonis. *In alio codice.*

† *lege*: creatus, *ut habet alter codex.*

Hæc iisdem verbis, ſed idiomate vernaculo Simon.

Abbes Gabbema in descriptione Leovardiæ quam publicavit Tobias Gutberleth. p. 295.

„ vero *Vitum* a *Camminga*, *Hettonem* a *Dekama*, oppidanosque „ Leovardienses eòque illos * promovit, ut una cum ipso sat „ potenti manu urbe egressi, hostes apud *Barbusiam* invade- „ rent. Illi obviam progressi, cùm aliquot eorum cæsis cæ- „ teri vim sustinere non possent, profugêre in vicinum castel- „ lum *Vnyanorum*, ubi aliquamdiu postquam certatum fuisset, „ tandem immisso igne in stabulum, *Geldri*, qui intus erant, „ in fuga salutem posuere, die *Valentini* 14 Februarii, domo „ *Jouw Jousma* ab *Leovardiensibus* incensa. *Jouwium* autem „ *Folcardus* ob antiquam familiaritatem vicinitatemque adjuvit „ [ut salvus evaderet, quod beneficium quoad vixit, grato er- „ ga eum animo agnovit] Multi verò eorum interiêre, non- „ nullique in templis profugientes inde extracti ac captivi „ *Leovardiam* sunt adducti. Post id tempus *Folcardus* incensa „ ædium parte, cum nihil tutum ruri videret, in urbe domi- „ cilium constituere decrevit, & primo quidem apud fratrem „ *Buchonem* aliquamdiu se cum uxore & liberis continuit. Ve- „ rùm cum ille numerosam aleret familiam, multique undique „ hospites ad eum confluerent, ac tandem in remunerationem „ servitiorum ac damnorum, perpessorum impetrasset ab Du- „ ce *Georgio* domum Ducalem quæ *Montzyma* dicitur, quam „ ipsi dono concessam, 25 Junii ejusdem anni, antequam Fri- „ sia *Carolo* cederetur, ipse denique inhabitare atque suis usi- „ bus accommodare cœpit. Erant † enim eæ propinquorum „ receptaculum. Nam cùm omnia extra urbem milite infesta „ essent, boni viri supellectile armentisque ac rebus omnibus „ exspoliati in oppida profugêre. Ad ædes autem *Folcardi* di- „ vertêre *Leo* a *Tiepma* cum *Ecka* uxore, sorore *Idæ*. Item „ *Broer* ab *Hanya* aliàs *Eckinga Idæ* frater, qui ibi melancholia „ morbisque confecti diem finiêre. Multos sane in re lauta „ antea constitutos improvisum hoc bellum in summas angu- „ stias conjecit. Eodem autem tempore ab *Saxonicis* militibus „ die 29 Januarii incenso pago ‡ *Eyswardt* ad *Zuyderzée* qui- „ dam ⸸ *Lange Pier* excurrit qui piratica ulcisci volens, con- „ structisque navibus quas *Seynscippen* vocant, multa damna „ *Hollandis Frisiisque Saxonica* ac *Burgundica* signa (*sequentibus*) „ intulit. Secuta deinde fuit induciarum publicatio die 8 Ju- „ nii facta inter *Carolum* Archiducem & *Carolum* Ducem Gel- „ driæ quatuor mensium, ac interea venit in *Frisiam* D. *Flo-* „ *rentius* ab *Tjelstyn*, qui § 24 Junii in vigilia *Sancti Joannis Leo-* „ *vardiam* ingressus, & evocatis iis qui in *Saxonica* fide reman- „ serant, cùm ab eadem per *Saxonicos* commissarios essent ab- „ soluti, nova juramenta nomine Archiducis ab eis Calend. „ Julii accepit. Quatuor nobiles ex Consiliariis, videlicet „ *Hesselum*, & doctorem *Kemponem* a *Marcena*, *Tetardum* a *Bur-*

„ *mannia*

* permovit. *cod. alt.*

Et hæc intra uncinos desunt in MS. J. de Witt, suppleta ex alt. cod.

† *melius:* autem *ut est in alt. cod.*

‡ Eymaweert *in alt. cod.*

⸸ Groote Pier *apud quosdam historicos, ubi, quæ hic narrantur, obvia sunt.*

§ *Ita codex uter-*

„ *mannia & Tzalingum* a *Botnia* Equites creavit. Verùm guber-
„ natore novo ad curiam principis *Caroli* mox revocato, re-
„ bus nondum in *Frisia* satis confirmatis, ipso quoque princi-
„ pe jam primum emancipato, & circa inaugurationem susce-
„ tionemque ditionum suarum distracto, multisque aliis nego-
„ tiis circa initium regiminis impedito, rebus necessitatique
„ novi dominii *Frisiæ* non satis ei intendere vacavit, ac paulo
„ post secuta mors *Ferdinandi* Regis Catholici avi materni,
„ cùm utriusque Hispaniæ & Siciliæ regna ad eum devoluta
„ essent, nova impedimenta objecta fuêre. Interea autem Dux
„ *Geldriæ* occasionem non neglexit constabiliendæ suæ domi-
„ nationis, ausus etiam castra ad obsidendam *Leovardiam*,
„ destitutam præsidio, ponere. Quæ tamen consilio authori-
„ tateque M. *Buchonis* in officio ac fide retenta fuit, civibus
„ eam fortiter defendentibus, donec missis in *Frisiam* auxiliis
„ obsidio solveretur, Regisque Galliarum interventu de aliquot
„ mensium induciis paciscerentur: qno medio tempore legati
„ utriusque mitterentur in Galliam ad controversiam coram
„ Rege disceptandam, ad quod electus fuit unà cum Abbate
„ *Sancti Bertini* ex familia Bergensi, dictus M. *Bucho*, qui de
„ rebus *Frisonicis* juribusque Ducum *Saxoniæ* ac Regis *Caroli*
„ in *Frisia* quam optime instructus * fuerat. Legationis autem
„ non is fuit exitus ut Geldri (quod prætendebatur) *Frisia* ex-
„ cederent."

que, *sed male. Nam dies 24 Junii non est vigilia, sed ipsum festum Nativitatis S. Joan. Bapt.*

* *melius*: erat. *alii cod.*

Hîc unum illud notasse juvabit, quod *Adrianus Florentii*, præpositus *S. Salvatoris* Ultrajecti (qui postea *Adrianus* VI. Papa fuit) *Caroli* legatus fuerit in tractatu super cessione *Frisiæ*, quæ res mihi non occurrit hactenus, frustra quoque quæsita in Vitis & Elogiis collectis a *Casparo Burmanno* in suis *Analectis historicis de Adriano Sexto Papa Romano*. Non fallitur tamen *Adrianus Gaudanus*: habet enim testem *Pontum Heuterum* Rer. Austr. lib. 7. cap. 10. Et *Gabbema* in sup. cit. ad marg. vernacula *descriptione Leovardiæ*, disertis illud verbis affirmat pag. 299. qui ambo nihilominus ab *Adriano Gaudano* discrepant, dum non *Ultrajecti* sed *Middelburgi* hunc tractatum habitum concluſum que scribunt. Pierius Winsemius in *Chron. Fris.* vernac. hunc ipsum tractatum exhibet lib. 14. fol. 427. sed locum non adscribit. Porro ibi inter *Caroli* legatos ordine tertius est: *Heer Adriaen Florencq van Wtrecht, Proobst van S. Salvatoirs Kercke tot Wtrecht.*

X. (1) UT AMBOBUS PEDIBUS IN BAPTISTERIUM.] Hæc in MS. *Joan. de Witt*, & in alio codice quem continuo ad prioris fidem expendimus, hîc loci non inveniuntur: verùm translata sunt ad annum 1534. dum *Viglius* post quatuordecim annorum absentiam, confectis studiorum cuniculis,

culis, in *Frisiam* venerat parentum propinquorumque visendorum causâ: ubi etiam hæc historiola nonnihil exornatur his verbis: „ Quodam autem die cùm parentes ipsius solemne „ instituissent convivium, atque ad id invitassent Presbyteros, „ Nobilesque illius loci ac propinquos amicosque in filii honorem congratulationemque, quod is post decimum quartum „ annum studiis tum *Lovanii* tum in *Burgundia*, *Gallia* ac *Italia* feliciter completis (quod ejus lucubrationes in publicum „ emissæ abunde testabantur) ac in doctorem utriusque Juris „ promotus fuisset, quod rarum tum in ea provincia erat, incidit in convivio sermo de Sectis, & præcipue *Anabaptistarum* passim tum grassantibus: cùmque omnes intenti essent „ quidnam ipse de iis sentiret, multa graviter cum admiratione audientium in commendationem Catholicæ religionis, „ confutationemque reprobarum Sectarum protulit. Quæ audiens *Otto* senex quidam & venerandus presbyter in eccle„ sia *Wirdumensi*, qui olim eum infantem baptizarat, prorupit „ in hæc verba: *Benedictus Deus qui evidenter nobis ostendit veram esse prophetiam M. Buchonis patrui ipsius, qui assistens baptismo jussit, ut & pedibus eum in aquam demergerent, quo in Christi „ fide firmius consisteret.*"

XI. (1) PRIMA ELEMENTA LEOVARDIÆ, &c.) „ Principiò enim in publica schola Grammaticam ac cantum ecclesiasticum discere cœpit; deinde ad M. *Joannis* cujusdam „ cognomento *Crassi*, unà cum *Burmannis*, privatam schòlam, „ translatus fuit: Verùm eo peste anno 1516. sublato, cùm diu „ præceptore proprio caruisset, ad publicum rursus ludum accessit; sed cùm ibi in multitudine negligentius instrueretur, „ tandem obtigit illi præceptor quidam non indoctus nec indiligens *M. Antonius Colonienſis*, &c." Ita *Adr. Gaudanus*, non hoc loco, sed post ea, quæ sup. ad N. IX. §. *Folcardus autem* &c. retulimus. Consonat *Suff. Petri de script. Frisiæ dec.* 12. *c.* 10.

XII. (1) NOMEN PROPRIUM, &c.) Ex his conficitur eum recte appellari, *Viglium ab Aytta Zuichemum* quamvis ille in patrui Buchonis memoriam semper constanterque se ipsum appellaverit *Viglium Zuichemum*. Unde igitur *Thuanus*, *Strada*, *Nicolaus Burgundus*, & nuperus fœderatarum provinciarum historicus *Joannes Clericus*, *Viglio* dedere nomen *Ulricum*? In Gallia Christ. novæ edit. tom. 5. legis *Huldricum*. *Morerius* in Dict. Hist. minus aberrat dum scribit: VIGILE DE ZUICHEM. *Serapionem Hanya* cognatum suum reprehendit *Viglius*, quod nomen suum atque cognomen ridicule mutasset; cui Doctori facto hæc scribit: „ In hac honoris accessione non arbitror te *Serapionis* proavitum nomen postposuisse adscititio „ illi *Severini*: quod, si mihi rem gratam facere volueris, om-

„ nino

„ nino abolebis. Ego *Vigilius* aut *Virgilius* nominari pro *Viglio* „ poteram, niſi avitum propriumque nomen retinere maluiſ„ ſem: & tu *Serapionis* antiquiſſimum cæterisque nationibus „ uſurpatiſſimum, familiæ vero noſtræ quaſi gentilitium aſper„ naberis? Proavus nobis fuit *Serapio*: patris tui meæque ma„ tris frater fuit *Serapio*: unde & tibi meoque germano ad eo„ rum perpetuandam memoriam inditum eſt nomen: quod „ tua eruditione ac fama illuſtrius fieri cupio. Memini & il„ lud me reprehendere quod *Veidumeus* malueris dici quàm *ab* „ *Hanye*. Porro Doctor jam factus, uti ſpero reſumes patriam „ appellationem & pro *Severino Veidumeo*, *Serapio ab Hanye* ap„ pellari te profiteberis.... Bene vale conſobrine chariſſime. „ Datum ex Ingolſtadio decima die Februarii a. 1538." *Ex tom.* 3. *p.* 70. Porro *Ayttana* familia apud Friſios perantiqua & olim inter nobiliſſimas reputata fuit, inquit *Suffr. Petri* ſtatim citatus.

(2) AB LEONE ALBADA) Quod de hoc viro hîc prodit *Viglius*, id ab *Adriano Gaudano* omiſſum reperi, in utroque codice.

XIII. (1) JACOBO VOLCARDO) de quo vide *Valerii Andreæ* Bibliothecam Belgicam novæ editionis, quam efficit & elaborat *J. F. Foppens* eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ Canonicus graduatus theologus. Teſtatur apud patruum *Buchonem Viglius*, ſe, cùm Lovanii degeret, optimi & doctiſſimi præceptoris ſui *Jacobi* in omnibus ſuis negotiis conſilio uſum. Exſtat ejus ad *Volcardum* epiſtola ex Haga Comitis data 15 Auguſti 1526. de ſociorum itineris ſui in Galliam inſtituendi inconſtantia, quod ſuſcepit ſolo *Sinckone a Mellama* comite, quæ eſt in tomo 2. Epiſt. ordine ſecunda. Magni eum fecit *Viglius* quoad vixit. Nam anno 1541. cùm *Hayo* a *Camminga* ægre ferret, nonnullas *Eraſmi* epiſtolas, quæ ejus commendationem continebant, in editione *Frobeniana* eſſe omiſſas, reſcribit *Viglius* his verbis: *Eadem verò mihi querimonia eſt de epitaphio in præceptorem meum Jacobum Volcardum Bergenſem virum immortalitate digniſſimum.* Tom. 3. Epiſt. p. 288. Vſa. Porro id epitaphium a *Joanne Secundo* ſcriptum, leges in nova editione Bibliothecæ Belgicæ *Valerii Andreæ*. Et in *Joannis Secundi* operibus a *Scriverio*, novis curis, anno 1631. publicatis, habes in *Funerum libro* Næniam *in obitu doctiſſimi Viri Jacobi Volcardi Bergenſis*.

XIV. (1) JACOBO RIDDER) Non tantum *Philippi Burgundi*, ſed ejus quoque prædeceſſoris *Frederici Badenſis*, & ſucceſſoris *Henrici Bavari* Trajectenſium epiſcoporum ſuffraganeus ſeu in pontificalibus Vicarius generalis fuit. Erat autem ordinis fratrum Prædicatorum & Conventus *Ultrajectini* filius.

V. Bat. Sac. part. 1. *p.* 233. *Hiſt. Epiſ. Ultraj. p.* 28. *Et Bernardi de Jonghe Belgium Domin. p.* 323.

(2) APUD BOGARDOS.] Hi quoque & magis propriè, *Beggardi* appellantur, & „ a *Pipini* Ducis uxore & nomen & „ originem referentes, laici & fere textores fuerunt *Lovanii*, „ propria quidem quadrâ, menſa tamen & regula communi vi„ ventes ſub *Miniſtri* unius obedientia, nuncupati *Fratres de Pœ„ nitentia*" inquit *J. B. Grammaye* ſub Lovanio. Hic illi ſermo eſt de *S. Begga*; verùm illa non *Pipini* Ducis uxor, ſed filia fuit, nempe *Pipini Landenſis*: uxor autem *Anſegiſi*, ac mater *Pipini Craſſi Herſtallii*. An *Beggardi* & *Begginæ* a *S. Begga*, an vero a *Lamberto Beguio* originem ducant, controverſia eſt, quæ ad inſtitutum noſtrum nequicquam facit, qua de re videri poteſt *Jo Geldolphus* a *Ryckel* Abbas *S. Gertrudis Lovanii* in vita *S. Beggæ*. Huc ſpectat, qui & quales eſſent hi *Bogardi* apud quos *Viglius* biennium commoratus eſt. *Grammaye* illos *Fratres laicos*, & Lovanii *textores* fuiſſe recte dixit: fuerunt & tales Antverpiæ. Vitra ocularia ſeu conſpicilla elaborabant Sylvæducis, & alia alibi opificia exercebant. *Hiſt. des Ordres monaſt. to.* 7. *p.* 247. Anno 1290. aſſumpſerunt tertiam regulam *S. Franciſci Aſſiſiatis*, & vitam communem anno 1455. „ Anno vero 1468. habitum monaſticum, quo „ etiam nunc utuntur, & reformationem, cum privilegiis & „ conſtitutionibus toti Ordini per *Nicolaum V.* conceſſis, ſuſce„ perunt, & uno ac altero ſacerdote, qui ipſis præeſſet, ad„ miſſo, paulatim cœperunt aliquas Horas decantare, donec aucto ſacerdotum numero, placuit, divinis ſolum vacare officiis, relictâ textrinâ". Hæc a *Ryckel* pag. 638. Habitus quo utebantur *Beggardi*, dum ille ſcriberet, erat griſeus, ſeu ferruginei coloris, hodie vero & recentiſſimè eſt niger ex decreto Capituli, de quo meminit a *Ryckel* p. 503. ubi & vide, quàm hi *Beggardi* (hodie viri religioſi ac presbyteri) nec non noſtrates *Begginæ*, nihil commune habeant cum *Beguardis* & *Beguinis* in Concilio Viennenſi ſub *Clemente V.* damnatis.

(3) OPERAM IBI DARE PERGEBAT:] nempe apud *Bogardos*, duos fere annos Græcis, Latiniſque ac humanioribus litteris operam dediſſe ſe *Viglius* ſcribit. Aliud innuit *Adrianus Gaudanus*: *Unde* (e Bogardorum domo) *cum eodem* (Volcardo) *migravit ad M. Egidium a Mola Mechlinienſem, prope capellam clericorum. Duobus autem primis annis Græcis, Latiniſque ac humanioribus literis operam dabat, cùm privatim* &c. Ita codex uterque. *Egidius* mihi nuſquàm occurrit; nec in *Faſtis Academicis*, nec in *Bibl. Belg. Valerii Andreæ*, nec in *Acad. Lovan. Nicolai Vernulæi*, nec denique apud *Miræum*; ut ſtudioſorum altor potius quàm ſtudiorum cultor fuiſſe videatur. Porro *Capella clericorum* hodie *S. Antonii*, Facultatis Artium eſt.

(4) IN

(4) IN COLLEGIO TRILINGUI] de quo præclara vide in *Valerii Andreæ Faſtis Acad. Lovan.* & in *Bibl. Belg.* nec non in *Nic. Vernulæi Academia Lovanienſi.* ac *Eraſmi* epiſtola CCCLXII. tomo III. part. I. col. 377. & 378.

(5) CONRADO GOCLENIO] Weſtphalo, qui Canonicus Antverpienſis, Lovanii perpetuo vixit, ſecundus ab erecto Collegio Trilingui, linguæ Latinæ ibi profeſſor, de quo vide auctores proxime citatos. Porro ille *tanta facilitate docuit, ut politiores litteras etiam averſantibus redderet gratioſas. Nic. Vernulæus Acad. Lov. p. 75. V. Aub. Miræi Script. Sec. XVI.* Cùm *Goclenio* operam daret *Viglius* condiſcipulum Lovanii habuit *Georgium Egmondanum*, poſtea Epiſcopum Ultrajectinum, a quo deinde expetitus fuit, ut apud ſe Officialis munere fungeretur. Ex *tom. 2. Epiſt. Viglii p.* 280.

(6) RUTGERO RESCIO] primo linguæ Græcæ in eodem Trilingui Collegio *Buſlidiano* Lovanii profeſſore. Is celebris poſtmodum typographus libros Græcos plerumque optimos, ſuis, & ſæpius *Bartholomæi Gravii* ſub *Sole aureo* commorantis ſumptibus excudit, & inter hos *Theophili Inſtitutiones Græcas* a *Viglio* primùm repertas in bibliotheca Cardinalis *Beſſarionis* Venetiis aſſervata. V. *Val. Andr. Biblioth. Belg. & Faſtos Acad. Aub. Miræi ſcript. ſec. XVI.* in *Jo. Alb. Fabricii edit. p.* 138. & *Mich. Maittaire Annal. typogr. to. 2. part. 1. p. 63. & ſeqq.*

(7) SORTITUS AUTEM FUIT &c.] Hæc oratio claudicat. Hiulcus verborum concurſus intelligibilior eſt in *Adr. Gaudano*: „ Eum patruus *Bucho* in *Hagam* an. 1525. ad ſe ſub „ tempus vacationum ſcholaſticarum evocans, aptum judi„ cavit, ut ad juris diſciplinam (cùm *Inſtitutiones* jam pri„ dem ſub doctore *Joanne Haſio* audire cœpiſſet) ſerio animum „ applicaret. Non gravatus autem fuit ipſe *Bucho* illum in „ primis elementis juris, quod olim idem publice privatim„ que apud Lovanium profeſſus fuerat, plenius quoque inſti„ tuere: a quo deinde *Lovanium* remiſſus fuit, ut prædictum „ juris ſtudium diligentiùs perſequeretur, ac ibidem, eodem „ anno audire cœpit Doctorem *Nicolaum a Bruxella* ordinarium „ legum profeſſorem tempore matutino ". Ita codex uterque, & iiſdem plane verbis *Suffr. Petri* de ſcript. Friſiæ Dec. 12. pag. mihi 312. Porro nullus prorſus ſcriptor rerum academicarum *Lovanienſium* adnotavit, *Buchonem* publice privatimque jus profeſſum fuiſſe *Lovanii*, quod ipſe tamen *Viglius* æque prodidit.

(8) JOANNEM HAGIUM] aliàs *De Haze*. Is *Torconiæ* in agro *Inſidenſi* natus apud *Flandros*, Legum doctor, primò Inſtitutionum ordinarius, poſt, cedente *Nicolao Heems de Bruxella*, Legum antecеſſor primarius Lovanii fuit. Obiit an. 1548. 5 Kal. Aprii. anno ætatis 60. conditus in D. Petri,

in ambitu templi, apud altare S. Matthiæ. *Val. And. in Faſt. Acad. p.* 111.

(9) NICOLAUM DE BRUXELLA] qui jam dictus *Nicolaus Heems* Bruxellenſis, vulgo *Nicolaus de Bruxella*, vel *Nicolaus de Capella*, doctoratus lauream conſecutus eſt an. 1503. Idib. Febr. Inſtitutionum ordinarius profeſſor, obiit an. 1532. 22 Junii depoſitus in æde ſacra Auguſtinianorum ſodalium, ubi feneſtra quoque vitrea viſitur effigieſque *Nicolai*, & inſignia gentis. *Faſt. Acad. p.* 108. *Dambouderum* habuit diſcipulum uti notat *Dionyſ. Simon Bibl. Hiſt. des auteurs du Droit to.* 2.

(10) VERUM CUM ILLA NON SUCCEDERET] Hæc paullo aliter & explicatiùs *Adr. Gaudanus*: quæ etſi minoris momenti, idcirco adfero, quòd ex his in notitiam venimus magni viri, quem *Viglius* indigitat his litteris: *M. Dorpius*. Ita igitur *Adr. Gaud.*: „ Verùm cum inita cum Gallis „ concordia effectum non ſortiretur, pecunia ad comparan- „ dos libros juris civilis liberaliter a patruo inſtructus Lova- „ nium rediit, & cùm apud *Jacobum Volcardum* (* ac interea „ in ædes *M. Seuerini Friſii* cum nobilibus aliquot adoleſcenti- „ bus ejus inſtitutioni traditis migraſſet) locus ei non conce- „ deretur, e regione illarum in quibus *Martinus Dorpius* paulo „ ante mortuus fuerat, apud *M. Michaelem a Dorna* commo- „ dum invenit hoſpitium Verùm paulo poſt inde cum hoſpite „ in patris defuncti domum, quæ *Rubra porta* appellabatur, „ recedere coactus, ibi uſque ad menſem Julium Juri ſtrenuam „ operam dare pergebat". Ita rurſus uterque codex & *Suff. Petri* quoque: ut hinc manifeſtum fiat, quod in præfatione diximus, *Suffridum* non ex autographo, ſed ex *Adriani Gaudani commentariis* hauſiſſe.

* quod is interea *Suffr. Petri.*

(11) M. DORPIUS] *Martinus*, ut jam vidimus, qui obiit 30 Maii 1525. de quo Vide *Adr. Barlandum in Chron. Ducum Brab. Aub. Miræi ſcript. ſec. XVI.* in *Fabricii editione p.* 129. *Faſt. Acad.* & *Val. Andr. Bibl. Belg.* ubi & ejus epitaphium ab *Eraſmo*, & in hujus operum nova edit. *to.* 3. *part.* 1. *col.* 899. e quibus, quod omnium manibus terantur hi libri, quicquam excerpere ſupervacaneum ſit. *Thomæ Moro* multis nominibus placuit *Dorpius*, *nec ideo*, inquit, *in poſtremis, quod taxata* MORIA *ſcribendæ tibi apologiæ præbuit occaſionem.* Ita *Morus* confidenter ad *Eraſmum to.* 3.*part.* 1. *col.* 222.

XV. (1) M. HAYMONI BOUDIER] cui ex Ingolſtadio, ubi jus civile profitebatur *Viglius*, anno 1540. 4 Maii, adoleſcentem ſtudiorum cauſa *Dolam* euntem commendat, verbis unde apertum illuſtremque *Viglii* animum, non jam erga præceptorem, ſed erga mercenarium hoſpitem, non ſine aliqua voluptate dignoſcas. Adoleſcens, *inquit* „ ſtudiorum cauſa „ ad

„ ad veſtram Academiam venit, in qua ego adoleſcentiæ meæ „ bonam partem non inſuaviter, nec omnino infeliciter egiſ„ ſe, gratiſſima ſæpe memoria recolo. Nec minorem profe„ cto ex recordatione ſingularis tuæ in me humanitatis vo„ luptatem abſens per multos jam annos capio, quàm præ„ ſenti ex uſu olim accepi. Proinde toto voto animus meus „ laborat, quo dignas aliquando gratias referre tibi queam. „ Quando autem ego ejus nullam hactenus facultatem inve„ ni, tu ipſe diſpice ac tuo jure impera, ſi qua in re meum „ ſtudium aut opera uſui tibi viciſſim eſſe queat. Ego autem „ priſtinæ benevolentiæ tuæ fiducia non erubui & hunc ado„ leſcentem tibi commendare, quem ſi qua in re adjuvare queas, „ id ut meo nomine non gravate facias, valde te oro atque „ obſecro ". *Ex tomo* 3. *Epiſtolar. Viglii p.* 199.

(2) SUB PROFESSORIBUS LUDOVICO MARANTIO &c.] *Dolanæ* Academiæ, uti omnium doctorum virorum, honorifice ſemper meminit *Viglius*. De his profeſſoribus, quatuordecim poſt annos, non tantum egregium tulit teſtimonium, verùm etiam eorumdem defenſionem ſuſcepit apud *Guilielmum Vogdum* ad quem anno 1540. hæc miſit. „ Eadem „ jam tùm (*cum iſtic ageret anno* 1526) ſtudioſorum pene erat „ querela, magis quod forenſium cauſarum patrociniis actio„ nibuſque Doctores, quàm prælegendi officio addicti eſſent. „ Sed cùm ſcholarium numerus diligentiaque creviſſet, illo„ rum quoque excitari ſedulitatem animadvertimus. Et qui„ dam ſponte aliis, quibus plus otii ſuppeteret, haud gravate „ cedebant, inter quos erat *Ludovicus Marantius*, quo certe „ vix alium promptiorem facundioremve audivi. Alii vero „ & ipſi curam intendebant, omneſque id conabantur, ne „ ſtudioſorum induſtriæ præceptorum diligentia deeſſe videri „ poſſet ". *Ex tom.* 3. Epiſt. *Viglii. p.* 235. *Jacobum Duxinum* clariſſimum atque optime de ſe meritum præceptorem dicit *ibid. p.* 200. ad quem exſtat epiſtola de profeſſoribus Patavinis *ibid. p.* 94. *Petrum Phœnicem* quoque extollit in epiſtola, qua *Guilielmum Voigtæum* illi, totique academiæ *Dolanæ* commendat: „ Quem vos quæſo de veſtræ ſcientiæ myrothecio largi„ ter delibatum reddite, & tu inprimis iſtius Gymnaſii digniſ„ ſimo nomine *Phœnix*, effice quæſo, ut quem commendatio„ nis meæ fructum, ex tua humanitate benevolentiaque ſpe„ rat, ejus cumulate compotem ſe factum aliquando gaudeat". *Ex tomo* 3. *Epiſt. pag.* 188. Anno 1533. a Proviſoribus Academiæ Dolanæ ad docendi munus invitatus *Viglius*, in hunc ad eos modum reſcripſit: „ Præſtantiſſimi ac prudentiſſimi Viri & Do„ mini in majoribus ſemper obſervandi. Tranſmiſit ad me lit„ teras veſtras *Hironymus Frobenius*, typographus Baſileenſis,

„ quibus me honorario cumprimis liberali ac conditione per-
„ quam ſplendida in veſtram Academiam, ad profitendi mu-
„ nus invitatis. Unde profecto non vulgarem accepi volu-
„ ptatem, atque illud tantum animo meo doluit, quod non in
„ loco ac tempore, hoc eſt, *Baſileæ* adhuc agenti mihi, litte-
„ ræ veſtræ redditæ fuerint, unde ad Nonas Januarias diſceſſi,
„ cùm operum videlicet aliquot meorum edundorum gratia,
„ longius quam volueram ibi hæſiſſem. Quod ſi vero illic ad-
„ huc agens hanc veſtram voluntatem cognoviſſem, haud
„ illubens, in patriam proficiſcens ad vos divertiſſem, ac *De-*
„ *lanam* Academiam ſemper mihi adamatam reviſiſſem. At
„ vero & illud quoque ægre me habet, litteras veſtras poſt
„ tot menſes huc mihi demum eſſe tranſmiſſas. Etenim ſub-
„ vereor ne id vel ruſticitati vel ingratitudini erga vos meæ
„ adſcribatis, quod ex tanto intervallo de mea voluntate nunc
„ primum vos certiores faciam. Porro de ſuſcipienda docendi
„ functione in veſtra Schola quid habeam animi, ad *D. Jaco-*
„ *bum Duxinum* Præpoſitum *Saltinenſem* plene ſcripſi &c." Ex
Dulmania 13. Auguſti 1534. Verùm hac oblata conditione num-
quam uſus eſt *Viglius*.

(3) ANTONII FUGGERI.] De Familia *Fuggerorum* co-
gnoſcere qui volet, conſulat *Jac. Wilh. Imhofii Notitiam S. Rom.*
Germanici Imperii Procerum lib. 7. *cap.* 3. *Viglius* arctam amici-
tiam contraxit coluitque cum *Fuggeris*, quorum liberos habuit
diſcipulos cum Patavii profiteretur. Jam ab anno 1532. per
hos *Ferdinando* Regi Romanorum innotuerat, ſucceſſu minime
pœnitendo, ut deinceps videbimus. Anno 1540. cùm ex pede
laborans ex *Reina* oppido *Auguſtam* ſeceſſiſſet curationis gratia,
apud *Antonium Fuggerum* hoſpes fuit. Quam bene ille volue-
rit viciſſim *Fuggeris*, ex pluribus ejus epiſtolis apparet: &
Georgio Hermanno Fuggerorum conſanguineo ſcribebat, ſe ſecum
tacite ſæpe doluiſſe, quod „ *Marco & Joanni Antonii Fuggeri*
„ filiis primi anni (quibus quidquid diſcitur in omnem ætatem
„ perdurare ſolet) adeo ſine aliquo fructu effluerent". *Ex*
tom. 3. *Epiſt. Viglii. p.* 220. 221. Ceterum *Viglius Antonium* patro-
num ſuum multis laudibus ornavit, & ad *Franciſcum Rupilium*
ſcribens, *heroëm* vocat, cujus virtus Auguſtæ & *in tota Ger-*
mania reſplendebat, *Ex tomo* 2. *pag.* 48. Vide quoque *Corbiniani*
Khamm hierarchiam Auguſtanam, ubi ſingularia multa de *Fug-*
geris. *Pauli Freheri* theatrum. Et *Piſtor. Rer. Germ. ſcript. novæ*
edit. Struvii tom. 3. *p.* 777. Et *Franc. Sweertium* in *ſelectis orbis*
deliciis ſub Auguſta.

(4) ERASMUS ROTERODAMUS] Anno 1531. Friburgo
ſcribebat ad *Conradum Gocleninm*: *Viglius hic nos invifit*, *Italiam*
petens. *Nihil hoc juvene vivis amabilius*. Erat annorum XXIV.
Cre-

Crebras illas litteras ultro citroque inter eos miſſas dabimus infra : & inter has illam, qua *Viglius Eraſmo* monenti *ut a Sectarum contagiis in totum abſtineret*, ſpondet ſe vitaturum nova dogmata univerſa. Porro *Eraſmi* illam epiſtolam hortatoriam ad *Viglium* non fideliter citavit *Andreas Schurius* in ſua *Epiſt. Centuria* I. *pag.* 367. V. inter *Eraſmianas* epiſtolam CCCLXXIV. in append. col. 1759. Quod ab *Eraſmo* commendatus fuerit *Petro Bembo*, quo faciente Græcas Inſtitutiones nactus eſt, tanti fecit *Viglius*, ut hujus officii ſæpiſſime meminerit. *Eraſmi* ad *Bembum* epiſtolam primus edidit *Heuſſenius in Hiſt. Epiſc. Leovard. p.* 119. *col.* 1. quæ Editores Leidenſes latuit. Reſponſum *Bembi* ad *Eraſmum* de amplectendo *Viglio*, eſt inter *Eraſmianas* epiſtola MCCXXXII. col. 1452. Scribit *Viglius* tum hic tum alibi ſæpe, *Eraſmo* cum *patruo ejus Buchone magnam familiaritatem benevolentiamque interceſſiſſe*. Exſtat *Eraſmi* ad *Buchonem* epiſtola una, quæ eſt DXCV. col. 666. per quam ad *Buchonis* votum ei indicat profeſſorum Lovanienſium nomina ex quibus deligat apud quem *collocet amici ſui pueros*; nempe *Folcardi* fratris ſui & *Viglii* parentis. Quod inde ſtatuo, & quia convenit tempus, nempe an. 1521. (nam proxime ſequenti Lovanium ablegatus fuit) & quia *Eraſmus* illos indicat magiſtros quibus *Viglius* feliciter uſus fuit, ut ſunt *Rutgerus Reſcius*, *Conradus Goclenius* &c. De *Eraſmo* vide infra ad N. XIX. ubi de *Frobeniana* officina.

XVI. (1) CISTERTII ABBATIA) celeberrimum toto orbe monaſterium, & caput Ordinis *Ciſtercienſis*, in dioceſi *Cabillonenſi*; de quo fruſtra pauca, & præter propoſitum plura attulero. Videri poſſunt varii auctores. *Moreri Dict. Hiſt.* jejunè, copioſius *Dict. Trivoltianum* : abundanter & ſufficienter *Gallia Chriſt. novæ edit. tomo.* 4. *col.* 980. *Annales Ciſtercienſes* dabunt omnia & ſingula.

(2) BELVA) imo *Belna*, *Beaune*, oppidum Burgundiæ, unde vina Belnica. *Vins de Beaune. Dict. de Trevoux.*

(3) SALINIS) exiguum oppidum Comitatus Burgundiæ *Salinæ* dictum & *Salinenſe Caſtrum*, antiquitus *Scudingum*, ſitum ad amnem de *Forica*, duos inter montes, ſex a *Veſontione* leucis, ubi fons ſalſus unde ſal album conficiunt. *Dict. de Trevoux.*

(4) ANDREAS ALCIATUS) multis nominibus celebris, qui docuit *Biturigibus*, *Avenione*, *Bononiæ*, & *Ferrariæ* ac mortuus eſt *Ticini* ſeu *Papiæ* anno 1550. ætat. 58. notior eſt, quam ut a nobis exornari debeat aut poſſit. *Viglius* eum mirifice coluit, & inde deprædicavit, quod addiderit Juriſprudentiæ politiorum litterarum diſciplinam. Judice *Miræo*, primus Juriſprudentiam barbaro dicendi genere involu-

tam

tam priſtino nitori reſtituere, & ad fontes revocare cœpit: quod etſi ita ſit, neſcio an ejus opera hodieque legantur. Cum *Joannes Hervagius* anno 1540. libros Juris Civilis *Baſileæ* denuo ſine gloſſis excuderet, ab *Alciato* illi titulum *de excuſat. tutor.* Græce communicatum ſcribit *Viglius to.* 3. *Epiſt. p.* 220. Alia nonnulla de *Alciato* dabimus infra in his notis ad Num. ſeq. ubi de Civitate & Univerſitate *Bituricenſi* erit ſermo. Vide *Pauli Freheri theatr. p.* 826. & *Jo. Vincentii Gravinæ de ortu & progr. Jur. Civil. lib.* 1. §. 170. quæ prolixiora ſunt quam ut in has notas referantur.

(5) FRANCISCUS A RIPA) rectius *Joannes Franciſcus.* Erat *Papienſis.* Primi nominis Juriſconſultus, ſubtili ingenio, & facili enuntiatione docuit, non *Avenione* tantum, ſed in patria quoque; ubi obiit anno 1534. *Dion. Simon Biblioth. Hiſt. des auteurs du Droit.* Ejus opera recenſet *Mart. Lippenius* in *Bibl. reali juridica.*

(6) VALENTIA AD RHODANUM) quæ etiam *Valentia Segalaunorum*; quæ eſt civitas *Delphinatus*, undecim leucis *Viennâ* diſtans, habens Univerſitatem ſeu Academiam, nec non Epiſcopatum ſuffraganeum Archiepiſcopatûs *Viennenſis. Dict. de Trevoux.*

(7) PHILIPPUS DECIUS) *Mediolanenſis.* V. *Dion. Simon*, qui variam ejus fortunam, ſtudia, cathedras quas tenuit, & quæ edidit commentaria juris accurate exponit: nam quæ *Aub. Miræus* de *Decio* adducit jejuna ſunt valde. Abundanter *Guil. Cavæus in append. p.* 160. & *Paul. Freberus in theatr.* Ejus epitaphium quod exſtat Piſis in Campo Sancto, retulit *Fr. Sweertius in ſelectis Chriſt. orbis deliciis pag.* 228. „ Philippus „ Decius, ſive de Dexio, Mediolanenſis J. C. celebri fama no„ tiſſimus, cùm primum locum ſtudii in jure Canonico & „ Civili tenuiſſet Piſis, Senis, Florentiæ, Paduæ, Papiæ, & „ dèmum ultra montes in Gallia, revocatus in Italiam ab ex„ celſa Florentinor. Republ. poſteaquam ſtipendium 1500 au„ reorum in auro pro lectura conſecutus fuiſſet, de morte co„ gitans, hoc ſepulcrum ſibi fabricari curavit, ne poſteris „ crederet."

XVII. (1) GRADUS DOCTORATUS) Quare *Valentiæ* potius, quàm in alia celebriore Academia hunc gradum quæſierit *Viglius*, reperi in epiſtola ad *Sionckonem a Mellama:* „ In „ vicinam Academiam *Valentiam* me contuli, ac ibi ſtatui pa„ rentum commilitonum meorum voluntatem expectare, ſub „ hyemem fortaſſis ibidem Doctoralia inſignia ſuſcepturus. „ *Nam minimum hoc loco impenditur*, & *Philippi Decii* nomine, „ qui hic haud ita pridem profeſſus fuit, celebre adhuc hoc „ Gymnaſium habetur." *Tom.* 2. *pag.* 9.

(2) JOAN-

(2) JOANNES BAPTISTA PALMA) ad quem exſtat elegans *Viglii* epiſtola, infra inter ſelectas legenda: ubi reperias ejus augurium minime vanum; *quod majoribus* Viglius *aliquando rebus, & patriæ uſui eſſe poſſet.*

(3) BITURIGAS CONCESSERUNT) nempe *Viglius* cum ſociis, *Alciati* famâ excitati. *Bituriges* inter antiquiſſimas Europæ Civitates numerantur, ubi fundata eſt anno 1464. academia, olim celebris ex juris utriusque ſtudio & peritia, *Alciato* potiſſimùm faciente, & poſt eum *Decio*, *Duareno*, *Cujacio*, qui poſtremus præclarum de ea elogium ſcripſit, *Nullam ſcholam ſimilem inveniri Bituricenſi Academiæ, in eaque omnes jus docere caſtè, purè, cordatè, ſine fuco, ſine fallaciis.* Apud Jo. Vinc. Gravinam de ortu & progr. Jur. Civ. lib. 1. §. 175. *Viglius Alciato & Bituricenſibus* præclarum præbuit teſtimonium in epiſt. ad *Bernardum Nigrum*, quæ eſt *in tomo* II. *p.* 35. „ Profitetur „ (*Alciatus anno* 1530.) titulum *de pactis* Codice. Abſolvit enim „ duos qui præcedunt, *de edendo*, &, *in jus vocando.* In Dicta„ tis ſummam elegantiam affectat, videturque ſic polire, ut „ poſſint etiam publicam orbis lucem ferre; quo magis mi„ ror vos tam diu in *Dolano* illo nido hærere. Commenta„ rios *de Verborum ſignificationibus* completos eſſe ſcito & jam a „ typographis ad umbilicum perductos certo ſcio, quoniam ipſe „ in eis relegendis annotandisque eorum erratis operam *Al„ ciato* dedi. In fine enim, ut fere in omnibus libris fit, men„ das annotari juſſit, ac ſolum ultimum id folium reſtabat. „ Nunc verò ab ordinario legendi munere nihil habet otii. „ Parerga tamen parergis auget. Cogitur ex conventione an„ num adhuc hic manere. A civibus *Bituricenſibus* valde ho„ norifice habetur, & ejus fama gloriaque *Franciſci* Regis au„ lam quoque complevit. Id inde cognoſcimus quod Rege ex „ *Burgundia* & *Borbonia* redeunte, plerique de itinere deflexe„ runt huc, ut illum viderent & audirent, in quibus fuit Ar„ chiepiſcopus hujus urbis." (*Franciſcus de Tournon, poſt S. R. E. Cardinalis tituli SS. Petri & Marcellini, a Clemente VII. ad Regis Franciſci I. Chriſtianiſſimi poſtulationem creatus die* 19 *Martii* 1530. *ut eſt apud Ciacconium, qui multa & præclara valde de hoc præſule profert.*) „ Legatus *Venetorum*, Oratores Regis *Luſitaniæ*, & „ *Ferrarienſis* Ducis, &c. Arbitror autem illum renovaturum „ pacta cum civibus & hîc longius permanſurum. Nam in „ *Italiam* non redibit niſi æquiſſimis conditionibus accitus. „ Legendam mihi nuper præbuit epiſtolam quandam ſuper ea „ re ad ſecretarium Ducis *Mediolanenſis* ſcriptam: ex qua quid „ haberet animi ſatis cognovi. Multa ſunt quare hîc quàm in „ patria profiteri malit. Hic enim pro nutu ſuo imperat, ibi „ cogeretur faſtuoſorum quorundam ſcholaſticorum dominium

„ ferre & contemptum, qui litteras quoque meliores non „ amant, quæ ipſius eruditionem inprimis commendant & „ ornant. Deinde exhauſta Ducis (*Franciſci Sforziæ*) fortuna, „ vix ſperat æquale ibi honorarium. Et ſi promittitur, diffi„ cilius tamen exigi poteſt in patria, & a Principe ac Do„ mino proprio, a quo ſi durius importuniusve debitum poſtu„ les, non modo de lucro periclitandum eſt, ſed & proprii „ patrimonii alea ſubeunda. Multa ſunt & alia quæ hic eum „ poſſunt retinere. Saltem ſi advenire huc voles, toto adhuc „ anno perfrui eo poteris. Sin veneris, haud difficulter effe„ cero ut illius familiaritate quantum voles, utaris. Illud enim „ jactare poſſum, neminem illi magis familiarem eſſe *Sucqueto* „ ac me."

(4) IPSIUS (*Alciati*) LOCUM TENUIT) *Adr. Gaudanus* addit: „ Ac quietiſſime jucundiſſimeque ibi ſupra biennium „ moratus eſt, magna amicitia ac familiaritate *Franciſci Rupilii* „ Germani ac *Caroli Sucqueti* Flandri Juriſconſulti præclari & „ valde eloquentis, multorumque aliorum doctorum ſtudioſo„ rumque Juris, uſus." *Franciſcus Rupilius Viglio* carus fuit non ex levi conſuetudine, ſed arctiſſima ſtudiorum conſiliorumque communicatione. Et hæc amicitia magnam ei utilitatem præbuit. Nam munus Aſſeſſoris Imperialis judicii quod anno 1535. conſecutus eſt, ſoli *Matthiæ Held* acceptum tulit, cujus benevolentiam ſibi conciliarat *Franciſcus* prout teſtatur in *tomo* 2. *p.* 294. *Vſa.* Ceterum *Rupilius Romam* habitabat cùm *Viglius* in *Weſtphalia* degeret: conqueri ſolitus, *male ſua temperari aſtra ut in tanto animorum mutuo amplexu, tanto ſeparaventur locorum intervallo. Ibid. p.* 257. Etiam *Carolus Sucquetus* fuit conjunctiſſimus ſodalis *Viglii*, quo magis fidelem & charum nullum habuit. Hujus rei, & quòd eximius juriſconſultus fuit, teſtes epiſtolas infra dabimus, ſcriptas ad *Antonium Sucquetum Hadrianum Marium*, & *F. Michaelem* Benedictinum ad *S. Sulpitium* Biturigibus. Interim vide ſis *Val. Andreæ Biblioth. Belgicam.*

XVIII. (1) GUILIELMUS BUDÆUS) civis & præſes *Pariſienſis*, vir Græce Latineque doctiſſimus, inquit *Aub. Miræus.* Magna illi cum *Erasmo* conſuetudo interceſſit ut ex hujus epiſtolis liquet. Sed hæc proſequi noſtri non eſt inſtituti. Audiatur *Viglius.* „ *Budæum* tantum ſemel ſalutavi coram, „ nec puto eum mei quidquam meminiſſe: Litteras antehac „ ad eum nullas dedi, nec ignoras quàm ille ſeveri ſit ingenii, „ ut non modo commendandi, verum ſimpliciter ſcribendi ad „ eum jus mihi ſumere erubeſcam." Ex *tomo* 3. *Epiſt. pag.* 131. *Vſa. Dion. Simon. Budæum* libellorum ſupplicum magiſtrum ſub *Franciſco I.* & ejus bibliothecæ præfectum fuiſſe ſcribit: quod ipſum *P. Niceron* confirmat tomo 8. qui non ſcribit, quemadmodum

modum *Miræus*, eum fuiſſe Pariſiis præſidem, ſed *Negotiatorum Præpoſitum*, *Prevoſt des Marchands*. Ceterùm miror *Niceronium* de *Budæi* cum *Eraſmo* amicitia ac litterarum commercio non meminiſſe, prout facit *Paulus Freberus* in theat. ubi eleganter ſane ejus laudes profert. Obiit an. 1540. 20 Auguſti, ut docet *Spondanus*, qui memoriam vere pii & catholici Viri egregio celebrat encomio. *Jo. Vinc. Gravina de ortu & progr. Jur. Civ. l.* 1. §. 173. eum appellat, emendatorem magis librorum juris, quàm interpretem: nec tam legum, quàm eruditionis earum doctorem. Adeo diverſa ſunt hominum judicia.

(2) UDALRICUS ZAZIUS) *Conſtantienſis*, laudatus ſuper omnes Juriſconſultos Germanos, Vir vividi ingenii & inexhauſtæ facundiæ, *Eraſmo* judice ad *Petrum Bembum* epiſt. MXCIX. col. 1279. Obiit *Friburgi* anno 1535. ut ſcribit *Viglius* ad *Georgium Hermannum Auguſtam. tom.* 2. *Epiſt. p.* 337. *Vſa.* ubi eum celeberrimum Doctorem ac ſui amantiſſimum, e vivis ſublatum dolet. Inter ſelectas *Viglii* epiſtolas dabimus nonnullas ad *Zazium*, & hujus ad illum. Qui plura deſiderat adeat theatrum *Pauli Freberi*.

XIX. (1) BONIFACIUS AMERBACHIUS) *Joannis* eruditi *Baſileenſis* typographi filius; docuit Baſileæ, quam Academiam (Lovanienſi juniorem) *Eraſmus* primum, tum *Bonifacius*, demum *Buxtorfii* ornarunt. *Viglius Amerbachium* & coluit & ſuſpexit, multasque ad eum epiſtolas compoſuit varia eruditione refertas, quarum aliquas ſelegimus. De *Baſilea* Vide *Pet: Bertii Comm. rer. Germ.* Anno 1533. cum Græcas Inſtitutiones Juris Civilis *Hieronymo Frobenio* miſiſſet excudendas, editionis rationem omnem *Bonifacio Amerbachio* permiſit *Viglius*, tum ut Græcum volumen relegeret, & in eo, judicio & arbitratu ſuo uteretur, tum etiam, ut de forma & characteribus ex dignitate libri & utilitate typographorum ſtatueret. Nec hoc tantùm. Ut *Viglii* candidum tum animum tum ingenium noſcas, vide quid amico inſuper permittat: „ ſi quid „ etiam in præfatione mea tibi diſplicebit, rogo ne vereare „ vertere, expungere, caſtigare. Varia ſunt hominum judi„ cia, nec nos ipſi peccata noſtra æque videmus ac alii. Hoc „ amicorum inter ſe munus eſt, famæ alterius mutuo conſu„ lere, ac ea conſuetudo antiquorum etiam fuit. Et bene „ *Piſoner* monet *Horatius*: Si quid tamen olim ſcripſerit, in „ *Metii* (*Albanorum dictatoris*, *tempore Tulli Regis*) „ deſcen„ dat judicis aures.... Si velis tui mentionem præfationi in„ ſeri, id tibi permitto ut ipſe facias quibuscumque velis ver„ bis ſub mea perſona: aut ſi me ſeparatim pro labore iſthoc „ gratias tibi agere: aut ſi tu ipſe epiſtolam adjungere velis, „ vel ſub *Frobenii* nomine hoc agere, ego tibi ad omnia aſſen-

 „ tior

„ tipr mi *Bonifaci.*" *Ex tomo 2. Epist. pag.* 221. Cui opus est plura de *Amerbachio* cognoscere, is scrutetur oportet indigestos annales typographicos *Michaelis Mettaire*, & quinimo *Erasmi* epistolas plurimas. Pauca, sed satis abundanter *P. Freher. in theat. p.* 844. Et *Franc. Sweertius* in *select. orbis deliciis.*

(2) FROBENIANA OFFICINA) celebris nempe typographia *Basileensis*, quam instituit *Joannes Frobenius*, & continuavit filius *Hieronymus*, ac gener *Joannis*, *Nicolaus Episcopius*; de quibus, si tua interest, consule eosdem Annales typographicos, *Erasmi* epistolas, *Baillet Jugem. des Scavants* &c. aliosque. Anno 1533. Græcas Institutiones *Justiniani* Imp. *Hieronymo Frobenio* excudendas dedit *Viglius*, ut jam vidimus: qua de re ad *Erasmum* scribit epistolam inter selectas legendam. *Frobeniis* favit *Viglius* quoad potuit, de quibus anno 1534. mense Martio ex Antverpia ita scripsit ad *Matthiam Heldt* Cæsaris *Caroli* Vice-Cancellarium: „ Institutionum Græcarum opus „ jam est absolutum & hisce nundinis *Francofordiensibus* venum „ prodibit..... Excusa sunt quoque Commentaria prælectio„ num mearum" (*in tit. X. lib. II. Instit. de Testam.*) „ ab eo„ dem *Frobenio*; quæ a studiosis cum aliqua gratia sunt exce„ pta. *Hervagius* qui *Joannis Frobenii* viduam uxorem duxit, „ *Ciceronem* augustissima forma edidit, tibique eum dedicavit, „ eo quidem consilio, ut privilegia quæ *Beatus Arnoldus*" (*Slctstadiensis, Cæsaris Secretarius. Vide Erasmi Epist. col.* 1705.) „ olim promiserat, a te impetret. Bonus certe vir est, & „ æqua ejus petitio, ut veterum librorum edicio non sit eis „ damnosa. Porro Reipublicæ quoque interest in tanta homi„ num dissensione, quæ ex libris malis fere oritur, ad veterum „ authorum editionem chalcographos invitare, allaborareque „ ut abstineant ab istis novitiis libellis, qui tantas quotidie tur„ bas excitant. Plenius foret privilegium quod *Frobenius* pe„ tit, si ad hæreditarias etiam regiones extenderetur, maxime „ illud quo sibi petit caveri de libris probatæ doctrinæ, num„ quam antea ab aliis in lucem emissis..... Conciliabis autem „ tibi, clarissime *D. Matthia*, devinciesque eo beneficio singu„ lariter *Frobenianam* officinam, quæ vicissim tuæ gloriæ per„ quam studiosa semper erit." *Ex tomo 2. Epist. p.* 227. Extitit illo tempore impostor quidam qui multos fefellit, dum finxit se *Joannis Frobenii* filium, qui appellatus est *Joannes Erasmius*: quod nomen ei in sacro fonte indiderit *Erasmus Roterodamus*, *Joannem Frobenium* solitus vocare *compatrem*; qua super re est epistola *Viglii ibid. p.* 329. *V. Mettaire tom. 2. Part.* 1. *p.* 31. Aliud *Frobenianæ officinæ* beneficium contulit *Viglius*, dum eidem universorum *Erasmi* operum, excudendorum privilegium procuravit, his eum in finem apud *Matthiam Heldt* ver-

verbis uſus: „ Quamquam, Domine colendiſſime, me pudeat, „ non in propriis tantum rebus, verumtamen alienis toties „ tuam Magnificentiam inquietare, attamen non potui facere, „ quin hominibus iis quibus mihi jam olim authore *Eraſmo* „ *Roterodamo* non vulgaris interceſſit amicitia, ea præſertim in „ re quæ & meam erga illum defunctum pietatem concerne- „ bat, morem gererem. Ut paucis exponam: Diſpoſuerat „ aliquando *Eraſmus* teſtamento, ut ſe mortuo omnia ipſius „ opera in certos digeſta tomos, quàm elegantiſſime excude- „ rentur, nec levem pecuniæ ſummam in eum uſum legarat. „ Voluntatem tamen iſtam poſtremis tabulis mutavit, ſive quia „ id in ſpeciem ambitioſum videbatur, ſive quod in alios uſus „ rectius liberalitatem exercere ſe poſſe credidit, ſive quia (uti „ ego arbitror) ſpontaneo amicorum & gratæ poſteritatis of- „ ficio relinquere id maluit. *Hieronymus* autem *Frobenius* ac „ *Nicolaus Epiſcopius Joannis Frobenii* filius ac gener, *Frobenianæ* „ *officinæ* hæredes & ſocii, maximis impenſis, quod ille ali- „ quando velle eſt viſus, perficere moliuntur. Tantum veren- „ tur ne exiſtant poſtea qui operæ impenſæ & olei fructum „ eis præripiant, adverſus quos privilegio muniri ſe cupiunt, „ ne quis eadem opera in Romano Imperio vel hæreditaria „ Cæſareæ M. ditione intra octo aut decem annos excudat. „ Fuit *Eraſmus* Cæſ. Maj. Conſiliarius uſque ad extremum vitæ „ diem, ſub ejuſdem etiam ditione natus, totiuſque Germa- „ niæ (uti ſcis) immortale decus, & hunc honorem defuncto „ ſibi impendi olim deſideravit, doctiſque ac ſtudioſis omnibus „ hæc editio cumprimis grata fuerit. Quamobrem, Magce. „ Dne, ſi non erit moleſtum, quæſo ut hunc conatum una „ promoveas, ac optimos viros in publicam laborantes utili- „ tatem, *Eraſmique* manibus pie inſervientes, Cæſareo diplo- „ mate contra fucos iſtos alienis laboribus commodiſque inſi- „ diantes, communiri cures, adjuveſque. Cuperent & ge- „ nerale illud privilegium, quod ad meam ſupplicationem tuo „ beneficio anno 1533. Calend. Octobr. ad X. tantum annos „ obtinuerunt, ad vitæ eorum terminum prorogari poſſe, id- „ que ita fieri conſuetum ajunt. Quæ ut impetrare valeant „ nullos ſumptus recuſant. Et quamquam jam antea in tuo „ ſe ære eſſe confiteantur, juſſerintque per me T. Mag^e. pro „ prius accepto beneficio, ad inſtruendam bibliothecam ſingu- „ lorum librorum quos excuderunt offerre exemplaria, quæ „ & quocumque loco indicaveris mittere parati ſunt: attamen „ ſi ea quæ antea expoſui obtinere poterunt, quicquid omni- „ no tu æquum eſſe judicaveris, prompte atque lubenter da- „ bunt" &c. Ex Ingolſtadio pridie *S. Thomæ* Apoſtoli anno 1537. *Ex tomo 3. pag. 59. & ſeqq.*

(3) SIGISMUNDUS GELENIUS] aliàs *Ghelen*, *Basileenſis*, vir Græce & Latine non vulgariter doctus, ſemper cum paupertate luctatus, de quo varia *Eraſmus* in epiſtolis. *Viglius* ex *Spira* 12 Aprilis anno 1544. hæc ad illum: „ Accepi, *Sigis-* „ *munde* doctiſſime, *Contareni* librum de Rep. *Veneta* abs te mihi „ nuper dedicatum, eumque ſane legi perlubenter, multoſque „ alios in ejuſdem incitavi lectionem. Cum vero antea Ita- „ lica pariter ac Latina lingua deſcriptus privatim ab nonnul- „ lis poſſideretur, gaviſus ſum tua induſtria publici tandem „ juris eum factum eſſe ". *Ex tomo* 4. *pag.* 474. *Vſa*. De *Gaſpare* Cardinale *Contareno* multa ſi quæras, adi *Ciacconium* tomo 3. col. 578. ſi pauca, *Miræum* in *Fabricii* editione pag. 146. ubi hunc ex illo corrige, & ſtatue, *Contarenum* anno 1535. a *Paulo III.* Cardinalem creatum.

(4) OECOLAMPADIUS] *Joannes*, natione Germanus, ex pago *Reinsperg* ut ſcribunt nonnulli *Mettaire vero tomo.* 2. *part.* 1. *p.* 116. ortum dicit ex *Winſperga* oppidulo *Cheruſcorum*, quod vernacule *Hauſſchein* appelletur, natumque anno 1482. Conſonat *Paul. Freher. in theat. p.* 106. Junior cùm eſſet, pietate in Deum & Chriſtum crucifixum fuit eximia, ut ex ejus ad *Eraſmum* epiſtola, quæ inter *Eraſmianas* CCXXXVIII. eſt, facile dignoſcitur: unde eum felicem deprædicavit, quod *nihil aliud quàm cæleſtia meditaretur*. Epiſt. CCCLIV. Cùm ætate proceſſiſſet, ſacerdos primùm, tum magno animo & ſeria conſideratione, monachus eſt factus in monaſterio S. Salvatoris juxta *Auguſtam* Ordinis *S. Brigidæ*, ubi & pacifice & religioſe vixit ac *Auguſtæ* e ſuggeſtu ad populum catholicum dixit, donec exorto *Zwinglio*, aliud quàm cæleſtia meditans, monaſterium liquit, & politâ cucullâ, votiſque monaſticis inſuper habitis, Zwinglianæ ſectæ præco fuit *Baſileæ*, ac cœlibatus ſui pertæſus *duxit uxorem*, *puellam non inelegantem*, inquit Eraſmus epiſt. DCCCCLI. ubi ſubjungit: *Vult opinor, affligere carnem. Quidam appellant Lutheranam Tragœdiam, mihi videtur eſſe Comœdia: ſemper enim in nuptias exeunt tumultus.* Et ad Epiſcopum Leodienſem ſcribens *Erardum a Marca* Cardinalem (ut puto) epiſt. DCCCCLXXXVII. *Fortaſſe novum iſtic non eſt, quod* Joannes Oecolampadius *hic* (Baſiliæ) *publice uxorem duxit, puellam ſane lepidam. Idem fecit concionator Auguſtinienſium, & nuper concionator Franciſcanus. Hac ſane via damnant illorum hæreſim, qui deteſtantur conjugium. Oecolampadius* adhæſit *Zwinglio*, ſed ejus ingenium ſecutus non eſt, qui vehemens & acer, *Lutheri* fuit ſimilis. Modeſtia *Melanchtoni* æquavit *Oecolampadium* & eruditio; uti *Boſſuetius* obſervat *Hiſt. des Variat. des Egliſ. Prot. liv.* 2. De ejus morte varii varia, quæ nihil ad nos, dum hæc ſufficiunt, ut quis ille fuerit, utcumque noſcatur. Ceterum hæc

non

non pro libitu, ſed *Eraſmo* auctore dicta, confer cum *Pauli Freheri* elogio in *ſup. cit. theat.*

(5) SIMON GRYNÆUS] aliàs *Griner* Germanus, ex neſcio quo angulo *Sueviæ*, obſcuris quidem natalibus, ſed *Latine Græceque ad unguem doctus homo, in Philoſophia & Mathematicis diligenter verſatus, nullo ſupercilio, pudore pene immodico*, inquit Eraſmus epiſt. MCLXXIV. *Ludovico Joanni Vivi* placuit, quem *Gandavi* acceſſit. *Luthero* & *Melanchtoni* amicus, varia ſcripſit, inter quæ eſt vita *Joannis Oecolampadii*. Multa de *Simone Joſias Simlerus* in epit. Biblioth. *Geſneri*. *Paul. Freher in theatro*, natum ſcribit an. 1493. circa oppidum *Temigam* in *Suevia*, & *Baſileæ* e peſte obiiſſe an. 1541. ibique ſepultum ad latus *Oecolampadii*.

(6) LUDOVICUS VERUS] Ita in Mſ. errore librarii. Legendum *Berus*, *Baſileenſis*, & Theologiæ doctor *Pariſienſis*, poſtea *Baſileæ* apud Collegium Divi *Petri* Præpoſitus, quem *Eraſmus* mirifice extollit, & appellat *abſolutiſſimum theologum*. „ Virum, id quod conſtat, omnibus virtutum ac diſciplina„ rum ornamentis cumulatum; tum autem in theologica pa„ læſtra ſic exercitatum, ut apud *Pariſios*, inter eos, qui Do„ ctoris titulo inſigniebantur, primum meruerit locum". Vide Epiſt. CXLVIII. col. 128. F. & DLXXIII. col. 644. Plura dabit *Simler*. cit.

(7) GEORGIUS AMELIUS] *Manſveldenſis* Germanus, cujus lucubrationes recenſet *Simlerus*.

XX. (1) JOANNES RELINGER] Legendum *Recblinger*. Eſt error ſcribæ, Germanicorum nominum inſueti. In pluribus *Viglii* epiſtolis occurrunt *Recblingeri Henricus*, *Quirinus* ac *Matthæus* fratres, quorum priores duo ejus fuerunt diſcipuli cùm *Patavii* profiteretur. Hi *Fuggeris* erant affines. Horum, & illorum, quòd bene de ſe meriti eſſent, memor eſſe voluit in hoc de Vita ſua commentario *Viglius*, omnium hominum gratiſſimus. *Quirinus* immatura & ſubita morte extinctus eſt anno 1537. De quo caſu quæ ad *Henricum* fratrem ſcripſit, annexui, ut elegantiſſimi viri animum omnis leporis, ſuavitatis & humanitatis plenum commonſtrem. Accipe verba: „ De *Quirini* morte *Augu„ ſtæ* primùm ſum factus certior. Dici vero non poteſt quantum „ ea res me commoverit. Solemus minus graviter eorum „ ferre mortem quos antea ægrotare cognovimus. Senſim „ enim communis illa hominum conditio in animum influens „ aliquantum nos ſive præmunit ſive aſſuefacit ad futurum „ aliquem caſum: quæ vero repente nunciantur ea multo gra„ viſſime animum feriunt. Quam charum *Quirinum* habuerim, „ quantaque viciſſim illius in me pietatis & amoris exempla „ fuerint, quid opus eſt apud te recenſere, quem idem nexus „ junxit

„ junxit, quique quinquennalis inter nos consuetudinis socius „ mutuam inter nos voluntatem apprime perspexisti. Eam „ autem non minuit absentia, sed multis officiis crebrisque „ literis exculta, arctiore quodam nos vinculo devincire vi- „ debatur. Sed quid ego mea hic damna commemoro? Dum „ enim mecum cogito qualem filium piissimi parentes, qualem „ tu fratrem amiseris, non solùm proprio, sed vestro etiam „ incommodo mœroreque commoveor. Erat enim ille magnis „ impendiis liberaliter atque eleganter institutus, eoque jam „ perductus, non modo ut de suis rebus prospicere ipsemet „ posset, sed etiam alienis cavêre: ad hæc tanta morum sua- „ vitate fideique integritate, ut omnium qui eum novêre com- „ mendationem benevolentiamque mereretur. Te autem quo- „ modo consoler, qui sciam istum tibi fratrem omnibus aliis „ chariorem fuisse, quem vitæ, studiorum, arcanorumque om- „ nium societas arctissime copulaverat? sed cogimur aliquan- „ do, mi *Henrice*, ex talium acerbitate casuum nostram hic re- „ cordari conditionem. Debemus enim (ut inquit ille) morti „ nos nostraque. Et quemadmodum flores omnium specioſis- „ simi odoratissimique citissime evanescunt, qui optimi viden- „ tur iis minimum vitæ spatium largiuntur. Nec in ejusmodi „ doloribus ullum est præsentius remedium, quàm communis „ mortalium conditionis necessitatisque recordatio. Nec nobis „ tamen interea *Quirinus* mortuus erit, sed vivet in animis no- „ stris, hos dum vitalis aura moderabitur artus..... Bene vale „ *Henrice* charissime Ingolstadii pridie Epiphaniæ 1538." *Ex to- mo* 3. *Epist. p.* 63. Quid, quod *Quirino* epitaphium scripserit *Viglius*:

QUIRINI RECHLINGER
PATRITII AUGUSTENSIS
VARIIS DISCIPLINIS, LINGUIS, MO-
RIBUSQUE CULTISSIMI
REQUIESCUNT HIC OSSA.
QUI CUM ANNOS DUMTAXAT
XXIV. MENSES IX. DIES XX.
VIXISSET, ET PARENTUM SPEM
OMNI PUNCTO ADEPTÆ LAUDIS
IMPLESSET;
EAMDEM PRÆMATURO VITÆ
EXITU, TURBATOQUE NATURÆ
ORDINE, HEU! NIMIUM CITO,
DISSOLVIT.
CUI HOC MONUMENTUM,
UT SUAS AMICORUMQ. LACHRYMAS
INFOELICES PARENTES

AC

AC GERMANI FRATRES SORORESQUE
QUINDECIM
SUPERSTITES SOLARETUR,
MÆSTI POSUERE.
MORTUUS EST ANNO M.D.XXXVII. DIE XI.
SEPTEMB.
Ex Codice Collegii Viglani Lovanii notato n. V. p. 64.

(2) JOANNES PANGARTNER] Etiam hic vitium eſt librarii. Scribendum fuit *Paungartner*. Homo, inquit *Eraſmus*, *ampliſſimè dives*, quem ipſe quoque ampliſſime laudavit. „ Ge„ neris *inquit* pervetuſta nobilitas. Exſtant enim inſtrumenta „ teſtantia familiam illam inter claras habitam ante multa ſe„ cula. Origo gentis fuit e *Franconia Orientali* vetuſtiſſima no„ bilium virorum parente, unde qui nunc apud *Gallos Franci* „ dicuntur, profecti ſunt. Ibi ſedem olim habuerunt majores „ hujus. Eſt etiamnum in ea regione monaſterium, horum „ benignitate tum ornatum magnifice, tum ampliſſimis dota„ tum cenſibus.... Pater hujus.... in ſumma tum gratia tum „ auctoritate fuit apud ſupremos orbis Monarchas *Mathiam* „ *Hungariæ* Regem excuſſi judicii virum, *Fredericum* Imperato„ rem, quem nominaſſe ſatis eſt laudaſſe, & hujus filium „ *Maximilianum* ..... *Joannes Paungartnerus* arces duas poſ„ ſidet, alteram cognomento *Paungarten* quam ſuperiorum in„ curia neglectam magnifice reficit, exornatque ſtructuris. „ Altera cognomento *Ernbach*, hactenus corrupte vulgo dicta „ *Erbach*, ſita eſt ad *Danubium* paulo ſupra *Ulmam*, loco amœ„ niſſimo, ditione ſatis ampla, cui oppidum ſubjacet ejuſdem „ nominis. Felix ille populus tali Domino, cujus auſpiciis „ omnia redduntur floridiora ..... Felix Germania tali „ heröe. Felix ego tali amico qui cum mihi ſunt omnia com„ munia. Hoc jus non exſtat quidem in Cæſarum legibus, „ ſed in Gratiarum tabulis deſcriptum eſt, quo meum eſſe „ duco, quicquid eſt in bonis *Paungartnericis* ". Ita Eraſmus inter multa, *Epiſt. MCCLXI. col.* 1481. *& ſeqq.* Hoc volui hic expreſſum uti rariſſimæ amicitiæ exemplum. Quis enim eſt, ut ait non-nemo, qui pecuniam ſuam cum altero dividere velit? Etiam *Viglius Joannis Paungartneri* munificentiam ſenſit, cum *Biturigibus* filium auditorem habens, donatus fuit Sphærico annulo qui & auro pretioſus & artificio erat admirabilis, uti teſtatur in *tomo* 2. *pag.* 47. *Vſa.* Habuit filios quatuor. *Georgius* ſecundo genitus ſub *Viglii* diſciplina *Patavii* Juriſprudentia egregie excultus fuit, de quo ſcripſit, *liberalius educatum ingenium vix aliud* ſe reperiſſe: *Ex tomo* 2. *pag.* 142. *Vſa.* Hæc *Eraſmus* & *Viglius* annis 1532. & 1533. Triginta circiter poſt

annos *Boëtio Eponi* oblata fuit ex commendatione *Hopperi* per Cardinalem *Granvellanum* provincia literaria, ut ad tempus ampliſſimo ſtipendio inſtituendos ſuſciperet filios *Paungartneri*; *Joannis*, opinor, nepotes, atque cum iis & Italiam & Galliam perluſtraret; ſed eam non ſuſcipit. Vide *Epiſt. dator. Viror. a Gabbema* editas pag. 229. Inter epiſtolas *Eraſmianas* una eſt *Paungartneri* ad *Eraſmum* col. 1773. ex qua generoſum hominis animum abunde dignoſcas, quam ſignat his verbis: *Tuus ex animo* JOANNES PAUMGARTNERUS A PAUMGARTEN.

XXI. (1) DISCESSIMUS] Toto hoc Numero loquitur *Viglius* in prima perſona, ut Grammatici ajunt. *Tractati fuimus, perluſtravimus, valediximus, pervenimus* &c, quæ in *Adriani Gaudani* codice non invenias nec apud *Suffridum Petrum*: ut hinc, ſi cetera deeſſent, argueres, *Viglium*, hujus de vita ſua commentarii, auctorem eſſe.

(2) CHRISTOPHORUS BACHENBUTIUS] *Adrian. Gaudanus* & *Suffridus Petri* ſcribunt *Bakenbuſium*, & *Viglius* ex *Spira* anno 1536. ad *Matthiam Heldt*: „ Nos ex collegis rurſus nuper unum „ extulimus, virum bene eruditum *Chriſtophorum Backenbuſchium*".

(3) ANNA] *Ladiſlai* VI. Hungariæ & Bohemiæ Regis filia, uxor *Ferdinandi* tunc Romanorum Regis, poſtea cedente *Carolo* V. fratre, Imperatoris ejus nominis primi. Horum filii, *Maximilianus* fuit Imperator ejus nominis II. *Ferdinandus* obiit adoleſcens. Porro *Anna* in hiſtoria celebris eſt, & ſingulari ratione nuptui tradita puella tredecim annorum. Deſponſata namque fuit *Maximiliano I.* Imp. adjecta conditione: ſi nec *Carolus* nec *Ferdinandus* fratres, *Maximiliani* nepotes eam ducerent. Hæc apud varios Authores leges. Quia vero res inſolita eſt, adſcribo verba *Matthæi* Cardinalis Gurcenſis ex Itinerario, quod eſt apud *Freherum in rer. Germ. ſcript. novæ edit. tom. 2. p. 657.* „ *Anna* Regina, *Vladiſlai* Regis filia, cum Cæſari deſponſata „ quodammodo videretur, Imperator coronam auream, qua „ *Ladiſlaum Bohemiæ* Regem olim coronatum memorant, afferri „ juſſit. Inde (aderant enim Notarii & teſtes) ſic eſt exorſus: „ *Quamquam ego te uxorem meam fore dixi, ſequeſtraque fide tu „ mihi juncta es, tamen ut vel* Carolo, *vel* Ferdinando *nepotibus „ nubas, ſententia eſt: ſi vero neutri, tu mea uxor es. Quamobrem „ cum alter, Caſtiliæ, Arragoniæ, Bethicæque regna habeat, alter „ Neapolitanum in Italia ſceptrum habiturus ſit: Egoque cùm Roma- „ norum Rex & Imperator ſim, Te* Anna *Reginam nuncupo ac ſaluto*; „ aureamque, his dictis, coronam capiti impoſuit". Nupſit autem *Ferdinando*, ut vidimus. Audi *Gerhardum a Roo apud Freherum cit. p.* 590. „ Sunt qui *Vladiſlaum* filiæ conjugium Cæ- „ ſari (*Maximiliano I.*) prius obtuliſſe affirmant, eumque re- „ ſpondiſſe: auditum ſibi aliquando ex parente *Friderico*; Prin-

„ cipi

„ cipi ætate provecto, mitius non posse adferri mortem, quàm „ si ei juvencula conjugetur. Itaque consultius videri, uti „ *Anna* nepotum alteri colloceur ".

(4) HIERONYMUS BALDUNGUS] Cancellarius, non Cæsaris, sed *Ferdinandi* Regis. Exstat *Viglii* ad *Baldungum* epistola consolatoria super *Aurelii* filii morte, quæ sapientiæ & eruditionis plena inter selectas dabitur. *Baldungus* loco motus fuit, quo casu tactus *Viglius* amicum hortatus est, ut adversam fortunam æqua mente servaret, hæc ad illum verba mittens quibus extenuando infortunii molestiam multo cum amore philosophatur, atque ab exemplis dolorem minuere ac animum illi facere satagit: „ Ingratus valde sim, si non vicissim mutuo „ affectu erga te existam, & ut adversis rebus tuis doleam, „ sic secundis iterum exultem. Varius autem hic rumor fuit „ eorum qui te noscunt, de inopinata tua magistratus abdi„ catione, quæ res & me suspensum antea reddidit, quod ad „ te scribendi argumentum sumerem. Hanc autem dubitatio„ nem meam *G. Hermannus* dissolvit, qui cum magnus semper „ tuarum virtutum admirator atque prædicator fuerit, non „ aliter accipit id quod tibi accidit, quam si proprium esset „ infortunium. Duabus tamen rebus maxime se consolari ait, „ & quod non culpa id tua, sed æmulorum invidia acciderit, „ & quod te majore cum gloria ad pristinam dignitatem revo„ cari conspicit. Est autem apud bonos omnes non mediocre „ quoque innocentiæ tuæ argumentum, quod forti animo quic„ quid invidia contra te moliri potuit, pertuleris. Solatium „ quippe est, vacare culpa. Atque eam solam magnos viros „ ægre ferre decet, non invidiam quæ vitutem ubique sequi„ tur. Et ut etiam te molestè habuisset æmulorum improbum „ contra te facinus, nunc tamen non quid amiseris, sed quid „ recuperes cogitare te decet. Erepta tibi est dignitas quam „ virtutibus tuis pepereras: eadem si non nunc tibi restituitur „ hoc tamen significatur, immerito tibi ereptam fuisse: cùm „ tua fides & industria tam luculento honoris testimonio ab „ Ser^mo. Rege comprobetur. An enim parum hoc est, te „ unum idoneum esse visum, qui cum sapientissimæ amplissi„ mæque Reipublicæ (*Venetæ*) legatis finium regundorum arbi„ trium perageres? Putasne adversariis tuis oculos non dole„ re, quod tantum tibi honorem delatum cernant? Videsne „ Regem ipsum hoc agere, quo te in integrum adversus in„ vidiam restituat? Itaque ego mihi istum diem videre videor, „ quo te multo majoribus honoribus quam antea cumulatum „ ornatumque cernam. Non est ergo causa aliqua cur te con„ soler amplius, sed magis quo tibi gratuler, quod tam parvo, „ cum tam potentum adversariorum invidia decideris. Aliorum

„ enim immerita exilia atque exitia cogita. At ne hoc qui-
„ dem tui inimici impetrare potuerunt, ut ignominioſe mit-
„ tereris, & ne nunc quidem impedire, quo minus honeſte
„ revocareris. Tanta eſt tuarum virtutum, priorumque me-
„ ritorum vis. Poſſem hic exempla multa in medium addu-
„ cere eorum quibus idem accidit, ſed unico *Triboniano* noſtro
„ contentus ero, cum quo tibi omnia prope æqualia ſunt, &
„ cujus quanta fuerit authoritas non ignoras, quippe cujus
„ conſilio & prudentia *Juſtinianus* Imperator & Rempublicam
„ ſapientiſſime adminiſtravit, & immortale legum opus edidit.
„ An non & hic furentis populi invidia Magiſtratu deturbatus,
„ ac paulo poſt majore cum honore reſtitutus? Ut *Procopius*
„ de bello *Perſico* lib. primo refert. Nihil eſt itaque, vir cla-
„ riſſime, quod impotens fortunæ arbitrium, invidiæque in-
„ ſultum gravius feras, cum virtus ad tempus tantum iſtis ce-
„ dat, mox majore ſplendore & gloria exoritura..... *Patavii*
„ pridie Calendas Junii anno 1533." *Ex tomo* 2. *Epiſt. pag.* 199.
Quid *Baldungo* exinde evenerit, ignoro, & nullam per reli-
quam ætatem *Viglius* ad eum epiſtolam dedit.

(5) GEORGIUS HERMANNUS) An, hic quis, qualis-
ve fuerit, requirendum eſſet, aliquamdiu mecum dubitavi:
quòd videretur privati hominis, qui in re litterariâ nihil præ-
ſtitit, cognitio, nullius eſſe pretii. Verùm cùm *Georgius* ar-
ctiſſima neceſſitudine cum *Viglio* conjunctus, hunc, quocumque
loco eſſet, perpetuo conſuluerit, & de univerſis rebus ſuis,
de prole, negotiis, litibusque ad eum, veluti ad ſacram an-
choram retulerit, & *Viglius* viciſſim *omnibus ſuis actis & conſi-
liis Georgii accedere ſcitum & conſenſum cupiverit*, (*tomo* 3. *pag.* 44.
Vſa.) ſententiam mutavi. *Georgius Hermannus* cujas ſit, non
ſatis mihi conſtat hactenus. Locum lego at non reperio. Ita
enim ad *Georgium Viglius*: *Multa abs te beneficia in patriam ac
Rempublicam Kauffpeurnenſem collata ſunt. tom.* 3. *p.* 77. Vide-
tur migraſſe *Auguſtam* ibique liberos genuiſſe. Certe *Joannes
Georgius*, *Georgii Hermanni* filius, fuit civis Auguſtanus, quod
colligo tum ex epiſtola quadam *Viglii tomo* 3. *pag.* 88. tum quod
ad illum ſcribens *Viglius Claudium Peutingerum* & *Leonardum
Langemantelium* ejus *concives* appellet: quos patricios *Auguſtanos*
fuiſſe conſtat ex *Annalibus Augſtburgenſibus Achillis Firminii Gaſ-
ſari apud Menokenii ſcript. rer. Germ. tom.* 1. Porro pater *Geor-
gius Antonii Fuggeri* conſobrinam uxorem habuit, & multos
annos omnibus rationibus *Fuggericis* præfuit, dives ipſe cum
primis, doctorumque hominum non infimus Mœcenas, & La-
tinæ linguæ non imperitus, in qua ad *Viglium* ſemper ſcri-
pſit, uti lego *tom.* 2. *p.* 144. Fuerunt *Georgio* filii quinque:
Joannes Georgius, *Chriſtophorus*, *Matthæus*, *Ludovicus* & *Anto-*
nius.

nius. Primogenitus *Viglio* in disciplinam datus non profecit ut debuit & post indiligentiam in studiis, mores induit parum decoros, unde animi cruciatum, & parens *Georgius* & *Viglius* fuscepérunt magnum simul & diuturnum. Scripsit ad *Joannem Georgium* increpatoriam *Viglius*, qua si elegantiorem ac sapientiorem uspiam legeris, fallor maxime. Hæc mihi pretiosa adeo visa, ut inter selectas locum haberet, exigebat, ut de patre ac filio hic adferrem nonnulla, ex quibus eâdem operâ nobiles ac eximios *Viglii* sensus dignosceres. Filii culpam in præceptores rejecerat *Georgius*, ut parentes fere solent, unde *Viglius* necesse habens purgare se, hæc ad illum verba dedit: „ Quod tuis litteris tardius respondeam, ut ingenue fatear, „ in causa est, cùm privatus meus, quem de filii tui meique „ olim discipuli moribus studiisque nostræ expectationi adeo „ non respondentibus, concepi, dolor: tum privatus quoque „ meus erga te pudor. Nam quoties tuas literas in manus „ accepi, ad respondendum forte me parans, ita tuis queri„ moniis atque illius culpa sum commotus, ut quo ad te scri„ bendi genere uti deberem, subinde subsisterem. Et tametsi „ non paucas neque leves causas haberem, quibus me tibi „ purgarem, ac me extra omnem culpam esse demonstrarem: „ attamen valde veritus sum, ne si ego studiosius me excusa„ re conatus fuero, te forte mea purgatione offenderem ma„ gis quàm placarem. Cum neque dolore meo tuo mederi „ possim, & naturaliter fiat, ut justa de causa concepta indi„ gnatio, si habet in quem se exerceat, molliatur: si quis por„ ro ei resistat, jam magis magisque exasperetur. Ego vero „ quàm antehac sæpe sim offensus illius vitiis, malui meis lit„ teris ipsemet indicare, quàm tuum in eum animum conci„ tare. Ita scilicet semper sperans fore, ut aliquid tandem „ mea monita apud eum proficerent, & ea, quæ nos tantope„ re cupimus, facere inciperet. Neque ullum genus scriben„ di intentatum reliqui. Modò rogavi, modò monui: modò „ exhortatus, modò indigniatus convitiatusque ei sum. Et si „ quid absens per literas effici potuit, certe si filius fuisset aut „ frater, nescio quid aliud facere debuerim. Ad hæc nihil „ quidem ille rescribebat: sed tamen ego non offensus silen„ tio, officium meum continuavi. Quamdiu vero ille mihi „ commoratus fuit, certe in vita ejus nihil erat quod repre„ henderem. Pudicè ac sobrie vivebat, non crapulæ aut vi„ no deditus erat, de alea illicitove ludo ne cogitabat qui„ dem. Et arbitrabar non minimam me officii suscepti par„ tem implevisse. De ingenio ejus in literis nihil magnifice „ prædicare ausus fui; sed tamen sæpe ne tu desperares ve„ tui: id scilicet sperans ut aliquando virilem ille animum

„ induceret, ac intellecta literarum utilitate, ſua ſponte ſtudiis
„ incumberet. Nam illa prima ætas, ſecura adhuc futuræ vi-
„ tæ, nec inopia aut neceſſitate rei familiaris compulſa, levi-
„ ter fere erga ſtudia afficitur. Tandem ubi videt curſum
„ flectendum eſſe, ubi honori inſerviendum, ubi varios æqua-
„ lium conatus & ſucceſſus aſpicit: ſæpenumero poſita ado-
„ leſcentiæ incuria animum reſumit, præteriti temporis ja-
„ cturam non infeliciter reſarcit. Quo quidem ille nondum
„ pervenit: ſed tamen ego ne nunc quidem, in illius adoleſ-
„ centiam intuens, penitus deſperare poſſum. At dicis, ſi ad-
„ monuiſſes de hac ingenii tarditate, alii rei eum deſtinaſſem.
„ Non diffitebor mi *Hermanne*: ſæpe cum illius ingenio lucta-
„ tus ſum, & non pauca mihi in eo diſplicuerunt, quæ equi-
„ dem fruſtra ſæpe emendare conatus ſum. Sed quid face-
„ rem? Dubius eram: ſi ipſum interrogabam num literarum
„ ſtudia perſequi animus eſſet, ajebat, maxime: ſi tuum vo-
„ tum perpendebam, nihil magis te optare quàm ut ille in li-
„ teris aliquod nomen conſequeretur, animadvertebam. Et
„ cum ingenii dotes labor plerumque ſuppleat, nonnumquam
„ etiam adoleſcentiæ vitia maturior ætas deleat: Egone de-
„ bebam, & contra ejus propoſitum & tuum deſiderium au-
„ thor eſſe, ut ab literarum ſtudiis eum avocares? Scio ali-
„ quos qui hoc ſuaſerunt parentibus: ſed utrimque malam
„ retulere gratiam. Et cum tuam conditionem fortunamque
„ intuebar, qualicumque tandem filii indole eſſent, haud exi-
„ ſtimabam, ut ad mechanicum ſordidumque aliquod opifi-
„ cium eos deſtinares. Ad cætera porro liberalia hominum
„ munia atque officia juvare literæ poſſunt; nullum certe im-
„ pedimentum adferunt. In ſumma, ut multa in eo perdi-
„ diſti, pecuniam perdidiſti; neque arbitror adeo eum inido-
„ neum tibi videri, quin, ſi quod ille ſcit in literis, alii alicui
„ filio tuo comparare poſſis, lubens non modicum ſis expen-
„ ſurus: Quod vero alii didicerunt id ille breviſſimo tempore
„ ac facile percipiat. Et tamen neque illi omnino ſine ſum-
„ ptibus hactenus a te educati ſunt. Quid eſt ergo mi *Her-*
„ *manne* quod adeo filii vitia impotenter feras? Affectiones ani-
„ mi excludi non poſſunt, temperari tamen debent. Non
„ prohibeo quo minus erga illum te iratum oſtendas, quum
„ neque ego vultum tenere queam ſi coram adeſſet. Interea
„ tamen abdicare illum a te, propter ea vitia, non eſt pater-
„ num, juſtumve. Ego non recuſo quo minus doloris tui
„ particeps fiam, ac quicquid omnino poſſum facere ac con-
„ ſulere quo ille ad meliorem frugem perveniat, dummodo
„ tamen id mihi concedas, ne me propter tuam de filio tuo
„ fruſtratam expectationem in culpæ communionem voces,
„ mi-

„ minusve me propter illius ignaviam diligas..... Bene Vale„ „ *Spiræ* 22. Octobris 1535." *Ex tomo* 2. *pag.* 323. *& seqq.* Post. hæc filium ignavum ad se *Spiram* evocavit. ac tecto recepit„ ut forensem ibi usum disceret: ac paulo post in ædes doctoris *Ludovici Ziegleri* migravit, e quibus anno 1537. a patre *Senas* in *Italiam* missus, varia a *Viglio* monita accepit, rationemque studiorum quam sequeretur, ut Doctoris ibi Juris lauream obtineret. Selectis & amoris plenis verbis eum ad frugem denuo adhortatus est *Viglius*: „ Pro meo erga te amore„ „ hoc te inprimis commonendum puto, ut cogites istum titu„ „ lum non modo exactam quamdam eruditionem, sed vitæ„ „ etiam & morum gravitatem atque maturitatem, quæ exter„ „ num quoddam doctrinæ symbolum est, unde vulgi fere exi„ „ stimatio pendet, requirere. Cum enim populus de literis„ „ judicare nequeat, eum demum Doctorem nomini suo respon„ „ dere existimat, in cujus moribus nihil dissolutum, nihil te„ „ merarium, nihil arrogans aut superbum animadvertit, sed„ „ cujus interiorem eruditionem vitæ sobrietas ac modestia„ „ linguæ temperantia ac aptus totius corporis gestus habitus„ „ que testatur..... Postremo illud te oro charissime *Joannes*„ „ *Georgi*, pro veteri nostra familiaritate, ut ætatis tuæ matu„ „ ritatem, & sanctissimum piissimumque parentum votum ani„ „ mo tecum revolvas, ac in isto virilis ætatis ingressu, docto„ „ ralique jam baltheo cingendus, ita vitam, mores, studiaque„ „ tua instituas, ut *Viglium* tuum, tuum, inquam, *Viglium*„ „ qui plus quam paterna te semper solicitudine prosecutus„ „ est, ac honorum & fortunæ tuæ incrementa vel proprio„ „ sanguine redimere optet, tandem aliquando desiderii sui„ „ compotem efficias, atque istam arctissimam necessitudinem„ „ quæ mihi cum parente tuo viro integerrimo tua potissimum„ „ de causa cœpta, feliciter perdurat, diligentiæ & virtutum„ „ tuarum merito stabiliorem reddas. Vale. *Spiræ* 8. Martii„ „ 1537." *Ex tomo* 3. *p.* 10. *&* 14. Cùm oleum perderet & operam *Viglius*, necesse habuit nova consilia dare patri cujus abrupta patientia erat. „ Nondum, *inquit*, mecum constitue„ „ re possum aliud quod super tribus abs te propositis filio viis„ „ consulere queam, quàm quod (ut antea scripsi) præteritæ„ „ præsentisque vitæ ejus instituto maxime convenit. Etsi„ „ enim in proverbio sit, satius esse ex medio erroris reverti„ „ quam in infinitum errabundum discurrere, ego tamen ne„ „ que ad sacerdotium suscipiendum author adversus animi„ „ ipsius sententiam esse possum, neque suadere ut hoc tempore„ „ mercatorio alicui actui eum destines. De Doctoratu vero„ „ suscipiendo veterem meam sententiam, si illum extremum„ „ hunc studiorum actum cum laude implere senserò, haud est

„ cur

„ cur mutem. Quod ſi verò ille non omnino votis noſtris „ reſponderit, & Doctoris titulum ſuſtinere eum non poſſe „ viderimus, jam mi *Hermanne* non valde refragabor, quo mi„ nus privatæ vitæ mediocrem fortunam aulicis, publicisve „ conditionibus, quæ non omnibus paſſim bene cedunt, illum „ præferre ſinas, ac ad rem uxoriam mature animum applica„ re jubeas. Solent autem nonnulli ex matrimonii domeſti„ cis curis ad publicas deinde res gerendas intentiores apti„ oresque fieri. *Et nonnullis interjectis ita proſequitur.* Toties „ ſcribis hunc filium præ cæteris animum tuum cruciare. Vi„ tiis inquit *Horatius*, nemo ſine naſcitur, optimus ille qui „ minimis urgetur.' An tu vero alios omnes albæ gallinæ filios „ eſſe putas? Neque etiam aliorum habere parentes quod illis „ doleat? Quod in ſumptus in filium honeſte educandum im„ penderis, paterni tui fuit officii. At cum majore ſuo com„ pendio minoreque ſumptu aliud quippiam dicere poterat, „ inquis. Sed quis Deus hoc tibi revelavit? Ego ſi filium ha„ berem, multo equidem mallem eum vel mediocriter lite„ ris eruditum ut eſt tuus, quàm ut forſitan mille amplius au„ reos minus inſumpſiſſet rudis omnis liberalioris literaturæ, „ neque cujusquam alterius rei ſciens, quàm quanti piper ven„ deretur. Neque enim omnia lucris æſtimanda ſunt; modo „ ille tueri hoc queat quod a te accepturus, quodque uxor il„ li allatura eſt, jam honeſte vitam agere poterit, nec erit cur „ te filii pudeat, pigeatve. Quin ætate ac judicio ad iſtam „ qualem qualem accedente eruditionem, dabit ei ſpero Deus „ ampliora intellectus ac fortunæ incrementa. Nihil habeo „ tam charum quod non cupiam lubens impendere, quo talem „ eum efficere poſſem, qualem tu deſideras, atque ad id eum „ quotidie ſedulò exhortor. Atque abſit ut apud te ejus ve„ lim defendere vitia: ſed tamen non poſſum omittere quin „ tuam interdum deſperationem confutem, tuumque animum „ nimis demiſſum ſublevem. Quod illum aliosque meos diſci„ pulos mei in ſcribendi laboribus diſſimiles eſſe ais, non eſt „ mirum mi *Hermanne.* Et tibi ego facile cauſam dicam. Opti„ ma magiſtra eſt fortunæ tenuitas, eaque multa imperat, „ quæ in lautiore re nati haud pari alacritate exequi ſolent. „ Tanto enim quisque eſt ſegnior quanto minus opus ſe habe„ re credit. Non deſunt divitibus ingenia eo etiam præſtan„ tiora quo a puero liberalius educantur. Sed tenuibus maxi„ mum addit ſtimulum Magiſter (ut ille inquit) artis, ingenii„ que largitor venter, &c. Vix credas quot ego quotidie „ literas ſcribam, quantis ego hujus judicii (*Cameræ Imperia„ lis*) occupationibus obruar, & tamen interea condo & com„ pono quæ aliquando in lucem deprometæ poſſim. Sed ipſe

„ me

„ me his laboribus parem esse haud posse crederem, nisi for-
„ tunæ tenuitas ad eos me jam dudum assuefeciſſet. Quæ
„ aliis itaque aliunde ſuppetunt, ea plerosque ab improbo la-
„ bore mutuari neceſſe eſt. Ubi verò illi liberos aliquando
„ habebunt, videbuntque aliis ſibi providendum eſſe, tum de-
„ mum ingenium intendentes facile exteros æquabunt. Hæc
„ ego ad te latius pro meo more, quo te de filio animem,
„ tuumque dolorem mitigem. Et te quæſo vir prudentiſſime,
„ ne nimium hac de cauſa angaris, iſtisque animi nebulis diſcuſ-
„ ſis, hoc unum cogites, qualemcumque videlicet filium Deus
„ tibi dederit, ut eum pro tua facultate quantum poſſibile
„ erit promoveas. Quomodocumque autem ea res ceſſerit:
„ & tu apud Deum debitæ pietatis officium impleveris, ac
„ eam obtinebis laudem nihil abs te omiſſum eſſe, quod ad
„ optimam ejus inſtitutionem aliqua ratione tendere poterat.
„ In hac tu igitur cogitatione conquieſce, & me ſi lubet ab
„ eo expiſcari interea ſine quidnam animi habeat: ut eo per-
„ cepto quod factu opus erit plenius deinde deliberemus.....
„ *Spiræ* 20 Junii 1537." *Ex tomo* 3. *p.* 38. *& ſeqq.* Habes ſpe-
cimen unde *Viglii* amabile ingenium & nobilem animum ob-
ſerves. *Joannes Georgius* interim ebrietati & amoribus dedi-
tus, nihil ſpei reliquum fecit, unde & pater conſtituit eum
a litterarum ſtudio avocare, & *Viglius* ipſe animum poſtremò
deſpopondit; qua de re eſt ejus epiſtola ad *Georgium*, quam
ſubjicio, & qua hiſtoriam patris ac filii concludo: „ De *Joan-*
„ *ne Georgio* tuum conſilium ex literis ad Magcum. *D. Antonium*
„ atque ad me ſcriptis ſatis percepi, nec me minus quàm te
„ ipſum commovet, quod ille adeo ab utriusque noſtrum vo-
„ luntate deflectat. Quod ſi hunc exitum prævidere potuiſ-
„ ſem, numquam profecto author fuiſſem, ut literarum ſtu-
„ dia cum ſuo & meo dedecore ad hoc uſque tempus perſe-
„ queretur. Eventus porro conſiliorum non ſunt in manu
„ noſtra, & conſulere plerumque ea ſolemus quæ ſperamus
„ vel optamus. Scientiæ autem & doctrinæ exiſtimationem
„ morum gravitas & diligentia facile tueri ſolent, ſine qui-
„ bus nullum omnino vitæ inſtitutum laudabiliter procedit.
„ Negotiatio verò, quantum ego judicare poſſum, præcipue ea
„ requirit. Itaque veritus ſum ſemper ne eadem nobis de ip-
„ ſo ad negotiationem fortaſſis tranſlato, querela maneret, &
„ quem literæ ipſæ ſapientiorem, ac noſtra quotidiana moni-
„ ta famæque propriæ opinio diligentiorem non reddiderunt,
„ is ſi ad negotiationem fuerit adhibitus, magnum fortunæ ac
„ famæ periculum ſubiturus eſſet, niſi ſummam potiſſimamque
„ in ſcribendo diligentiam, quam in eo maxime requirimus,
„ præſtaret. Verùm quando tu ſic ſemel conſtituiſti, & ipſe-

„ met ita cupit, nihil posthac renitar. Sed tamen quod & te „ velle ex literis ad Magnificum D. *Antonium Fuggerum* ani- „ madverti, id omnino suadeo ut perficias priusquam ullam „ des apud alios significationem mutati ejus animi & instituti, „ hoc est, uxorem illi conjunge, & deinde juxta matrimonii „ conditionem, quid porro agere utile ei fuerit, consule. Et „ fortasse satius fuerit ipso absente quoad licebit eam rem con- „ cludere, ne, uti dici solet, minuat præsentia famam. Ego „ novissime epistolam ad eum dedi plenam benevolentiæ & „ precum, quibus eum emollire sperabam, sed ne literam qui- „ dem unam hactenus exprimere potui. Affectum tamen meum „ erga illum non mutabo, & quicquid utile illi erit, lubens „ una consulam & promovebo, & te quoque rogo, *ut pater-* „ *num ergo eum animum geras, ac quodcumque Deus voluit, patien-* „ *ter feras.* Nec te crucies si hic tuæ expectationi non plene „ satisfacit, verùm te contra oblectet *Christophori* filii tui per- „ petuum erga te obsequium, in exequendo injuncto officio „ dexteritas, in devinciendis amicis comitas; in demerendo „ conciliandoque sibi patrono D. *Antonio* singulare studium. „ *Matthæi* amabilis indoles maximam spem promittit. Itidem „ *Ludovicus* & *Antonius* omne tuum desiderium hactenus imple- „ verunt. Uxorem habes multis numeris ornatissimam. *Ecce* „ *quàm multis beneficiis unicum hoc malum propitius Deus tibi com-* „ *pensat*! Neque hoc malum tuum (*potius:* tui) solius est, ma- „ gnam quippe ejus partem ego unà fero. Hoc tu igitur qua- „ vis potius ratione mitigare, quàm inanibus suspiriis exacer- „ bare cogita. Si conditio itaque matrimonii idonea fuerit, „ eam paterno affectu promove. Ubi uxorem habebit, ha- „ bebit forte meliorem magistram, & te magna cura levave- „ ris, ac deinde quod ex re ipsius fuerit, commode consulere „ poteris. Quamobrem iterum te rogo, ne nimium dejecto „ sis animo, & humana moderato animo feras. Vale. X. Sep- „ tembris 1538." *Ex tomo* 3. *a pag.* 95. *Vsq.* Atque hæc de *Georgio Hermanno* ejusque filio satis: quæ nimia forte judicabit nonnemo. Ego scioles nihil moror. Erunt patres qui hæc legent, erunt & filii: unde hi quidem discant sapere, illi verò, non ultra modum irasci, perpendentes quales in adolescentia fuerint ipsi. Qui vero sive ingenuorum sive nobilium educationi præfecti sunt, hinc sumant quod alios doceant, & imitentur, si possint, magnum *Viglium*, morum æque atque doctrinæ magistrum.

(6) FRANCISCUS CURTIUS] junior altero *Francisco*, mortuo anno 1495. *Papiensis*, ubi docuit antequam *Paduam* concederet. A *Carolo Molinæo solertissimus & excussi judicii* jurisconsultus appellatur, inquit *Dionys. Simon. Viglius* cum *se-*

nem

eum egregium & bene doctum vocat. Addit autem: „Sed egò „alterius (*Marci de Mantua de quo mox*) diligentiam hujus au„thoritati præhabeo. *Curtius* in fastigio positus, ætatis, opi„nionisque dudum quæsitæ præjudicio securus est." *Ex tomo* 2. *p.* 56. *obiit* anno 1533. *quinto Calend. Julii, de illum studiosa juventus luxit magnopere.* Ibid. p. 205. Patavii in æde D. Francisci legitur hæc inscriptio: *Francisco Curtio Ticinensi, solitus temporis honesta avaritia extincto. Vixit ann. LXX. Jus professus Patavii & Ticini.* Apud Sweertium in fel. orb. delic.

(7) MARIANUS SOCINUS] *Mariani* nepos, pater *Lelii* & avus *Fausti Socini.* Ita conjectat *Dionys. Simon.* De illo varia reperio judicia. *Simlerus in epitome Gesneri*: „*Marianus So„zinus* junior senioris *Mariani* nepos J. C. hac nostra ætate „omnium celeberrimus docuit olim *Senis, Pisis*, deinde *Pa„tavii* annos quamplurimos, postremo *Bononiam* honorificen„tissime revocatus, summa cum laude jam a multis annis ibi „profitetur." Contra *Viglius* anno 1531. e *Patavio* hæc scribit: „Post meridiem profitetur *Socinus* quidam hæreditaria „jurisprudentiæ dote insignis, sed tamen mire in legendo „fastidiosus." Et anno 1532. ad *Jacobum Duxhum* rursus e *Patavio*: „*Marianus Socinus Bartholomæi* ex fratre nepos non„dum majorum gloriæ respondet, & tamen eruditione illius „patrui & avi illius illustratum nomen est, quo fit ut secun„di nominis existat." *Ex tomo* 2. *p.* 56. & 94. Lepidum est, & Viglii judicio conforme, quod legitur in *Poggianis to.* 2. *p.* 275. „*Marian Socin*, celebre Jurisconsulte du quinzie„me siecle, negligea beaucoup ses etudes depuis qu'il se fut „marié. Comme on lui alleguoit l'exemple de *Socrate*, qui „depuis son mariage n'avoit pas moins etudié qu'auparavant. „Je ne suis pas surpris, dit il, *Xantippe* étoit laide & me„chante, ma femme est bonne & d'une grande beauté." Affirmatur ibidem sine dubitatione quod sit avus hæresiarchæ *Fausti Socini.* Ad p. 31. Vsum. ad §. *de Mariano Socino.*

(8) MARCUS DE MANTUA] Bonavites, quem *Viglius* laudat ab *acri ingenio, fideli memoria & ea pronuntiatione, quæ attentionem auditorum retinere possit*; auctor est plurimorum voluminum; de quibus vide *Aub. Miræum, Dion. Simon. & Simlerum. Vigl. tomo* 2. *p.* 56. Et *Paul. Freher. in theatr. p.* 888.

(9) ARREGUTIUS DE ARREGUTIIS] Hic mihi nullibi occurrit. Sed *Viglius* ad *Alciatum* scribens de illo meminit: „*Marianus Socinus* valde sibi timebat. Collega *Arrigutius* „ambitione illius victus, verbum de te nullum." *Ex tom.* 2. *p.* 71.

(10) MULTI..... VIRI PRÆSTANTES] Laudat, ut vides; *Patavinos* professores ab omni genere doctrinæ, quos

verbo uno & *multos* dicit & *præstantes*. Exigit fides historiæ, ut quæ ad amicos de his professoribus confidentius scripsit, proferam. Anno 1532. ita ad *Erasmum*: „ *Patavii* non illubenter „ habito: & professores juris civilis abunde mihi satisfaciunt, „ magna enim diligentia contentioneque auditorum studia ac„ cendunt, *humanioris tamen literaturæ plane rudes* ". Et eodem anno ad *Hectorem Hoxvirium*: „ Omnem semper operam ad „ Jus Civile discendum transtuli, atque hîc eò magis, quo „ perspicio ipsos Italos in eo tradendo ingeniosiores excellen„ tioresque esse iis quibus nostrum *Lovanium* superbit vel quos „ *Gallia* jactat ". *Ex tom.* 2. *p.* 74 & 146.

(11) LAZARUS BONAMICUS] *Bassanus Italus*, inquit *Simlerus*, qui ejus opera poetica recenset. *Miræus* de illo nihil habet, nisi quod *Damianus Goesius* Lusitanus ille, *Patavii* cum esset, *Lazaro* familiariter usus sit. *Viglius* ad *Erasmum* scribebat anno 1532. e *Patavio*: „ *Lazarus Bonamicus* inter literarum „ Latinarum & Græcarum professores præcipue probatur: „ sed a non ita multis in factionem *Ciceronianam* devotis ac „ juratis, qui hîc patronum habent *Petrum Bembum* ". *Ex tom.* 2. *pag.* 74. Alibi refert ad *Erasmum Viglius*, provocatum se a Germano quodam qui *Patavii* suo judicio valde sapiebat, & *sic juraverat in* Lazari Bonamici *laudem*, *ut nullus tam eximie doctus recitari posset, quin ille illico occineret: sed nihil ad Lazarum*. *Ex eod. tom. p.* 53. De Factione *Ciceroniana* videbimus alibi. Consule si libet *Pauli Freheri* theatrum qui *Lazarum* extollit super sidera. Epitaphia magnifica duo in basilica *D. Jeannis* præcursoris in Viridario Patavii *Lazaro* posita in *selectas Christiani orbis delicias* suas retulit *Franciscus Sweertius* Antverpiensis p. 299. edit. Colon. an. 1608.

(12) JOANNES BAPTISTA IGNATIUS.] Rectius *Egnatius*, *Venetus*, insignis bonarum literarum in patria professor, inquit *Simlerus*, qui ejus lucubrationes recensest. *Erasmus* an. 1519. eum inter veteres amicos suos numerabat *Epist.* CCCCLXVI. & alibi testatur „ illum esse *virum absolute doctum*, *integrum*, *candidum & vere amico amicum Epist.* DCCLXXI. Anno 1531. *Viglius* eum Venetiis invisit *senem valde facundum & hilarem*, *non modo in priuata consuetudine*, *sed & in publica professione*: quam tamen apud *Erasmum* vituperat his verbis: „ Audivi & profiten„ tem illum, sed surdis pleraque auribus: cùm Italicas fabel„ las lectionibus prolixe admiscere soleat, latino tamen ser„ mone non minus facundus & disertus. Sed sic captare vi„ detur nobilium auditorum benevolentiam, apud quos scili„ cet vernacula lingua pretium non mediocre obtinet ". *Ex tom.* 2. *p.* 52. & 73. Cæterum *Egnatium* habuit sibi amicum ac familiarem, eumque his adnumerat, quorum amicitia &

amor-

amor non fivit, ut sibi anno 1532. in Italia ægrotanti ullum officium, ullaque consolatio defuerit: *Sane autem multæ undique voluptates affluxerint ex consuetudine erudita, benigna splendidaque eorum qui in principibus sunt Italicæ disciplinæ. ibid. p.* 146. Exeunte anno 1533. hanc ad illum epistolam dedit *Viglius*: „ Accipe doctissime *Egnati*, Institutionum græcarum a me in lucem editarum exemplar, cujus in studiosos beneficii te merito participem agnoscere debeo, qui veterem nobis codicem lubenter communicaris. Qui certe magno mihi fuit usui, nisi quod *Constantini* scriptoris multis in locis indiligentiam deprehendi, qui integros sæpe versus omiserit. Minus tamen hoc editionem nostram remoratum est, cum ex alio exemplari quæ deerant supplere facile licuerit. Ago autem tibi studiosorum omnium nomine gratiam pro tuo eo beneficio, quod quàm sit magnum ex ipsa ejus lectione cuivis facile erit cernere, & ipse utcumque in præfatione demonstrare conatus sum. Spero autem his jactis fundamentis deinceps plures ex nostris scholis extituros, qui græcis literis operam impendant, ac ad veterum Græcorum in Jus Civile commentaria animum adjiciant. Qua in re tu non parum juvare nos potes, qui penes te eximia veterum monumenta possides, quorum editione multorum excitari studia queant". &c. *Ex tom.* 2. *p.* 225. Exemplar Codicis ab *Egnatio* subministrati asservatur etiam hodie in Collegio *Vigliano Lovanii*, eique descriptum in folio cum hoc titulo: *Descriptum exemplar ab Constantino natione Græco Venetiis anno* 1533. *ex veteri exemplari Jo. Baptistæ Ægnatii ad usum Viglii Zuichemi Phryssi.* Aliud ibi est exemplar Codicis a *Petro Bembo* e bibliotheca *Veneta* procuratum & elegantissime in folio quoque exaratum cui hæc præfixa inscriptio: *Institutiones D. Justiniani in Græcam linguam per Theophilum Antecessorem olim traductæ, ac nunc primum in lucem restitutæ cura & studio Viglii Zuichemi Phryssi, quarum utilitatem abunde ejusdem declarat præfatio ad Opt. Max. Imp. Carolum quintum.*

(13) PETRUS BEMBUS] *Venetus*, natus 20. Maii 1470. a *Paulo III.* creatus Cardinalis 20. Decembris 1538. ac publicatus 24. Martii 1539. obiit, non anno 1546. uti *Mireus* scribit, sed 18. Januarii 1547. ætat. 76. *Vide Ciaconium, & Niceronium tom. XI.* ex quibus quæ ad *Bembum* attinent plenissime cognosces, dum nobis illa demum persequenda sunt quæ *Viglium* cum eo respiciant. Præter amicitiam ejus quam obtinuit plenissime, variis officiis a *Bembo* adjutus fuit. Maximum omnium commemorat in epistola ad *Gerardum Mulert tom.* 2. *p.* 149. „ Nactus sum Venetiis opera *Petri Bembi* viri opibus, humanitate & scientia cumprimis clari libros *Institutionum* græ-

„ cos, quorum in Miſcellaneis mentionem facit *Angelus Politia-*
„ *nus*, & qui hactenus magnopere ſunt deſiderati ". Quos dum typis Frobenianis emiſſos *Bembo* offerret, his apud eum verbis uſus eſt: „ Pro magno beneficio exiguum tibi remitto „ munuſculum, *Bembe* ampliſſime, nempe Inſtitutiones græcas „ a te mihi primum communicatas a me vero nunc in publi„ cam ſtudioſorum utilitatem, qua vides cura & ſtudio, editas. „ Quam vero lubenter eas tibi acceptas feram, præfatio de„ monſtrabit, quanquam certe id haud ita ut dignum erat, „ exprimere potui, cum tuarum virtutum & hujus *præclari* „ *meriti magnitudo*, ſtyli mei tenuitatem longe ſuperet. Spero „ tamen quod præter animum, qui gratæ erga te voluntatis „ locupletiſſimus ſemper teſtis erit, nihil requires. . . . Baſi„ leæ 23. Decemb. 1533. *Ex tom.* 2. *p.* 226." Epitaphium Bembo poſitum Romæ in eccleſia B. M. ſupra Minervam, refert *F. Sweertius in ſel. orb. deſic. pag.* 31. his verbis:

D. O. M.

PETRO BEMBO, Patricio Veneto, ob ejus ſingulares virtutes a Paulo III. Pontif. Max. in ſacrum Collegium cooptato; Torquatus Bembus P. Obiit XV. Kal. Febr. CIↃ. IↃ. XLVI. Vixit annos LXXVI. M. VII. D. XXVIII.

Hic BEMBUS jacet Aonidum laus maxima Phœbi,
Cum ſole & luna vix periturus honos.
Hic & fama jacet, ſpes & ſuprema galeri,
Quam non, ulla queat reſtituiſſe dies;
Hic jacet exemplar vitæ omni laude carentis:
Summa: jacet ſumma hic cum pietate Fides.

XXII. (1) AD PUBL. LECT. PROTRACTUS FUIT] *Adr. Gaudanus* addit: „ procurantibus id inprimis *D. Chriſto-*
„ *phoro Madrutio* ac *D. Otbone Truchſes* Barone in *Waldburg*, qui
„ ambo in Cardinalium ordinem poſtea adſciti fuêre ". De his Cardinalibus Vide *Ciacconium*. Porro de *Otbone* redibit ſermo.

(2) MALMINGNATUS] cui nomen *Gaſpar* apud *Adr. Gaudanum* & *Suffr. Petri*: deque *Viglius* anno 1537. ex Spira ad *Johannem Eichardum*: „ Quæ de Italicis profeſſoribus ſcribis non ſunt
„ nova. Me quoque *Malonignati* olim antagoniſtæ mei inſecta„ tio ad tolerandas injurias patientiorem reddidit ". *Ex tomo* 3. p. 16. Vide Vitam *Viglii* N. XXVI.

XXIII. (1) VICE-REX CYPRI.] nempe nobilis *Venetus*. Notum eſt quomodo Inſula fere maxima maris mediterranei, & Regnum Cypri, anno 1489, in dominium venerit Reip. *Ve-*

neta

netæ, & anno 1570. in potestatem *Turcarum* sub *Selimo II.* Hæc nihil ad nos. Illud observo hunc regni & insulæ administratorem non recte *Vice-Regem* appellari, & nos frustra tentaturos ut deprehendamus, quis fuerit hic, cujus filius *Vighium* in eam insulam pertrahere aggressus est: hæc namque administratio imperium duntaxat biennale fuit, uti lego apud *Stephanum de Lusignan: Or apres que les Venetiens obtindrent l'Iste, le Senat de Venise envoya de deux ans en deux ans un Gentil-homme, qui estoit obey comme Roy. Et pour ce que ledit Senat n'a point de Roy, mais seulement un Duc, aussy ce Magistrat n'estoit nommé Viceroy, mais Lieutenant: joinct qu'ils n'avoient obtenu la domination d'icelle par armes, mais de la volonté des habitans, & par confederation. V. Hist. generale des Royaumes de Hierus. Cypre, Armenie &c. par Estienne de Lusignan de la Royale maison de Cypre. Paris 1613. in 4. p. 215.*

XXIV. (1) CÆSAR APUD BONON. AD PONT. CLEMENTEM] De congressu *Caroli V.* cum Papa *Clemente VII.* Bononiæ instituto historici passim. Duplex fuit congressus. Anno 1530. dum Imperator a Papa coronatus est ipso natali suo die, vigesimo quarto mensis Februarii: qua de re vide *Odoricum Raynaldum Annal. Eccles. tom. XX.* alter vero anno 1533. de quo ita *Vigilius*: „ De me quod tibi scribam in præ„ sentia non habeo aliud, quàm quod, ubi hilarioribus hisce „ diebus, qui Quadragesimæ jejunia præcurrunt, ab munere „ profitendi vacatio data esset, *Bononiam* sum profectus, ubi „ Pontifex & Cæsar de Republica consilia inibant: De quibus „ quidem ego scribere nequeo, cùm scias quam occulta fere „ esse soleant quæ Cæsar agitat, & nunc non per legatos „ quibus solet nonnunquam aliquid excidere, sed domestico „ colloquio duo Monarchæ omnia tractent. Aderat autem „ Cardinalium magna turba, eodemque duo nuper ex Fran„ cia legati advenerant, quorum vulgo superba & incivilis „ ferebatur petitio. Duces aderant *Mediolanenses, Sabaudiæ* & „ *Florentiæ* gener destinatus Cæsari. Ab *Æthiopia* Rege, quem „ *Prætorianem* (*Prete-jean* vel *Preure-jean* vocamus, legatio in pu„ blico consessu Cardinalium, præsidente Pontifice audita est. „ Ea significabat novam illius religionem & devotionem erga „ sedem Apostolicam, a qua se se in obedientiam & in filium „ ac Regem Ecclesiæ Romanæ recipi petebat, multaque alia „ quæ commemorare non est opus, *cùm plerique existiment Pon„ tificis esse commentum*, quo sedis Apostolicæ authoritatem astrue„ ret ". *Ex tomo 2. p. 173. & 174.* Et hæc quidem *Vighius* scripsit bis. Ad *Conradum Herusbachium* loc. cit. & ad *Erasmum in eod. tom. pag.* 180. & 184. Quid hic responderit frustra quæsivi. Ceterum hæc leviter ac temere, (quantumvis ex aliorum sententia) in chartam conjecit *Vighius*, juvenis viginti

& ſex annorum : Non eſt fabula hæc legatio ; de qua vide *Odoricum Raynaldum*, *Henricum Spondanum*, *Papirium Maſſonum de epiſc. Urbis in Clemente VII. & Jerome Lobo Voyage hiſt. D'Abiſſinie par M. le Grand. pag.* 291.

XXV. (1) BESSARIO] ſive *Beſſarion Trapezuntinus* in Aſia minore: nobilibus parentibus ortus, monachus *S. Baſilii*, dein Archiepiſcopus *Nicææ*, ardens fuit promotor concordiæ inter Latinam & Græcam Eccleſias initæ in Concilio Florentino, in quo ab *Eugenio* IV. anno 1439. S. R. E. Cardinalis creatus eſt: Obiit an. 1472. ut *Niceronius* vult Tom. XXI. Ejus geſta quære apud *Guil. Cavæum*, *Spondanum*, *Ciacconium* & in *actis Conc. Florent.* Vide quoque *Simlerum in epit. Geſneri*, atque inprimis *Tritbemium de Script. eccleſ. edit. Jo. Alb. Fabricii. n.* 821.

(2) ILLIC RELIQUIT] An donavit Reip. Venetæ? Planè id indicat *Burcard. Gotthelff Struvius Introduct. in not. rei literar. edit. an.* 1715. *p.* 118. „ Crevit vero (*Venetorum* bibliotheca) „ ex bibliotheca *Franciſci Petrarchæ*, & potiſſimum Cardinalis „ *Beſſarionis*, qui ſuas eò LEGARUNT bibliothecas, atque „ Græca ſolum ejuſdem volumina triginta millibus nummorum „ aureorum fuerunt coemta ". *Ciacconius* de pretio non meminit. Adfert tomo 2. col. 970. in fine, memoriam doni bibliothecæ *Venetæ* inſcriptam. Verùm apparet, non ex teſtamento, ſed donatione inter vivos, bibliothecam perveniſſe in poteſtatem Venetorum. Vide Card. *Beſſarionis* epiſtolam an. 1469. ad Ducem ac Senatum datam, *apud Martene in Collect. Vet. ſcript. tom. I. col.* 1600.

(3) MATTHIAS HELD] ſeu *Heldt Arluno* Ducatus *Luxemburgenſis* oppido oriundus, *Caroli* V. Vice-Cancellarius per Germaniam, fuit *Viglio* amicus, patronus, Mœcenas; quem ille etiam mirifice coluit, & in epiſtolis *patronum obſervandiſſimum, incomparabilem, & patronorum ſuorum principem* deprædicavit. Cùm profitendi munus quod *Patavii* obibat, anno 1533. conſtituiſſet deſerere, adjutorem ſe obtulit *Matthias*, ut ad Cameram Imperii in *Spirenſi* Civitate promoveretur, ſed is interim ad epiſcopi *Monaſterienſis* obſequium deflectens, non niſi poſt biennium Spartam illam nactus eſt: de qua ipſe hæc ad *Matthiam*: „ Cum ego tua ſolius ope eò ſim promotus, æquum „ eſt, præſtantiſſime vir, ut dem operam, quo in dignum gra„ tumque hominem tantum beneficium collatum a te eſſe videa„ tur. Utrumque vero mihi inprimis cordi eſt. Nam & omni „ ſtudio annitor, quo Aſſeſſoris partibus recte ſeduloque fun„ gar, & valde deſidero aliquam mihi dari occaſionem, ut tuæ „ beneficentiæ mutua vice reſpondere poſſim. Quando autem „ tu in ſupremo dignitatis faſtigio collocatus, major es, quàm „ ut noſtra opera tibi opus ſit; id tamen etiam atque etiam te rogo,

„ rogo, ut ſi qua in re vel tibi vel tuis *Viglium* inſervire poſſe „ putabis id te ei tanquam homini tibi deditiſſimo imperes. . . . „ Vale *Spiræ* pridie Calendas Septembres 1535." *Ex tomo* 2. *p.* 315. Crevit autem amicitia in tantum, ut *Matthias* ex *Hiſpania*, *Sicilia* aliiſque regionibus diſſitis, ad quas eum aut Cæſarem comitari aut etiam præire contigit, literas daret ad *Viglium*, & quinimo illum ad affinitatem ſuam invitaret primùm, poſt etiam ſemel iterumque urgeret, non ſecuto tamen effectu. Accipe fragmentum epiſtolæ qua ab ejus ſibi oblata affinitate ſe excuſat ratione parentum, cui obſtaculo ut conſuleretur, *Matthiæ* permittit. „ Literis tuis, Vir clariſſime ac in majori- „ bus obſervande, e *Panormo* ad me 24. die Septembris datis, „ vigeſimo Novembris reſpondi, ac quatenus mihi in conditio- „ nem a te mihi propoſitam conſentire integrum, liberumque „ eſſet, indicavi. Neque aliud ea de re vel tum ſcribere po- „ tui, vel adhuc equidem poſſum, cùm dubium animum hinc „ tuæ affinitatis deſiderium illiceat, illinc cùm matrimonii ju- „ gum atque onus, tum parentum pietas atque affectio remo- „ retur. Proinde poſt multam deliberationem pro rei ipſius „ gravitate haud aliud apud me ſtatuere potui, quàm ut me- „ diam viam quærerem, qua & conciliandæ affinitatis tuæ „ cumprimis mihi gratam occaſionem ac ſpem non amitterem, „ & parentum meorum voluntati non refragarer. Expecto „ ecquid nam hæc mea ſententia tibi placeat. In quamcum- „ que autem partem ſtatueris, te ea de cauſa nihilominus erga „ me affectum fore ſpero. Et cum hanc rem nulli omnino „ hominum communicare auſus fuerim, ac propria conſilia „ ætas mihi mea (*viginti octo annorum*) ſuſpecta faciat: meam „ ſententiam a te reprehendi, dummodo iis, quæ meo deſi- „ derio obſtare indicavi, a te conſulatur, haud equidem ægre „ feram. Quam ob rem ſi nondum reſcripſeris, quæſo ne quid „ tuam voluntatem mihi exponere differas, & ſi in eo propo- „ ſito perſiſtendum duxeris, ut & alia quæ ipſe ad eam rem „ expediendam pertinere intelligis, ſuggeras. Ego quidquid „ tibi videbitur, idem ut mihi per parentes meos liceat, omni „ ſtudio contendam . . . . *Spiræ* 23. Decembris an. 1535." *Ex tom.* 2. *pag.* 340. Interim *Spirâ* relictâ *Ingolſtadium* migraverat *Viglius*, ac *Matthiam*, quem hoc maxime ægre laturum eſſe timuerat, epiſtola utcumque placavit; cum ille de affinitate ſua inſtantiam redintegravit, Rem ſpecioſe rurſus declinat *Viglius* his verbis: „ De matrimonio adhuc in eodem hæreo luto quo antea. Et „ quamquam hæc conditio cui ad triennium obſtrictus ſum, „ minus liberam atque commodam eam rem mihi facere vi- „ deatur: cum tamen maxime conſiliis meis parentum hacte- „ nus obſtiterit voluntas, decrevi æſtate proxima patriam re-

„ visere, ac cum parentibus coram præcipuum hujus rei scru-
„ pulum semel dissolvere. Nec antea mihi certi quicquam fu-
„ per hac re statuere licet. De mea voluntate nihil opus est
„ repetere, quum eam ex prioribus ejusdem argumenti epistо-
„ lis satis cognoveris. Illud autem non mediocri gaudio me af-
„ ficit, spesque meas quas in te patronorum meorum facile
„ principe collocatas semper habui, non leviter confirmat,
„ quod tam arctæ necessitudinis occasionem tam amanter *rur-*
„ *sus offeras*, ac cum tam multa antea in me tua extent benefi-
„ cia, eamdem erga me tuam voluntatem perpetuam fore be-
„ nigniſſime promittas. Nullo autem pacto committam, ut
„ vel ipse mihi defuisse, vel tantum mihi quocumque obsequio
„ demerendi patronum opportunitatem neglexisse, videri pos-
„ sim..... Ex *Ingolstadio* pridie *S. Thomæ* Apostoli 1537."
Ex tomo 3, *p.* 60. Utut officiosa sunt *Viglii* verba, animum ejus ab affinitate sua aversum non potuit non cernere *Matthiis*, qui suam tamen erga illum voluntatem minime deponens, spectabat exitum deliberationis cum parentibus, & multis urgebat, ut quid tandem statueret, aperiret. Nescio, aut hic egit comœdiam *Viglius*, qui quadriennii sollicitationem abrupit declaratione abstinendi a matrimonio, quod postea, cum *Bruxellis* viveret, nec invitus nec infeliciter contraxit. Indicit sibi cœlibem vitam, etiam ab exemplo *Matthiæ*, qui cœlebs vixit, quamvis plus quam unius pueri pater fuerit, ut infra videbimus. Fallor, si hæc ipsa futura conjunctio cum puella ex non justis nuptiis procreata, *Viglium* non abstinuit ab amplectenda tam sublimis viri affinitate. Sed quidquid istuc fuerit, en tibi bona verba *Viglii* ad *Matthiam*, & super hac re postrema:
„ Ego superiore æstate patriam ac parentes revisi..... Porro
„ de reliquæ meæ vitæ instituto cum parentibus amicisque di-
„ ligenter coram consultavi, ac cum rerum mearum præsen-
„ tiumque temporum conditione, tum perpetua mea in litera-
„ rum studia voluntate aliisque multis rationibus in omnem
„ partem consideratis & expensis, cum etiam meminissem quam
„ abs te antea oblatam conditionem non accepissem, ac cum
„ hic, tum vero maxime me nonnulli obstringere conjugio sa-
„ tagerent, tandem mecum decrevi matrimonio abstinere.
„ Non modo ad studia, quibus nihil mihi esse antiquius potest,
„ tranquillius excolenda, verum etiam reliquum vitæ cursum
„ sine solicitudine ac cura liberius simul & jucundius pera-
„ gendum, commodissimum fore ratus, & tam *tuum* multo-
„ rumque maximorum virorum *exemplum*, quam patrui quon-
„ dam mei (*Buchonis ab Aytta*) liberalissimi studiorum meorum
„ altoris consilium secutus, qui ea scilicet spe literis me olim
„ erudiendum tradidit, ut quod ipse fratrum sororumque li-
„ beris

„ beris præſtitit, idem & ego facere aliquando cogitarem. Cum
„ igitur fratres ſororesque habeam ampla ſobole abundantes,
„ qui me debitæ pietatis & patruæ voluntatis ſubinde commo-
„ nent, poſt multam tandem deliberationem me ſemel extri-
„ cavi, *cælibemque mihi vitam indixi.* Eo pacto, & ambitioni
„ & opum cumulandarum naturali ſtudio frænum, ut mihi vi-
„ detur, facilius injecturus, cùm ad philoſophicam hanc tuen-
„ dam vitam paucis facile contentus eſſe queam. Decrevi igi-
„ tur hærere in Academiis, & docendi munere publicis inſer-
„ vire commodis, ac dum corpus & valetudo operis ſufficit,
„ doctrinæ mihi divitias comparare, quibus deinde ſenectu-
„ tem, ſi Deus olim conceſſerit, mitius foveam, eaque quæ
„ nunc juveni (*annorum triginta ac duorum*) condere & conge-
„ rere datur, meliore tum judicio adultior digeram atque ex-
„ poliam. Itaque mihi præcipua nunc in eo opera ponitur,
„ ut præſenti auditorio ſatisfaciam, ac ſimul ordinariarum le-
„ ctionum commentarios concipiam, ſine tamen aliqua adhuc
„ edendi affectione, quam in repetitam prælectionem reſerva-
„ re malo: ea mihi longius duratura eſſe perſuadens quæ ſerius
„ matureſcere ſolent. Tibi vero, patrone incomparabilis, quas
„ unquam dignas agere gratias queam, qui poſtquam plurimis
„ in me beneficiis totum tui juris feciſti, benevolentiæ tamen
„ tuæ nullum modum conſtituens, poſt primam mihi abs te
„ delatam honeſtiſſimam conditionem, multo quoque amplio-
„ rem denuo offerre non dedignatus fueris. Quando autem
„ mei animi ſententiam ingenue tibi ſupra aperui, etiam at-
„ que etiam te rogo, ne aliorſum hanc meam recuſationem ac-
„ cipias, nec de immodico erga me amore tuo ob eam quic-
„ quam remittas, ſed me ſemper inter tui nominis obſervantiſ-
„ ſimos habeas, longe tibi tuis plurimis meritis arctiùs aſtrictum,
„ quam ſi ſolo affinitatis vinculo obligatus tibi eſſem. Ampla
„ vero ac ſplendida tua ſunt in multos beneficia, maxima ac
„ divina quædam in te ingenii ac eruditionis præſtantia cum
„ ſumma auctoritate conjuncta. Ob quæ non immerito te non
„ nomine tantum ſed re ipſa tamquam *heroën* quemdam morta-
„ les plurimi venerantur atque ſuſpiciunt. Me tamen tui in
„ me amoris abundantia multo maxime afficit, & quamquam
„ cum aliis in referenda tibi gratia paria facere nequeam,
„ tuorum tamen meritorum memoriam ex animo meo nulla
„ dies delebit. Unde etiam non minimum mihi accepturus
„ ſolatium videor, ſiquando philoſophico huic meo humiliqne
„ inſtituto fortuna inſultaverit, tua videlicet ope licuiſſe etiam
„ mihi celſiore aliquo loco fuiſſe, niſi hoc Scholaſticum ingle-
„ riumque otium præferre maluiſſem. Tu vero ampliſſime,
„ idemque mihi maxime Mœcenas, quæſo in tuorum me nu-

„ mero

„ mero manere nihilominus ſinas. Quod quidem etſi ego „ nullo meo aut officio aut obſequio, omni tamen obſervan„ tia ac gratitudine promereri conabor. Opto te quam opti„ me diutiſſimeque vivere & valere patrone omnibus modis „ incomparabilis." Ex Raina (*oppido Bavariæ, quo ob graſſantem Ingolſtadii peſtem cum aliqua Academiæ parte ſeceſſerat*) 25. Decembris 1539. *Ex tomo* 3. *p.* 169. *& ſeqq.* His litteris miſſis dimiſit *Matthiam* totamque ejus affinitatem: de qua in reliqua vita occurrit nihil. Suſpicor *Matthiam*, hominem minime ineptum, hæc memori pectore condidiſſe; & *Viglii* recuſationem, aut cauſam dediſſe irarum, aut ſaltem exinde frigus fuiſſe in amicitia. Et quis contendat hîc nihil eſſe ſtropharum? Nulla poſt hanc diem exſtant *Viglii* epiſtolæ ad *Matthiam*, donec ille longo poſt tempore, jam ſenex, ſuosque videns præcipitari dies, *Viglium* conſuluit ſuper proviſione liberorum nothorum: cui reſcripſit ſecundum jus & patrias conſuetudines, expediens ei probi ac pii viri conſilium, quod legiſſe non pœnitebit: „ Magnif. ac clariſſime vir Dne plurimum honorande. Uti mihi ſumme volupe fuit poſt tanti temporis intervallum" (*quantum hic Viglius ſignificatum velit, non liquet: Sed ab ultimæ epiſtolæ adſcripta die, diſtat hæc annis omnino viginti ac duobus*) „ te „ ſalvum ac incolumem conſpicere, ita non potuit non eſſe „ gratiſſima epiſtola tua, quæ me ad vetus ſcribendi officium „ revocavit. Fuit enim mihi ſemper Sacroſancta nominis tui „ memoria cum jucundiſſima beneficiorum tuorum in me olim „ collatorum recordatione: plurimumque fui gaviſus tuam „ quoque erga me benevolentiam integram permanſiſſe. Quod „ autem pertinet ad id quod coram mihi exponebas, de deli„ beratione tua circa liberorum proviſionem bonorumque di„ ſpoſitionem, ac de reliqua pecuniæ ſumma in annuam pen„ ſionem in hiſce ditionibus collocanda: ad id lubenter meum „ conſilium operamque impertiar. Porro ſuadere non poſſum „ ut quicquam in liberorum uſum in hiſce provinciis compa„ res, niſi illi antea muniti fuerint legitimationis beneficio. „ Quod ſi vero, uti liberum tibi arbitror, per matrimonii ſe„ quelam eo illos beare nolis; a principe id petendum erit. „ Et puto te non ignorare, in hiſce provinciis Imperialia di„ plomata non ſufficere, multo minus vero ea quæ a Comiti„ bus Palatinis procedunt: & niſi ea gratia ſub principis no„ ſtri ſigillo obtenta fuerit, morientium illegitimorum ſine liberis „ ſucceſſio ad fiſcum devolvitur: natis autem ex ſoluto & ſoluta „ paſſim apud nos legitimatio conceditur. Verum alia huic „ adhæret difficultas, quod ad *Rationales* ea remittitur (uti nos „ loquimur) *interinanda*, cum onere ſolvendæ certæ ſummæ „ pecuniariæ, quam hic *Financiam* vocamus: cujus remiſſio ra-

„ riſſime

„ rissime & non nisi ab ipso principe obtineri solet. Verum „ ea si, antequam tu aliquid in eos contuleris, fiat, haud ita „ magna erit, cum juxta facultates taxetur. De quo monen„ dum te duxi antequam quicquam hic emas, quod ad liberos „ pervenire postea velis. Non possum autem non te rogare, „ & hortari, ut illorum rationem habeas. Postquam enim „ eis vitæ author fuisti, natura obligat ut pro facultatibus tuis „ non sinas eis deesse sine quibus illa commode non transigi„ tur, præsertim cum propinquorum neminem injuria aliqua „ sis affecturus, eaque quæ possides tuo fere labore parta, il„ losque multa munificentia liberalitateque antea abs te affectos „ esse non dubitem. Adhæc scis illis de jure ab intestato trien„ tem deberi. Quamobrem te illis quæso benignum patrem „ exhibe, eaque non denega subsidia quibus adjuti vitam ho„ nestius traducere queant. Quod si autem, ut constituisse te „ recordor, aliquam bonorum partem in pios usus convertere „ volueris, cogitavi mecum nusquam id rectius quam in pa„ tria tua fieri posse. Nam & illi etiam aliquid deberi non „ ignoras, nec quicquam honorificentius facere queas, quam „ si illam bellorum tempestate graviter afflictam tuo aliquo be„ neficio subleves. Adhæc cùm sciam quanto semper zelo Re„ ligionem Catholicam foveris: ostendam occasionem qua & „ de patria & de civibus propinquisque tuis, & simul de reli„ gione quam optime mereare. Nullam *Luxemburgensis* Duca„ tus, Comitatusve *Chimacensis* scholam habet, qua incolæ vel „ in literis vel in religionis rudimentis queant instrui. Ea au„ tem quæ *Treviris* in propinquo esse solet, tota pene interiit: „ nec contagionis periculo caret, uti superiore anno vidimus. „ Quid si igitur, mi Heros, hæc tibi relicta sit materia in quam „ tuam beneficentiam exerceas? Non desunt autem tibi exem„ pla tuorum conterraneorum, qui idem antea fecerunt, sed „ extra patriam. Nam & *Lovanii* clara adhuc est memoria „ *Hieronymi Buslidii*, ac *Nicolai Rutteri* Episcopi *Atrebatensis*: „ quorum ille *Trilingue*, alter *Atrebatense* illic fundavit Colle„ gium. Habes quoque exemplum *Nicolai Cusani* Cardinalis „ meritissimi, cujus beneficia in scholas passim extant. Cùm „ igitur tibi ædes ac fundum paternum *Arlunæ* esse aliquando „ audierim: cur non illic potius, quam alibi tui memoriam „ constabilias? Vivitur quippe ibi parvo, & mediocria magi„ stris stipendia sufficient, nec ædes etiam si de novo ædifi„ candæ erunt, magno constabunt. Et si ad aliquem discen„ tium numerum beneficentiam extendere volueris, poteris in „ ea præferre eos, qui vel ob cognationem, vel amicitiam, „ vel viciniam gratiores tibi erunt. Verùm hic ego nimis mul„ ta extra rem abs te propositam: cum illud tantum quæsie-

„ ris, quomodo in his ditionibus pecuniam aliquam in annuam
„ penſionem ſecure queas impendere. Redditus autem in hac
„ provincia, vel ab principe, vel ab Statibus, vel ab Civita-
„ te aliqua, vel a privatis etiam emuntur, ſub hypotheca,
„ nonnunquam omnium, nonnunquam etiam ſpeciali aliquo-
„ rum bonorum nominatim deſignatorum. Atque unus flore-
„ nus annuus ſedecim fere comparari ſolet: belli etiam tem-
„ pore duodecim. Verùm etſi is plus compendii habere vi-
„ deatur, attamen ob brevem redemptionem minus commo-
„ dus cenſetur: qua qui carere volunt vel octodecim vel vi-
„ ginti comparare etiam ſolent. Verùm ut omnia humana mu-
„ tationibus ſubjecta ſunt, ita non eadem ſemper hypothecæ
„ conditio manet. Solutio autem omnium promptiſſima ſit ab
„ Statibus, verum & illi rebus ſecundis pacatisque eò ſemper
„ contendunt, ut id onus redimere queant. Quod ſi tu igitur
„ tecum reſolveris in hujusmodi redditum aliquam pecuniam
„ erogare, ego me lubenter ei quem procuratorem delegeris,
„ adjutorem præſtabo. Poterit autem *Georgius Stecber* hanc ti-
„ bi navare operam: aut ſi malis, agit hic *Joannes Vlierdenus*
„ Conſilii noſtri ſecretarius, qui tibi olim inſervivit, gratam-
„ que tui memoriam retinet. *Stecberi* cauſam Conſiliariis non-
„ nullis *Mechlinienſibus* diligenter commendavi: & ſi quid aliud
„ habes, quod a me curatum velis, pro veteri tuo in me jure
„ impera, ac vale. Datum *Bruxellis* 3. Januarii 1561." *Ex tomo* 3. *p.* 618. *& ſeqq.* Ceterum de *Matthia* invenio ſequentia apud *Paulum Freherum in theatro* p. 822. col. 2. „ An. 1540,
„ cum *Heldus*, *Granvellani* inſtinctu, Aula *Caroli V.* excedere
„ & vitam privatam agere juſſus eſſet, quod in Conſiliis ni-
„ mis eſſet vehemens, & Cæſarem prope invitum ad bellum
„ protraxiſſet, *Navius*, ei ſubſtitutus eſt."

XXVII. (1) NICOLAUS EPISCOPIUS] Breſſianus Gallus, qui Baſileam feceſſit religionis cauſa, ducta ibi *Juſtina Jo. Frobenii* celeberrimi typographi filia. *Eraſmo* inprimis charus, ejus teſtamenti executor fuit cum *Hieronymo Frobenio*. Ex ejus porro epitaphio recitantur hi duo verſus.

Quærere quis fuerim noli: quod magnus Eraſmus,
Me coluit, nonne eſt jam tibi noſſe ſatis.

Aliud epitaphium ſoluta oratione in *Sel. orbis delicias retulit F. Sweertius p.* 380. *edit. cit.*

(2) ANDREAS CRATANDER] typographus Baſileenſis, de quo, ſi lubet, conſule *Mettaire tom.* 2. *part.* 2. *p.* 117.

(3) JOANNES DOCCUMENSIS] ſive *Doccomienſis*, uti ſcribit *Suffrid. Petri decad.* 10. *cap.* 9. honeſtiſſimo loco apud Doc-

Doccomium natus, juris utriusque Doctor in Universitate *Colonienſi*; *vir eximiæ doctrinæ & authoritatis, ſub Cæſare Maximiliano* (nempe I.) *multis annis Cameræ* (Imperiali Spiræ) *aſſedit, ac nunc primarius eſt Ducis Juliacenſis conſiliarius*, inquit *Viglius anno* 1537. *tom.* 3. *p.* 9. Porro perpetuò hæſit *Coloniæ*, quod mallet inter literatos, quam inter aulicos agere, vir literis promovendis natus. *Suffr. Petri cit.* Deceſſit *Coloniæ* ex peſte, non anno 1540. ut *Suffrid.* ſcribit, ſed anno 1541. *Viglius* namque die 13 Auguſti 1542. *Haioni a Camminga* ita ſcribit: Coloniæ peſtis graviſſime ſæviit & amicum noſtrum *Doccumenſem ſuperiore anno ſuſtulit. tom.* 4. *p.* 389. *Vſa.* Ad *Hectorem Hoxvirium* communem amicum, eodem anno hæc *Viglius* ſcripſit: „ De „ *Doccumenſis* noſtri morte te audiviſſe arbitror. Miſeret me „ uxoris ac liberorum, vereor enim ne rem haud magnam re„ liquerit, cùm, uti ſcis, & laboris fuerit fugitantior, & lau„ tior quam pro quæſtu aut fortuna." *Ibid. p.* 332. Inter plures liberos habuit *Hieronymum* (de quo *Suffr.* non meminit) *Viglii filium adoptivum*, & ſibi adeo charum, ut ei epitaphium ſcripſerit, & conſolatoriam ad *Joannem* quam hic ex *epiſtolarum tomo* 2. *p.* 295. appono: „ Numquam mihi æque moleſtum „ fuit ad te ſcribere, clariſſime Doctor ac Dne colendiſſime, „ quàm in hac præſenti animi perturbatione: cum neque meum „ dolorem temperare poſſim, & ne tuum quoque animum meis „ querimoniis nimis exacerbem, vehementer verear. Com„ munis enim mihi tecum eſt luctus, & neſcio an etiam juſtio„ rem mœroris cauſam habeam, quàm tu forte allegare poſ„ ſis. Quamquam enim is ex te genitus fuerat, tu tamen „ unum tantum amiſiſti filium, pluribus adhuc liberis ſuper„ ſtitibus: ego unicum non natura ſed *adoptione* mihi quæſi„ tum. Ut eo magis commovear, quo meliorem quidem ele„ geram, quem nunc amiſſum defleo. Gignimus enim caſu: „ in *optione* vero diſcrimine judicioque uti licet. Et ille, quoad „ *in meo jure* fuit, ita meo animo adlubuit, ita omnibus nu„ meris meam expectationem implevit, ut eum fratre, qui „ una cum eo literis operam dabat, chariorem haberem. Cui „ & ſtudio & moribus ita præibat, ut ducis officio ſtrenue fun„ geretur. Excitavit verò etiam meam erga eum affectionem „ commendatio *Joachimi*, qui eos privatim inſtituebat, & il„ lius profectum crebris apud me literis prædicabat. Sed heu „ nimium verum eſt, egregia præcociaque ingenia raro eſſe „ longæva. An vero ego talem adoleſcentem ita nobis eripi „ non doleam. Ita mi Domine commoveor, ut nullius um„ quam morte æque fuerim perturbatus. Neſcio enim quæ„ nam iſta ſit mortalium conditio, ut optima quæque, ante„ quam frui ipſis liceat, amittamus: mali vero non modo vi„ vant

„ vant & valeant, ſed & deteriores quotidie reddantur, &
„ vires aſſumant ad bonorum perniciem. Uti mihi res huma-
„ nas conſideranti beati illi videantur, qui in tempore ab hiſce
„ mundi ærumnis eripiuntur: miſeri vero qui tantis calamita-
„ tibus ſervantur. Itaque quando fruſtra illum deſideramus,
„ non tam illius quam noſtrum deflere caſum poſſumus. De
„ illo autem non modicum capio ſolatium, quod tam pie ac
„ Chriſtiane obdormiit, uti præceptoris ſui literæ teſtantur,
„ quas ad te binas mitto, quo inde etiam colligas, citius eum
„ mortuum quam ego quicquam de ejus ægritudine cognove-
„ ram. Nam ii per quos *Joachimus* prius ſcripſerat, literas
„ perfide ſuppreſſerunt. Statim autem ubi alteris literis per
„ eumdem ſum de illius morbo admonitus, proprium nuntium
„ iſthuc miſi: ſed jam deceſſerat. Ego autem interea hic feſti-
„ nabam ſarcinas colligere quo maturius *Daventriam* adveni-
„ rem in patriam profecturus, & illius valetudini qua poſſem
„ cura ac fide conſulturus. Ægrotanti autem illi nullum hu-
„ manum ſolatium, aut remedium defuit, ſed fatum fuit, con-
„ tra quod fruſtra nitimur. Mortuo honorifice juſta perſoluta
„ ſunt. Nec dubito eum recta ad cælum migraſſe, ibique
„ apud omnipotentem Deum nunc pro nobis intercedere.
„ Quando itaque ad nos non es rediturus *Hieronyme* chariſſi-
„ me; vale dilecta anima, & æterna requie, ambroſiisque epu-
„ lis fruere. Hoc vero habe perpetuum teſtimonium mei er-
„ ga te amoris, quod tuo ſepulchro inſcribetur:

„ HIERONYMO
„ CLARISSIMI EXCELLENTISSIMIQUE
„ DOCTORIS
„ JOANNIS DOCCUMENSIS FRISII
„ IMPERIALIS OLIM JUDICII
„ ASSESSORIS
„ NUNC VERO MULTORUM PRINCIPUM
„ CONSILIARII CELEBERRIMI
„ FILIO
„ EXIMIÆ INDOLIS, ET PRÆCLARÆ SPEI,
„ CUM OPTIMIS LITERIS DISCIPLINISQUE
„ SUMMA DILIGENTIA ET OMNIUM AD-
„ MIRATIONE DAVENTRIÆ INCUMBERET,
„ EXTREMUM DIEM PRÆMATURE
„ FUNCTO,
„ ATQUE HIC A MOERENTIBUS SODALIBUS
„ SEPULTO
„ ALUMNO SUO CHARISSIMO

„ VI-

„ VIGLIUS ZUICHEMUS
„ FRISIUS JURECONSULTUS
„ HOC MONUMENTUM AD PATRIS
„ SUUMQUE SOLATIUM POSUIT.
„ OBIIT PENULTIMA MAII ANNO DOMINI
M. D. XXXV.

„ Bene vale, & quod ego ipſe non poſſum, te tamen una „ cum uxore rogatum habeo, ut filii mortem moderate feras, „ & quod Deo viſum eſt, æquo animo ſuſtineas. *Dulmaniæ* „ 5 Junii 1535."

XXVIII. (1) FRANCISCUS COMES A WALDECK] ſub quo *Anabaptiſtarum* tumultus in Civitate *Monaſterienſi* excitatus eſt, de quo mox redibit ſermo. In *Aub. Miræi oper. diplom. novæ edit. p.* 607. exſtat *Franciſci* epiſtola ad *Paulum* III. Papam, qua exponit miſerum urbis ſtatum per *Anabaptiſtas* anno 1534. oppreſſæ. Cui epiſtolæ apponitur hæc nota marginalis: *Additio ex litteris MS. Viglii Zuichemi quæ extant in Collegio* ejus *Lovanii*: per quæ verba editor vult intelligi, hanc *Franciſci* epiſtolam e *Viglii* calamo fluxiſſe. Habeo præ manibus, Præſidis & Proviſorum Collegii *Viglani* beneficio, omnes quatuor tomos epiſtolarum *Viglii* MSS. in quibus hæc epiſtola fruſtra quæretur. Exſtat tamen in volumine notato N. VI. Quid interſit inter quatuor tomos epiſtolarum *Viglii*, & inter reliqua quatuor volumina, dicam in *præfatione ad epiſtolas ſelectas*. Et Epiſcopi ad *Paulum III.* epiſtolam (ſi ad ejus ſtylum, dictionem & ordinationem attendas) abjudicabis *Viglio*, quòd nimium nimiumque differat ab aliarum epiſtolarum ſtylo polito & eleganti. Sed potuit ſtylum attemperaſſe materiæ ac perſonis. Cum Papa enim, & nomine Epiſcopi qui S. R. I. princeps exiſtit, alium habendum eſſe ſermonem quàm ad amicos ac familiares, nemo gravate concedet. De hoc epiſcopo ac principe *Monaſterienſi* memorabile epiſodium vide in vita *Viglii* N. XXXII. & conſule notas noſtras.

(2) RECIPERET] *promitteret*, apud *Adrian. Gaudan.* Qui addit hæc: „ Ac anno 34. die Martis poſt Dominicam *Eſto mi-* „ *hi* (quæ eſt in *Quinquageſima*) cum deputatis Epiſcopi con- „ venit, eamque conventionem die Veneris poſt *Scholaſticæ* „ Virginis (*quæ colitur X. Februarii*) idem Epiſcopus ratifica- „ vit."

XXIX. (1) ANABATISTÆ] De his auctores multi multa. Rem in pauca confert *Petrus Bertius in Comm. rer. Ger. lib.* 3. *p.* 624. Qui plura deſiderat, legat *Hermanni a Kerſſenbroch narrationem de obſidione Monaſterienſi ſeu de bello Anabaptiſtico*, apud Menckenium Rer. Ger. ſcript. tom. 3. col. 1503. *Viglius*

Dulmaniæ, oppidulo tribus *Monaſterio* miliaribus diſſito, habitans, epiſcopi Officialis & Conſiliarius, magnam partem tumultus ac obſidionis ſpectavit, & ad amicos ex recenti memoria ac a ſe viſa perſcripſit, quæ apud alios aut omnino non, aut aliter invenias. Queritur hoc Num. quod ex *Hollandia Friſiaque* hi ſectarii *Monaſterium* accurrerent, quorum tamen „ plerique qui deſertis penatibus liberiſque parvulis fu„ gerant, partim incommodo interceptarum navium, partim „ ob clemens & benignum Cæſaris decretum, quo pœniten„ tibus venia indulta fuit" in Friſiam redierint: (*tom. 2. p. 229.*) qui ſtatim „ prodigioſis quibusdam imbuti dogmatibus omnium „ errores ſuperarunt, execrabilibuſque opinionibus ſtulto„ rum cerebra complerunt, ut nunc parvis liberis, penati„ buſque deſertis multi novas ſedes quærant, & ad *Monaſte„ rium* urbem ab *Anabaptiſtis* occupatam turmatim confugiant" inquit in *epiſt. ad Jacobum Fuggerum ex Leovardia menſe Aprili* 1534. *ibid. p* 231. Ad *Eraſmum* ſcribens rem altius repetit, totamque tragœdiam quàm accuratiſſime & gravi ratione ac indignante animo complexus eſt. „ Vix ſuſceperam, *inquit*, con„ ditionem (*Officialatûs Monaſterienſis*) cum nunciatur, quanti „ illic novi tumultus ab *Anabaptiſtis* imminerent. In *Hollan„ diam* vero ac *Friſiam* veniens, creſcente indies ea Secta, „ magnorum tumultuum exordia illic quoque comperi. Pro„ fugiebant enim paſſim cives ac pagani, contractoque viati„ co novas res moliebantur, ac numeroſa turba promiſcui „ ordinis, ſexûs atque ætatis ſeſe in naves conjecerat *Mo„ naſterium* petitum. Sed intercepti ſunt ab *Georgio Schenck „ Friſiæ* ac *Tranſiſulaniæ* gubernatore ad *Vechtæ* fluvii oſtium „ uno infra *Zuollam* miliari. Cœpit me mox non mediocriter „ ejuſce conditionis pœnitere, ſed unum conſolabatur, quod „ Epiſcopus vigilantiſſimus undique provideret quo phanaticæ „ ſeditioſæque ſectæ occurreret. Qui dum non aliter civium „ motus compeſci poſſe videt, contracto celeriter equitatu, „ vias omnes quibus in urbem commeatus inferri ſolet, obſi„ det, ac communicato cum vicinis principibus conſilio, „ exercitum ad duodecim peditum milia conſcribit, eumque „ ſubito ad urbis obſidionem collocat. Honeſtiorum civium „ melior pars partim jam antea urbe profugerat, partim ſub „ obſidionis initium exacta eſt. Nam cum rebaptizari, ac ſua „ in commune conferre, noviſque per omnia opinionibus ac„ cedere nollent, in hoſtium numerum ab altera factione redi„ gebantur. Longum vero fuerit, quibus initiis florentiſſima „ urbs in eam calamitatem devenerit, totamque hujuſce diu„ tinæ obſidionis Iliada, pertexere. Ac ita ſunt profecto ple„ raque admiranda ac horrenda, ut ab hujus civitatis miſer„ rima clade cæteræ urbes exemplum capere, & inſaniæ „ ſuæ

„ supo modum potiere, discere possint, Sub Agrestium au-
„ tem fatalem illam tempestatem, quæ totam fere Germa-
„ niam pervagabatur anno 1525. apparuit horum tumultuum
„ quasi quoddam proëmium. Nam & tunc illic cœpere gra-
„ vamina adversus Clerum colligi, eorumque pretextu auda-
„ cissimus sceleratissimusque quisque ex plebe, urbana mo-
„ nasteria divexare, & mane illic imperiosè jentacula flagitare
„ unde *Offariorum* nomen illis tum est inditum. Magistratus
„ vero magis conatus est quàm potuit eam insolentiam coer-
„ cere. Quamobrem supremi ordinis Canonici, (*vulgariter*
„ *Dombeeren*) quorum magna ibi esse solet authoritas, non
„ sine gravi indignatione urbe excedentes, totum tum pene
„ annum abfuerunt. Tandem ea res authore *Colonienſi* Archie-
„ piscopo (*Hermanno Comite de Weda*) cujus frater (*Frideſ-*
„ *ricus Comes de Weda*) erat is qui tum *Monasterienſem* eccle-
„ siam regebat, composita est.

Sed semel jacta seditionis semina quotidie magis pullulave-
„ runt, præsertim postquam libros quoscumque impunè im-
„ portari legique permissum fuit, & magistratus sive in odium
„ cleri sive in plebis gratiam ad concionatorum licentiam
„ conniveret. Qui ab *Lutheraniſmo* auspicati, cui facile quis-
„ que e plebe applaudebat, per crebras dogmatum innovatio-
„ nes in hanc detestabilem sectam *Anabaptiſtarum* tandem pro-
„ lapsi sunt. Quæ non unum simplicemque errorem continet,
„ sed omnium hæreseon quasi quædam Lerna est. Autor vero
„ præcipuus *Bernardus Rothmannus*, qui cum in trivio primas
„ litteras aliquamdiu docuisset, ad capellani tandem officium
„ in quadam suburbana parochia promotus fuerat. Hic verò
„ majore fretus facundia quàm doctrina plaustrum, quod di-
„ citur, suapte sponte primùm perculit, populumque ad no-
„ vas res propensum facile in suam traxit sententiam. Quam-
„ obrem ante biennium sub novi episcopi inaugurationem,
„ plebem ad abolendas omnes ceremonias concitavit. Quæ
„ tamen res non sine nova turba peracta est, ac jam tum
„ aliquod belli erat præludium, sed ei *Lantgravius Haſſiæ* in-
„ tercessit, concionatorum, nulla pacta conditionesque atten-
„ dentium, gliscente indies licentia, adeo ut inter ipsosmet
„ qui novis rebus studebant & opinionibus dediti erant, gra-
„ ve dissidium oriretur. Nonnulli enim, cum mutari non
„ tolli incommoda videbant, quæ a clero inferri querebantur,
„ resipiscebant, quidam inter *Lutheranæ* doctrinæ septa per-
„ manebant, alii & Zuingliana dogmata recipiebant.

„ *Bernardus* traductis fere in suam sententiam *Zuinglianis*,
„ *Anabaptiſtarum* dogmata subingerere coepit, quibus ipse nova
„ quædam & plane horrenda adjecit. Sustinebatur autem mul-

„ torum peregrinorum turba, præsertim *Hollandorum* qui pa-
„ tria profugi ministros sese *Bernardo* addixerunt. Quidam ex
„ his ob occœpta casearia negotiatione, cùm antea sacrificus
„ fuisset, *Keespaep* dictus est. Alius quod solet lucernas in tem-
„ plis jubere extingui, abusum detestans, ab ipsa voce quâ
„ uti solet, *Puistub* cognominatus est. Tertius *Rollius* quidam
„ fuit; is sub natalem Domini cum *Rothmannicis* libellis plenis
„ suprædictorum dogmatum profectus est in *Hollandiam & Fri-*
„ *siam*, ac ibi eam excitavit turbam de quâ supra memini.
„ Horum tamen omnium princeps fuit sartor quidam *Joannes*
„ *a Leyda* dictus, qui illic se prophetam mentitus mirabilem
„ populi insaniam auxit. Exactis enim honestissimis quibusque
„ civibus novam Reipublicæ formam instituit, leges & magistra-
„ tus ex divina revelatione imposuit, & hactenus eos suaviter
„ delusit. Nunc jussit omne aurum & argentum in unum con-
„ ferri, nunc domos permutari, ne quisquam se aliquid pro-
„ prium possidere crederet. Aliquando ob leviissimas suspiciones
„ sub divini jussus prætextu mactari cives jubet. Urbem ipsi
„ vocant *Hierusalem*, sese vero Israëlitas. Erat autem illa
„ omnibus iis, quæ ad ejus defensionem pertinent, instructissi-
„ ma, & fossis, vallo, mœniis, propugnaculisque quantum ulla
„ alia urbs Germaniæ, communita; ad hæc sceleratissimorum,
„ desperatissimorumque nebulonum turba oppleta, qui sese
„ profecto summa vi magnisque animis defenderunt. Ut si
„ ob justam causam illa facerent, perpetuam ex fortitudine
„ hâc laudem promeriti fuerint. Quod ipsa etiam obsidionis
„ diuturnitas attestatur. Quamquam miles sane noster, præ-
„ terquam quod fuit valde segnis, & nimia rerum omnium,
„ commeatusque copia & affluentia dissolutior, tum uti fere
„ fit non omnino alienus aut syncerus ab novis hisce opinioni-
„ bus. Belli sumptus Dux *Clivensis* & Archiepiscopus *Colo-*
„ *niensis* una cum nostro *Monasteriensi* sustinent. *Colonienſis*
„ etiam ipse est in castris, vicinique omnes Principes huic
„ causæ favent: neque enim solum de religione, sed & de
„ imperii ruina agitur. Certum enim est nisi iste nidus fue-
„ rit expurgatus, asylum hic fore omnium improborum ho-
„ minum, & subditos principum juga excussuros esse. In
„ religione eò jam intra urbem deventum est, ut abjecto
„ Evangelio, ex solo spiritu & revelatione altissimi vivere
„ se velle affirment . . . . 12. Aug. 1534." *Ex tom. 2. a pag.* 237. Paucis post diebus apud amicum querebatur, se *arbitrari fore Trojanam obsidionem*: & statim *Erasmo* rei seriem his verbis annuntiat: „ Humanæ vires parum hactenus profecerunt.
„ Extremam porrò aleam hisce diebus jacere, *Monasteriumque*
„ cunctarum hæreseon sentinam omni vi oppugnare Princi-

„ pes

„ pes noſtri conſtituerunt. Quod ſi victi fuerint *Anabaptiſtæ*, „ erit nobis nonnulla tranquillitatis ſpes. Victoriam enim „ vulgus ſequitur. Et quamquam agreſtium, qui hic duram „ ſervitutem, & plebis paſſim animi ad pileum reſpiciunt: „ præſentis tamen belli calamitate valde mihi attriti, victo„ riaque perculſi, quietem & pacem, uti putamus, non illu„ benter amplectentur, Sin ſuperiores evaſerint, pene de tota „ inferiore Germania actum erit". *Dulmaniæ* in Weſtphalia 22. Aug. 1534. *ibid. p.* 249. Longe aberant a ſpe ſua Principes adunati ante *Monaſterium*, & quotidie res in pejus ruebant cùm vulgus animadvertit Principum in urbe oppugnanda initos eſſe conatus. Jam enim ſemeſtri obſidione ob ingruentem hyemem ſoluta, erectis circum urbem propugnaculis, impoſitiſque præſidiis, credebantur hoſtes prohiberi poſſe ne excurrerent. Audi quæ ad *Franciſcum Rupilium Viglius*: „ Quotidie vicini coëunt „ Principes, quos ejuſdem mali tangit periculum, quo tantam „ tempeſtatem, quæ ex *Anabaptiſtarum* victoria poſſit ingruere, „ conſiliis ſuis avertant, ac noſtrum Antiſtitem, qui iſthoc „ bello ad *ſepties centena milia florenorum* expendit, ſuis adjuvent „ copiis & facultatibus. Indictus autem eſt conventus Prin„ cipum *Saxonici*, *Rhenenſis* & *Weſtphalici* tractûs ad diem XIII. „ Decembris apud *Confluentiam*. *Anabaptiſtæ* adhuc intra *Mo„ naſterium* more ſuo ferociunt, urbemque munire & noſtros „ in propugnaculis excubantes laceſſere non deſinunt: verùm „ ne importare commeatum queant, facile prohibentur. Ipſi „ inter ſe Regem creavere. Et cum antea populo omnem auri „ & argenti uſum, omniaque ornamenta ademiſſent, nunc „ quæſitus eſt color, quo authores ſceleratiſſimæ ſectæ paula„ tim ea ſibi uſurpent, & regnum ſtabiliant. Nullum autem „ impietatis audaciæque genus omittunt. Nuper aliquot ex „ concionatoribus ad numerum triginta in vicina miſère oppida, „ ut illic plebem ad res novas propenſam commoverent. Coe„ père etenim illic vociferari in triviis & compitis: *Mutate*, „ *mutate vitam*, *pater offenſus eſt*: *mutate & pœnitete*, *ne divina* „ *vos ira percutiat*, *excutite opera diaboli*, *& renovamini lavacro* „ *baptiſmi*. Cum vero ad hujuſmodi clamores plebs concurre„ ret, municipales magiſtratus vix prohibere ſeditionem po„ tuerunt. Juſſi autem tacere legati iſti, nihilominus clama„ runt. Dum vero comprehendendi videntur, aureos aliquot, „ ſingulos octonis vel denis florenis æſtimabiles, puri auri, in „ teſtimonium functæ legationis abjiciunt. In quorum una „ parte ſcriptum erat: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu* „ *ſancto non poteſt introire regnum* * *diaboli*: In altera: *Unus Deus*, „ *unum baptiſma*, *unus Rex omnium* MONASTERII. Idque ver„ bis vernaculis. Traditi autem a Magiſtratibus in Antiſtitis

* legendum: Dei, ut

consonet textui Sacræ Scripturæ.

„ potestatem, capite truncati sunt. *Varendorpii* tamen (est „ oppidum ad Amasum fluvium) propre successerat impium „ consilium. Nam illic multi ex plebe baptizari se passi sunt, „ & jam ita sese comparabant ut Principem urbe prohiberent: „ verum is cum non minima manu militum eo properans, ad- „ ductisque bellicis machinis ad deditionem facile rebelles com- „ pulit, eaque illic edidit exempla, ut putem non temere „ alibi quicquam innovatum iri . . . . Dulmanæ 20. Novem- „ bris 1534." *ibid p. 257. & seqq.* Jam pene totum annum in oppugnada urbe laborarat Episcopus, cum amissa ejus per vim potiundæ spe, eo spectabatur, ut fame edomarentur, qui ferro vinci non poterant. Et scribebat *Viglius* ad *Joannem Cholerum* die Epiphaniæ anni 1535. eos, qui ex urbe vel capiebantur vel fugiebant, retulisse, „ equinis populum car- „ nibus vesci, magnaque vulgum laborare inopia, tametsi rex „ ille novus, qui antea sartor erat, prophetæque & autho- „ res impiissimæ hæresis splendide interea victitarent, seve- „ roque imperio cæteram turbam „ nequid adversus eos au- „ deret, coercerent . . . *ibid. p.* 343. *Vsa.* Quantæ molis & operæ fuerit ejus urbis expugnatio, ad eundem retulit *Viglius* Nonis Januarii ejusdem anni: „ Episcopum nostrum „ Principes vicini omnes adjuvant quo hanc lernam expugnet „ atque expurget. Sed urbs ab Martio usque mense obsessa, „ aliquotiesque tentata capi hactenus non potuit. Cum vero „ per æstatem, proxime mœnia exercitus eam obsideret, nunc „ mutatum est obsidii genus missisque cæteris militibus retenti „ sunt *triginta & quinque mille*, qui præsidiis impositi prohi- „ beant ne urbe *Anabaptistæ* excurrant, commeatumque ho- „ stes inferant. Nam propugnacula septem in hoc diligentis- „ sime munita sunt. Dum vero obsessi vident propositum esse „ fame eos edomare, alia tentarunt consilia, nam XIII. men- „ sis Octobris in vicinis urbibus *Groningæ*, *Daventriæ*, *Susati*, „ *Osnabrugæ*, *Coesfeldiæ*, *Varendorpii* (*tribus miliaribus a Monaste- „ rio*, *septem a Paderborna*) multisque aliis locis apparuere emis- „ sarii illorum singulis locis 6 aut octo: qui illic occupatis „ templis cœpere phanatico more inclamare, ut pœniten- „ tiam homines agerent &c." *ut supra. Ibid. pag.* 345. *Vsa.* Ærumnas ac calamitates obsessorum ad *Hayonem Hermannum Frisium* perscripsit mense Junio 1535. „ Principi meo in proxi- „ mis Comitiis *Wormatiensibus* ab universis Imperii ordinibus „ non exiguæ suppetiæ addictæ sunt, publicaque pecunia nunc „ fere totum hoc bellum geritur, ut non sit cur desperemus „ tandem hanc nos aliquando expugnaturos lernam. Intra „ *Monasterium* extrema laboratur fame, multi mortales victus „ inopia intra urbem quotidie pereunt; mulierum, puero- „ rum,

„ rum, & senum magna turba ab urbe profuga, ante castra „ nostra atque intra aggerem conclusa, militum implorat mi„ sericordiam, qui in imbellem sexum & ætatem non luben„ ter gladios stringunt. Viri vero & juvenes quotquot ex„ currunt, e vestigio trucidantur, multique intra paucos dies „ cæsi sunt. Ex mulieribus nonnullæ datis vadibus, gravissi„ moque obstrictæ sacramento dimissæ sunt. Multas audivi „ dicere se præter herbas totis duobus mensibus nihil edisse; „ plerique bubulo corip maceratisque membranis vitam illic „ sustentavêre, & incredibilia sunt quæ illic urgente fame „ impiissimi, miserrimique homines facere dicuntur. Multa „ de *Hierosolymitana* necessitate scribit *Josephus*, sed hic non „ absimilia perpetrantur, & nescio an eodem fato, nam ipsi „ *Anabaptistæ* ab initio mutato nomine *Monasterium* vocavere „ *Hierusalem*. Deditionem non est ut speremus, ita semel ob„ firmavit animum Tyrannus ille qui se Regem totius Orbis „ dictitat. Illud vero verendum, ne in extrema fortuna igne „ urbem consumat. Ante pauculos dies profugit ad nos Præ„ sulis nostri nothus malo quodam fato superiore autumno „ captus ab *Monasteriensibus*. Is apud Regem honeste fuit habi„ tus, ac cùm vix pubertatem esset egressus coactus illic fuit „ uxorem ducere. Tandem fame compulsus opportunitatem„ que nactus salvus rediit, qui mirabilia de fastu Regis ridi„ culisque ejus gestis & consiliis commemorat. Omnia autem „ in lætum exitum inclinata videntur, & brevi spero Præsu„ lem urbe potiturum . . . ." *Ex tom. 2. p. 303.* Quo tempore urbs capiebatur erat in *Frisia Viglius*, impetratâ paullo ante venia a Præsule, ea conditione, ut inde *Wormatiam* cum ceteris legatis rediret ad Comitia nuperrimo conventu illic prorogata. Significavit ex *Spira*, *Wolfgango Beringero* litteris 4. Augusti 1535. datis, „ Regem atque urbem 25. Junii „ in præsulis potestatem venisse, cæsis pene viris omnibus qui „ in ea urbe reperti fuerunt: ab muliebri verò sexu tempera„ tum esse ". Tandem 17. Novembris hæc misit ad *Erasmum*. „ Rex *Monasteriensis* etiamnum in carcere, Regalem ferocem„ que animum adhuc retinet. Nec desunt nobis mira pro„ phetare. Quibusdam tamen Principibus non placuit quod „ hactenus sit servatus, ac proxime decretum est apud *Worma„ tiam*, ut statim e medio tollatur. De genere supplicii variæ „ fuere sententiæ: Quibusdam placuit culeo eum more parri„ cidarum insutum in *Amasum* projici: aliis ferreæ caveæ bene „ cæsum melleque collitum includi, ac apum superinfuso „ examine in altum suspendi: aliis candentem coronam capiti „ imponi. Sed quibusdam tandem ab Principum Statuumque „ Imperii legatis injunctum negotium est, ut una cum Præsule

„ *Mona-*

„ *Monaſterienſi* de captivorum *Anabaptiſtarum* ſuppliciis, cæteris-
„ que negotiis præteriti belli cognoſcant ſtatuantque. Multi
„ urbem *Monaſterium* ſolo æquandam duxerunt, ſed mitior
„ ſententia obtinuit, ut tantum *Anabaptiſtarum* munimenta di-
„ ruantur ". *Ex tomo* 2. *p.* 331. Porro Rex *Monaſterienſis* can-
dentibus forcipibus diſcerptus eſt, complices eodem ſupplicio
& adacto demum per pectus mucrone perempti ſunt: corpo-
ribus in caveis ferreis ad ſummam urbis turrim ſuſpenſis. V.
Spondanum ad an. 1535. qui indicat præcipuos auctores de
Anabaptiſticis furoribus ſcribentes. *Pontus Heuterus* hiſtoriam
compendio exhibet. De dogmatibus porro ſcripſit ad *Alcia-
tum Viglius* 27. Februarii 1535. „ Hæc ſecta poſt Chriſtum vix
„ alia fuit deteſtabilior, tot ſcilicet huic nomini alii adhærent
„ nefandi errores, quos tamen ſub Evangelii velamento mira
„ pertinacia defendunt. Horum omnium inter ſe quaſi quæ-
„ dam teſſera eſt Baptiſmi iteratio. . . . . Inter dogmata eo-
„ rum & hoc eſt, hunc ſolum Regem a Deo in terris conſti-
„ tutum, cui omnes obtemperare debeant: cæterorum omni-
„ um illegitima eſſe imperia. Itaque quotquot huic ſeſe
„ hæreſi addixerunt, nullum magiſtratum, nullaſve leges ci-
„ viles præter hunccce Regulum agnoſcunt. Uxores unuſquiſ-
„ que virorum plures habet: cum gravida rem habere capi-
„ tale apud eos eſt. De Dominici corporis ſanguiniſque my-
„ ſterio longe abſurdiorem habent opinionem quàm ſit dogma
„ *Zwinglianorum*. Chriſtum ex virgine non aliter natum aiunt
„ quàm per vitrum ſol lucet. Lapſis pœnitentiam denegant.
„ Templa omnia diruunt, nec Evangelio quidem fidem præ-
„ bent, ſi quid ab eo diverſum propheta aſſeruerit. Eum
„ enim omnino Divino numine regi, colloquiaque cum patre
„ (ſic enim Deum vocant) habere exiſtimant. Libros omnes
„ *Vulcano* tradiderunt, omnemque vetuſtatis memoriam abo-
„ lere conati ſunt. Ornamenta verò privatis non fas eſt uſur-
„ pare, ſolus Rex & ſi quibus id Rex concedit ſplendidiſſime
„ culti atque ornati ſunt, ſacris videlicet omnibus veſtibus
„ in prophanum eorum converſis uſum. Longum autem fue-
„ rit cunctos *Anabaptiſtarum* recenſere errores: verùm aliquos
„ tantùm annotare volui, unde hujus hæreſis impuritatem im-
„ pietatemque conjiceres. Et mirum quantum huic factioni
„ plebs paſſim faveat, eo maxime nomine, quod oppreſſa nobi-
„ litate, clero everſo, & divitibus fortunis ſuis exutis, ad
„ pileum novus iſte Rex ſervilem miſeramque plebem vocet ".
Ex tomo 2. *p.* 289. *& ſeqq.*

(2) TRAJECTENSIS EPISCOPUS] *Georgius Egmondanus*, *Johannis* Comitis *Egmondani* filius, *Guilielmi Enckevortii* S. R. E. Cardinalis ſucceſſor, Abbas S. Amandi ordinis S. Benedicti,

nedicti, inauguratus Ultrajecti anno 1536. ut ſcribit *Suffridus Petri in append. ad Hedam.* Auctor Galliæ Chriſt. novæ edit. tomo 3. col. 268. dicit, *ſublimatum ad ſedem Ultrajectenſem die* 27. *Junii* 1531. *presbyterum, ac poſt biduum epiſcopum conſecratum.* Ratio temporis non ſubſiſtit. *Guilielmus Enckevortius* juxta *Ciacconium* vixit uſque ad 30 Julii 1534. Et *Lappius* ad *Suffr. Petri* in *Enckevortio* hanc appoſuit notam marginalem: „ Ipſe „ Dn. *Egmondanus* manu ſua notavit: *XXIV, Decemb. in vigilia* „ *natalis Domini acceptavi ad laudem domini Epiſcopatum Trajecten-* „ *ſem, Mechliniæ an.* 1534. In Breviario ſuo: quod vidi apud, „ magnif. V. *Corn. Bootium* ſcabinum." De *Georgio Egmondano* plura dedit *Heuſſenius in Bat. Sac. part.* 1. *p.* 246. Et in *biſt. ſeu notit. Epiſc. Ultraj. p.* 32. nec non, loco non ſuo, in *biſt. Epiſc. Leovard. p.* 14. 15.

(3) ARCHIDIACONUS BOISOT] *Claudius. Atrebatenſis* nempe Eccleſiæ Archidiaconus, & aliorum plurium beneficiorum, ut mos ferebat illius temporis, poſſeſſor. *V. Catalog. noſt. præpoſ. & decanor. quinque eccleſ. Traject.* ubi præpoſitus Majoris an. 1529. Antiquam cum Archidiacono conſuetudinem obtinuit *Viglius*, & in pecuniæ permutatione cum apud *Dolam Burgundiæ*, Juri incumberet, ſæpius illo eſt uſus. *Tom.* 2. *p.* 276. *Vſa.* Fuit Conſiliarius & libellorum ſupplicum magiſter in Conſilio ſecreto ſeu *Privato*, quod *Carolus* V. Imp. inſtituit apud ſororem *Mariam*, Hungariæ Reginam, Belgii gubernatricem Ann. 1517. & ann. 1527. Præſes ejusdem. Vide *Catalog. in Suppl. Butkens.* In Necrologio S. Rumoldi Mechliniæ ita lego: 19 *Auguſti* 1546. *obiit Venerandus pater Dnus Claudius de Boiſſet utriusque juris Doctor, Imperatoriæ majeſtatis Conſiliarius, eccleſiæ B. Rumoldi præpoſitus, fundato anniverſario.*

(4) GERARDUS MULERT] quis ſit, non ſtatim exploratum habui, quòd *Viglius*, licet multas ad eum literas dedit, id nullibi adnotaverit: tom. 3. p. 20. Vſa. appellat illum virum, *qui in Reip. ſummo loco conſtitutus eſt.* Et tom. 2. p. 150. Vſa. ſcribit *Gerardum* „ *& honoris & dignitatis ſocium eſſe*" *Franciſci Craneveldii*, qui fuit Conſiliarius magni Senatus, qui Mechliniæ ſedet. V. *Supplem. de Butkens tom.* 2. *p.* 317. ubi lego in Catalogo Conſiliariorum hæc verba: „ Meſſire *Gerard Mi-* „ *lart*, Chevalier, ſucceda a Meſſire *Pierre Tayſpyl* par lettres „ patentes du 29 Novembre 1527. Il etoit auparavant Con- „ ſeiller au Conſeil Privé." Eodem anno XVII. Cal. Decemb. concluſum eſt *Schonoviæ Hollandiæ* oppido *Carolum V.* inter & *Henricum Bavarum* Epiſcopum *Ultrajectinum*, de cedendis Cæſari *Ultrajectina & Tranſiſulana* ditionibus, pactum, cui cum ceteris legatis ſubſcribit *Gerardus Mulardus*; apud *Hortens. Rer. Ultraj. lib.* 6. *& Pontum Heut. Rer. Auſtriac. lib.* 9. *cap.* 8. *&*

seqq. qui illum appellant, *Libellorum præfectum. Maitre de Requetes.* Qui titulus hodieque est Consiliariorum *Mechliniensium*, & olim fuit Consiliariorum Consilii privati, ut est in *Suppl. de Butkens. cit.* Utut est *Val. Andr. in Bibl. Belg.* recenset *Gerardum Mulertium Ultrajectinum*, magni Consilii Belgici Mechliniæ senatorem, *de legationibus clarum*: unde non dubito hunc esse eumdem de quo nobis sermo, quamvis non addat *Val. And.* illum antea fuisse Consilii privati assessorem. Non exprimit quoque annum aut diem obitus *Gerardi*: verùm *Viglius* cùm ad munus senatorium in Belgio assumptus esset an. 1542. de *Gerardo* meminit senatore olim *Mechlinienſi* & hac tunc vita defuncto. *V. inf. ad N. XL. tertio loco.* Et *Simon van Leeuwen in Bat. illustr.* fol. 1481. Consiliarios Mechlinienſis Senatus enumerans, hæc verba ponit: 1527. *Mr. Geraard Mulaard van Utregt, namaals Lieutenant of Stadhouder van Groeningen.* Caspar Burmannus in suo *Trajecto erudito* pag. 237. dicit eum non tantum natalium & opum splendore conspicuum, sed & jurisprudentia insignem fuisse, ac præsidem Frisiæ; quod ultimum repugnat *Suffrido Petri*, præsides omnes Frisiæ enumeranti in *append. ad Hedam pag.* 2. *Viglius* habuit *Gerardum* patronum ab adolescentia sua, tantùmque ei obsequens fuit, ut è *Patavio*, ubi juris studio operam dabat anno 1532. ad eum scriberet: „ Totum me consiliis tuis permittam, quamcumque me vitæ „ rationem inire jusseris, sive ut tecum illic habitem & „ postulandi munus exerceam, sivè quid aliud tibi magis è „ re mea videbitur. Nam ut subito emergam, stultum fuerit „ sperare." Sapienter a juvene quinque & viginti annorum pronuntiatum! Ut *Gerardi* gratiam captaret magis, significabat eodem illi calamo, se, præter Institutionum libros a *Petro Bembo* acceptos, „ habere & alia multa antiqua de legibus „ Græca, neutiquam contemnenda. Jurisprudentiam enim „ Romanam Græcos quoque studiose olim coluisse constat." *Et pergit*: „ Scis autem me tibi studiorum meorum primitias „ pollicitum, nec ignoras quod soleat esse nuncupationis argumentum. Cupio quoque laudum tuarum memoriam dia„ logis meis includere, cùm epistolæ nuncupatoriæ * de li„ bris aliquando tollantur, ea vero quæ libris inserta sunt, „ cum ipsorum genio perdurent. Quamobrem te rogatum „ velim, ut ipse mihi aliquid rerum tuarum suggeras, unde „ laudandi materiam sumam. Non gravarem autem, Vir clarissime, modestiam tuam, scio enim quàm parcè de propriis „ meritis loqui soleas. Sed cùm ego semper patria abesse „ cœperim, ab eo tempore quo mihi per ætatem sapere, „ virtutem a vitiis, bonum a malo discernere licuit, difficile „ mihi est certi aliquid actionum tuarum cognoscere, quarum cir-

* *Commentaria sua in decem titulos Institutionum Juris Civilis, qui sunt de Testa-*

„ circumſtantiæ non ſunt laudatori omittendæ, ne & in impe-
„ ritiæ culpam incidat, & frigidius ſit ipſius de altero Eulo-
„ gium. Neminem autem iſtic habeo qui me per literas edo-
„ cere queat. Quamobrem neceſſe fuit ut hoc a te ipſo poſtu-
„ larem, in quo ut facilem te & labentem præbeas, etiam
„ atque etiam rogo. Scis meum erga te animum, cujus om-
„ ne deſiderium ad tuam gloriam illuſtrandam tendit, tantum
„ abeſt, ut metuere debeas ne in eo aliquid ambitioſe feciſſe
„ videare." *ibid. p.* 150. Felix ingenium & quinimo maturum in tam parum provecta ætate. Ceterùm hunc patronum ſuum non coluit ſine ſpe. Anno enim ſubſequente, id eſt an. 1534. cùm *Gerardo* nuntiaret acceptatum a ſe Officialatum *Monaſterienſem*, declarat eidem „ hanc ſe conditionem ſibi non con-
„ temnendam putare. Nam, *inquit*, *Corinthum*, hoc eſt *Mech-*
„ *liniam* vel *Bruxellam*, adire non cuivis homini contingit. Et
„ tu noſti quanta illic ſit advocatorum eſurientium & condi-
„ tiones venantium turba. Et eæ non proprio motu ab prin-
„ cipe ſolent præſtari. Sed alium commendat pater, alium
„ ſocer, alium ipſa fortuna vel natales ſubvehunt. Ego au-
„ tem cùm ipſe ambire neſciam, ita nec notum illic illum ha-
„ beo, qui mihi poſſit manum præbere ad aliquem benignio-
„ ris fortunæ gradum aſcendere conaturo, præter te unum.
„ Cui gratias equidem maximas ſemper agam, cùm aliis mul-
„ tis nominibus, tum eo potiſſimum, quod me tam benigne
„ ad te invites, nec domum ſolùm offeras tuam, ſed etiam
„ adjutorem ad munus aliquod obtinendum mihi te fore pol-
„ licearis." Hæc *Viglius*, qui omni induſtria fortunam ſublevandam ratus, *Gerardum* quaſi ſupplex compellat: *Colendiſſime Domine memento aliquando mei.* Ex tom. 2. p. 233. 234. Atque hæc abunde ad dignoſcendum quæ communicatio quique uſus *Viglio* fuerit cum *Gerardo Mulert*.

mentis anno 1533. vulgata, dicavit Gerardo cum Epiſtola nuncupatoria inſcripta his verbis: Clariſſimo Viro, & publici privatique Juris Conſultiſſimo Dno GERARDO MULERT, Cæſareæ Majeſtatis apud Mechliniam Conſiliario, *Viglius Zuichemus* Phryſius. S. D.

Ut agamus quod agendum eſt, illud quæritur: unde *Gerardus* ille & *Claudius Boiſot* interpellarint *Viglium* ad obeundum munus Officialatus *Trajectenſis*; & quid Archidiacono *Atrebatenſi* & Conſiliario *Mechlinienſi* cum Epiſcopi *Trajectenſis* tribunali eccleſiaſtico commune fuerit? Cauſam non dicam, quia non inveni. De *Claudio* occurrit quod fuerit Præpoſitus majoris eccleſiæ *Trajectenſis*. Et de *Gerardo*, ſi conjectare pariter liceat, res *Ultrajectinas* ei curæ fuiſſe dixero, quod in tractatibus ſuper ceſſione patriæ *Trajectenſis* in *Carolum* V. Cæſarem, plus vice ſimplici adhibitus (ſi ipſe idem ſit quem *Hortenſius* loquitur) *Georgio Egmondano*, ſecundo poſt ceſſionem epiſcopo, homini nec extero, nec peregre agenti, ſed cui in Curia *Bruxellenſi* plus ſatis negotii fuit, inprimis exſtiterit notiſſimus: & forte ab eo ſub initium regiminis in conſilium conſulta-

ſultationemque adſcitus. Quod ipſum de *Claudio* quoque arguere libet, qui & ipſe *Caroli* Cæſaris, a quo *Egmondanus* epiſcopatum acceperat, Conſiliarius eſſet. Utcumque ſe cauſa habeat quod huic ſe rei interpoſuerint, certum eſt interpoſuiſſe. Non videtur *Viglius* ſerio umquam animum ad hanc adjeciſſe conditionem: tantas *Gerardo* difficultates ac ſcrupulos objecit. Habe ejus reſponſum quod varias ac curioſas ejus vitæ circumſtantias complectitur: „ Etſi nonnihil timeam in „ eodem obeundo officio inquietas *Hollandorum* mentes leves- „ que & credulas, ac jam iſtis erroribus infectas contra quos „ nos hic (*Monaſterii Weſtphaliæ*) bellum gerimus: imo unde „ huc *Anabaptiſtica* hæreſis illata eſt: attamen te, cum mihi „ ſuades, ut oblatam hanc conditionem ſuſcipiam, animo „ omnia quæ evenire poſſunt ſiniſtra, reputaſſe non dubito. „ Male vero fugit Scyllam, qui incidit in Charybdim. Sed „ Cæſaris quam potens ſit imperium non me latet; quamquam „ id hactenus impune videntur Hollandi contempſiſſe: cùm „ quotidie ea factio quaſi cum quodam incremento renaſcatur. „ Verùm utcumque ſe res habet, ego patrone colendiſſime „ oſtenſam & paratam mihi per te conditionem, vel ideo no- „ lo recuſare, quo propius tibi degam, & in Cæſaris domi- „ nio, ac unde poſſim ſperare aliquando ad aliud me munus „ evocatum iri. Verùm quo ea mihi certior ſit conditio, & „ ut ob hæc liceat honeſtius diſcedere: non poſſum omittere „ quin te admoneam; inprimis referre ut & tempus præfi- „ niatur intra quod ad illud munus debeam accedere: item „ priusne convenire debeam Rmum. Præſulem *Trajectenſem*, „ an *Trajecto* commiſſionem officii ad me velit mittere: tum „ quibus terminis temporibusve anni ſalarium percepturus „ ſim, & unde. Hic ad quatuor jejuniorum tempora quarta „ quæque ſalarii portio ex ſigillis, emolumentis, & Camera „ mihi perſolvitur. Et quoniam Vicarii, Officialisque munus „ ſimul mihi vultis committendum curare, animadvertendum „ erit, an eccleſiæ *Trajectenſis* ſtatuta ſinant aliquem Vicaria- „ tu in ſpiritualibus fungi, qui non ſit in ſacris ordinibus con- „ ſtitutus. Nam hic debet Presbyteri gradum habere. Ego vero „ his temporibus, & priusquam aliter mihi proviſum ſit de be- „ neficiis, nolim facile ei me ordini obligare, unde non liceat „ recedere. Quamobrem id te penſare velim: ne ſi utrumque „ munus, ſuſcepero, poſtea vel ad ſacerdotium cogar, vel „ alterum deponere ſit neceſſe cum ſalarii diminutione. Hæc „ verò omnia convenit principio diligenter cavere: atque il- „ lud inprimis ne decreſcentibus (uti fit hodie) ſigilli Epiſ- „ copalis emolumentis, ſalarii inde mei conſtitutio detrimen- „ tum aliquando patiatur. Si verò quæ huc pertinent cuncta

„ a te

„ a te expediri poterunt, tum alius amovendus eſt ſcrupulus, qui „ me non minus ſolicitum habet: videlicet, ut honeſtam a Rmo „ Principe meo *Monaſterienſi* miſſionem obtineam. Etenim con„ tractus noſter habet, ut alter alteri dimidio prius anno con„ ditionem renunciet..... Quid ergo conſulis mi patrone, diſ„ cedendumne? Certe tibi decrevi parere. Attamen cupio ho„ neſtè diſcedere, & cum bona illius venia & gratia. Hoc au„ tem opus, hic labor eſt. Qua in re quàm velim, mihi ali„ quod a te monſtrari conſilium! Ego non aliud habeo nec „ ſcio an id tibi ſatis placebit, vel an id commode expediri po„ terit: ut ſcilicet Regina *Ungariæ* (*Maria Caroli V. ſoror & Guber„ natrix Belgii*) pro me dimittendo ad præſulem meum ſcribat, „ mihique ut obtemperem tamquam ſubdito diſtricte mandet. „ Scribat verò tamquam uſura opera mea certa in re. Nec „ de officialatu obeundo *Trajecti* mentionem faciat: niſi tibi „ tamen aliud videbitur. Hæc via, ſcio, difficilis erit; ſed „ tamen non aliam ego impræſentiarum video. Et allegari „ poterit, ipſi in rebus tantopere turbatis non magnum nunc „ mei uſum fore. Si quando verò ejus negotia compoſita pa„ cataque erunt, non impedituram Reginam quo minus ad „ ipſius ſervitium redeam. Nam ſi omnino avocari me ſenſe„ rit, vereor ne cum indignatione dimittat. Nuper enim „ etiam Landtgravius *Heſſiæ* ad ipſum ſcripſit ut me pateretur „ ad ſuum tranſire ſervitium, meque invitabat honeſto ſalario. „ Cupiebat vero in *Marpurgenſi* Academia facere me juris „ profeſſorem tum & judicii ſui Curialis Aſſeſſorem. Ve„ rùm Princeps penitus renuit. Mihi verò ea conditio multo „ magis diſplicuit, ob multas quas intelligere potes cauſas: „ quas hic explicare longum odioſumque foret. Proinde etiam „ atque etiam velim cogites, quidnam hic ſuadeas, quidve „ conſilii habeas: ut ſine indignatione diſcedere queam. Il„ lud etiam te latere nolim Præſulem meum mecum egiſſe, „ ut cum cæteris Conſiliariis proficiſcar ad *Wormatienſia* Co„ mitia, quæ habebuntur prima Dominica poſt Paſcha. Ei„ que conventui magnopere intereſſe cupio. Sumus autem „ hinc exituri ſub feſtum *Palmarum*. Quamobrem ſi poſſes rem „ differre in reditum meum ex *Wormatia*, eſſet tum ejus con„ ficiendæ expeditior gratiorque mihi opportunitas. Vix au„ tem redire licebit ante Dominicam *Cantate*. (*Quartam poſt* „ *Paſcha*) ſin non videtur tibi res tantam pati poſſe moram, „ parebo tuo conſilio. Sumptus verò non recuſabo, ſi modo „ tibi operæ pretium videbitur. Licebitque tibi per proprium „ nuncium tuam mentem mihi perſcribere: modo tamen „ cures ut is huc adveniat ante dictam Dominicam *Palmarum*. „ Summa ergo eorum quæ ſupra ſcripſi, hæc eſt. Conditio-

„ nem apud Rmum. D. *Georgium* Epiſcopum *Trajectenſem* liben-
„ ter me ſuſcepturum modo ſalarii competens & certa con-
„ ſtitutio fiat, mihique hinc aliquo memet modo confilioque
„ explicare liceat. Quod ſi ergo ea res illic expedita erit,
„ poteris hunc nuncium ad me remittere antequam *Worma-*
„ *tiam* abeam. Generoſum autem D. *Georgium* olim ſatis novi,
„ fuimusque una auditores *Goclenii* Latinarum literarum pro-
„ feſſoris apud *Lovanium*....“ Dulmaniæ 5. Februarii an. 1535. *Ex tomo* 2. *a pag.* 276. Landtgravius Haſſiæ de quo hic, eſt *Philippus* I. qui *Marpurgenſem* fundavit academiam anno 1526. & Proteſtantium religionem in ditiones ſuas invexit: idem ille qui a *Carolo V.* detentus in vinculis fuit Mechliniæ ſub *Viglii* cuſtodia. Neſcio unde *Suffrid. Petri decad.* 12. *in vita Viglii* hunc principem barbaro nomine compellet *Pirckonem. Adrian. Gaudan.* referens *Viglium* ab eo ad novam academiam invitatum, addit: *Quod ipſe Viglius omnino propter diverſitatem Religionis recuſabat.*

(5) DOLANA ACADEMIA] Epiſtolam qua apud eos profitendi munus detrectat, dedi ſup. ad N. XV. ſecund. loco.

(6) FIDES DATA MONASTERIENSI] Non pœnituit *Viglium* ſervatæ fidei, & Epiſcopi erga ſe benevolentiam apud omnes ſuos amicos conſtanter deprædicavit. Ad *Gerardum Mulert* ſcripſerat e *Dulmania* 26. Junii 1534.„ Cùm addixiſſem
„ Epiſcopo meo ad Cal. Maias illi me adfuturum, famulum-
„ que illuc præmiſiſſem, ac vel miſſionem vel emanſionem
„ hoc præſertim rerum ſtatu ab eo petiviſſem, ſeriò eſt ad-
„ hortatus me ut venirem, & bonam rerum pacandarum ſpem
„ fecit. Qua reſponſione accepta non auſus fui fidem da-
„ tam deſerere.“ *Ex tomo* 2. *p.* 233. Et ad eundem anno proxime ſequenti de *Monaſterienſi* præſule ſuo, quod bene ſecum ageret ita eſt teſtatus: „ Hactenus ex ſua parte omnia pacta
„ conventa ita implevit, ut nullam juſtam diſcedendi cau-
„ ſam habeam. Solvit centum aureos florenos hoc anno,
„ frumentum, boves, porcos ad æſtimationem 50. aureorum
„ florenorum. Præterea mihi duobusque famulis aulicum ve-
„ ſtiarium præbuit....“ *Dulmaniæ* 5. Februarii 1535. *Ex tomo* 2. *p.* 278. Et qui aliquando populi *Weſtphalici* ruditate offendebatur, hic fatetur ſibi probos & doctos contigiſſe collegas ac ſodales, uti ſtatim infra.

XXX. (1) DULMANIA] Nec commoda nec quieta ſatis in hoc oppido habitatio eùm viſa eſſet, juſſit Epiſcopus *Viglium* inde cum eccleſiaſtici tribunalis officiariis diſcedere: ſed his obſequi nolentibus, *Viglio* quoque intercedente, migratio impedita fuit. Ita enim ille ad *Everardum Elbium* neſcio quem Epiſcopi miniſtrum: „ Principia voluptatem, ornatiſſ. D. *Eve-*
„ *rarde*,

„ rursus, ex literis ipsius nomine a te scriptis accepi. Ad præ-
„ stitutum tempus apud *Cappenbergam* adero. De judicii loco
„ mutando quid habeamus consilii, nondum apud nos satis
„ deliberatum definitumque est. Sigillifer plane recusat, mul-
„ taque tum privata tum publica incommoda allegat, Utro-
„ que enim in loco qui nominatur in Principis literis, cùm mi-
„ litum strepitus, pestilentiæque metus, tum & hospitii &
„ ceterarum rerum penuria nos absterret. Hic utcumque in
„ hac rerum calamitate perduramus, probi tamen & docti so-
„ dalitii, & qualiquali habitationis commoditate præsentem
„ molestiam non parum mitigante. Quo nobis gravius fore
„ intelligis brumali præsertim tempore domicilium commuta-
„ re, & de calcaria (quod dici solet) in carbonariam. Hic
„ autem duo tantum adsunt procuratores, ex vulgaribus no-
„ tariis unus, item unus qui judicii acta conscribit: alii aut in-
„ tra *Monastertum* manserunt, aut fugerunt, aut alibi condi-
„ tiones quæsiverunt. Demus itaque, nos, quod æquum est,
„ Principi obtemperare: illi tamen compelli non possunt ut
„ nos sequantur, sine quibus exerceri judicium nequit. Ean-
„ dem autem querelam, quam nunc *Alenses*, *Bekumensesque*
„ proponunt, mutato jurisdictionis loco, auditurus est ab
„ *Bukholdiensibus*, *Berkensibus*, *Vredensibus* atque aliis ad *Geni-*
„ *stam* habitantibus. Certe non suaserim ut quicquam in ea
„ re ante vacantias natalitias fiat. Quod si Princeps omnino
„ jusserit, tum in tempore mutatio publicari poterit. Dul-
„ maniæ 21. Novembris 1534." *ex tom.* 2. *p.* 261.

XXXI (1) PRÆPOSITURA IN TERRITORIO GRONINGENSI] Nempe magna pars agri *Groningensis* Episcopo *Monasterienſi*, in his quæ ad sacra pertinent, paruit ante novarum sedium in Belgio erectionem: & præpositura se ab episcopo donatum diserte scribit *Viglius Hayoni Hermanno tom.* 1. *p.* 302. Quæ hæc fuerit præpositura non explicat, & fuerunt plures, ut adnotavit *Heussenius in hist. Episc. Groning. Adria-nus Gaudanus*, qui *Vigilii* de vita sua commentario sæpe sæpius superaddit, Præposituræ nomen exprimit: *in Hummersum*; sed id nomen non offendi apud *Heussenium* nec in epistola *Vigilii* ad *Commissarios Frisiæ Groningensis*, quam infra dabimus. Hæ præpositurae nihil affine habent cum præpositis hodiernis, quæ sunt primæ dignitates Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum. Nec quidquam commune habent cum præpositis quinque Ecclesiarum *Ultrajectensium*, aut aliarum per diœcesim, quæ & ipsæ veræ dignitates Ecclesiasticæ fuerunt. Quam possedit *Viglius* in agro *Groningensi*, merum fuit officium, & officium rurale, quale obtinent apud nos *Decani rurales*, qui & *Decani Christianitatis* vocantur; quorum tamen non est ubique eadem potestas aut jurisdictio, quæ

quæ ab epiſcopi arbitrio pendet. *Ubbo Emmius* rerum catholicarum haud ſatis peritus, veruſta ſcrutari neceſſe habuit, ut de his præpoſitis accurate ut facit, loqueretur: *rer. Friſ. lib.* XI. *ad an.* 1270. vocat *Decanos* a præſule Monaſterienſi primum inductos, qui auctoritate ac jure aliquo ſinguli octonis, denis, duodenis, quindenis, vicenis, nonnulli etiam tricenis parochiis præfecti erant: „ præcipue, *inquit*, cognitionem cauſſarum „ matrimonialium & ſimilium tenebant perpetuam, errataque, „ ſi quæ inciderent, corrigebant, ac pœnam irrogabant: jus „ reddebant ſtatis temporibus, aſſidentibus e ſacro ordine ſuæ „ provinciæ aliis doctrina & pietate præcipuis, interdum etiam „ antiſtitum " (*hic abbates, non autem epiſcopos deſignari autumo*) nonnullis : jus hoc ſuum *Dat Schendejucht*, judicium autem „ aut tribunal, *Die Schendſtoel* dicebant. Omnia hæc pro epiſ„ copo faciebant abſente, ejusque vices gerebant..... ad „ hæc templorum, locorum, vaſorum, redituum ſacrorum „ curam habebant, ædituosque in parochiis ſingulis ad ratio„ nes reddendas, quoties libebat, adigere poterant, ceſſantes „ in officio corripere, ac punire jus habebant: denique velut „ minores quidam erant epiſcopi." Et hæc diſciplinæ quoque hodiernæ ſatis conſentiunt, niſi quod in diverſas hæc ab epiſcopis conferantur perſonas. Noſtrates namque *Decani rurales* delegatam habent jurisdictionis voluntariæ partem aliquam, contentioſæ nullam; quæ tota per univerſam dioceſim *Officiali* tribuitur, judicis ordinarii, qui eſt epiſcopus, vicem gerenti. Porro ſubdit *Emmius*: „ Cœperunt progreſſu tem„ poris pro *Decanis Præpoſiti* audire: poſtremo eò jam res re„ ciderat, ut ſacerdotii hoc genus politico honori quàm ſa„ cerdotio ſimilius videretur, ideoque a nobilibus familiis am„ biebatur, & a parentibus paſſim jam ad liberos & nepotes „ deferebatur, ac legitimo in conjugio viventes (quod pati „ verùm ſacerdotium in regno pontificis Romani non poteſt) „ haud reſpuebat." Quàm hic non aberret *Emmius*, ex *Viglio* intelligimus, qui loco ſtatim citato hæc habet: *Donavit præpoſituram in Friſia, quam etiam mihi forte marito facto retinere, uti non ignoras, liceat.* Non debuit *Emmius* has præpoſituras *Sacerdotii genus* appellare, cùm ſint mera officia. Et quinimo *officiales* noſtri, quorum tanta eſt auctoritas ac jurisdictio in contentioſis, quanta epiſcopi, ad ejus arbitrium & nutum ab officio deſtituuntur: ideoque *Officialem*, ubi Canonici & Clerici deſunt, aut minus apti ſunt judicio epiſcopi, hominem eſſe conjugatum, nihil impedit etiam in Belgio Catholico, quamvis id raro contingat. Disquiſitionem ſuam de *præpoſitis* ita concludit *Emmius*: „ Unde factum tempore ſequenti, „ ut *Decanis* velut degenerantibus magis ac magis ab inſtituto

„ pri-

„ primo, ac ſacrorum curam pro deſerta habentibus, Epi-
„ ſcoporum exemplo, Epiſcopisque, uti ſolent, in Friſiam
„ non ventitantibus, *Officialium & Commiſſariorum* nova nomi-
„ na & nova miniſteria in eorum munus fere ſucceſſerint." Hæc ille, qui videri quoque poteſt in *Syntagm. de agro Friſiæ deq. urbe Groning. p.* 32. *edit. Gron. an.* 1646. Hic non omnino conſentio *Ubboni*, qui *Commiſſarios* eosdem vult eſſe quos *Præpoſitos*, cum illos horum fuiſſe delegatos ex ſubjicienda ſtatim *Viglii* epiſtola apertum erit. Porro hi *Præpoſiti* non reſidebant in locis ſuæ jurisdictionis, quam per Delegatos ſeu Commiſſarios curabant interim, donec ſubjecta ſibi templa, res & perſonas ſtatis temporibus vel pro re nata viſitarent per ſe. Habuit Weſtfriſia ſeu Hollandia Borealis ejusmodi *Præpoſitum* a Capitulo Majoris Eccleſiæ Trajectenſis conſtitui ſolitum, qui qualis fuerit docet *Heuſſenius* ex *libro Cameræ*, ut opinor, *in hiſt. Epiſc. Harlem. p.* 133. „ Jurisdictio omnimodo Epiſcopa-
„ lis, & ea quæ ſunt jurisdictionis, pertinent ad Capitulum
„ noſtrum per terram Weſtfriſiæ Trajectenſis dioceſis, cum
„ ejus jurisdictionis exercitium Capitulum noſtrum committe-
„ re conſuevit uni ex Canonicis noſtris Præbendatis ad vitam
„ vel ad tempus, prout ſibi placuerit, & talis officialis Capi-
„ tuli, *Præpoſitus Weſtfriſiæ* appellatur. Et iſtud non eſt offi-
„ cium perpetuum, neque beneficium, neque dignitas in Ec-
„ cleſia noſtra, & ex emolumentis ipſius Jurisdictionis pen-
„ ſionem Capitulo ſolvere conſuevit prout in Commiſſione ei
„ injunctum fuerit." Refert dein *Heuſſenius* diſputatum fuiſſe an jus conſtituendi *Præpoſitum Weſtfriſiæ* ad Capitulum Majoris pertineret, an verò ad principem, quæ nihil ad nos: dum hoc egimus, ut de natura & proprietate hujus generis *præpoſitorum* appareret, & ex hoc exemplo ſententia noſtra conſtaret. En tibi epiſtolam *Viglii* encyclicam, quam jure & auctoritate ſua ſcripſit ad *Commiſſarios Friſiæ Groningenſis*: unde dubium fit, an hæc loca uni *Præpoſito* parerent, vel, ſi pluribus, an ſcripſerit non tamquam *Præpoſitus*, ſed tamquam Monaſterienſis epiſcopi per univerſam dioceſim *Officialis*: quod ultimum veriſimile videtur inde, quod epiſtolam ſigillo *Officialatus* conſignaverit. Sed ne ita concludam obſtat, quod hos viros vocet *Commiſſarios ſuos*, eorumque commiſſionem uſque *ad ſuum adventum* declaret eſſe prorogatam: quæ a Præpoſito magis quàm ab Officiali dicta dicendaque videntur. Rem in medio relinquo. En verba: *Commiſſariis Friſiæ Groningenſis in Baſloe, in Oldenhove, in Leens, in Uſquart, in Lopperſum, in Fermeſſum.* „ Venerabilis Domine Commiſſarie, cùm noviſſi-
„ me ſcriberem, non arbitrabar opus fore, ut ignotus idem
„ rurſus facere deberem. Confidebamque in Domino ut hac

„ *Anabaptiſtarum* ſedata tempeſtate, Eccleſiæ noſtræ tranquil-
„ litas reſtitueretur: mihique ad præſens Paſcha *muneris mei*
„ *officique* exequendi gratia ad vos venire, & pro mea virili
„ Eccleſiaſticam jurisdictionem libertatemque tueri & promo-
„ vere liceret. Sed angelus tenebrarum ſemel emiſſus non an-
„ tea conquieſcere velle videtur, quam & electos in ſuam po-
„ teſtatem, ac variarum propagatione opinionum vel in du-
„ bitationem vel in errorem pias etiam mentes ſeduxerit.
„ Quem in veſtris nuper Eccleſiis venena etiam ſua diſcor-
„ diarumque & errorum ſemina ſpargere voluiſſe, nec adhuc
„ omnino ceſſare fama percepimus." (*V. Ubbonem Emmium ad an.* 1535.) „ Quod quidem nobis auditu dici non poteſt
„ quàm acerbum fuerit. Sed in veſtra Magiſtratuumque veſtro-
„ rum civilium vigilantia non modicam ſpem ponimus: vos
„ ſcilicet unà proviſuros, ne cum religione publicus & poli-
„ ticus ſimul ſtatus ſubvertatur. Nam utrumque *Anabaptiſta-*
„ *rum* ſecta variis artibus jam dudum molitur. Quod quidem
„ Principes pene omnes Germaniæ tandem conſiderantes,
„ ſumma concordia conſilia auxiliaque ſua ad hanc ſectam ex-
„ tirpandam conferunt. Eaque de cauſa indicta ſunt apud
„ *Wormatiam* omnium Germaniæ Statuum Comitia ad proxi-
„ mam Dominicam poſt Paſcha. Quo cum Reuerendiſſimus
„ & Illuſtriſſimus Præſul noſter *Monaſterienſis* me una cum
„ aliis legatis certis de cauſis proficiſci juſſerit: cogor per li-
„ teras rurſus vos rogare, ut neceſſariam meam abſentiam in
„ bonam partem accipiatis, jurisdictionisque vobis commiſſæ
„ munus ſolita vigilantia adminiſtrare pergatis: nec vos te-
„ deat onus hoc, quod non ignoro hac tempeſtate vobis mo-
„ leſtiſſimum eſſe, tantillum adhuc temporis ſuſtinere. Ad
„ proximam enim æſtatem Reuerendiſſimus Dominus noſter
„ omnino me ad vos mittere decrevit. Interim verò ſpera-
„ mus fœlicem iſtius diuturnæ obſidionis exitum nos viſuros.
„ Poſt quæ ea quæ illic ſive in reſtabilienda jurisdictione, ſi-
„ ve in reformanda collabente jam paſſim Canonica Eccle-
„ ſiaſticaque diſciplina, publicæ pacis & concordis religionis
„ fieri intererunt, majore (Deo volente) & authoritate &
„ fructu ordinari ſtatuique poterunt. *Hac igitur epiſtola eximie*
„ *Domine Commiſſarie, noveris tuam commiſſionem tibi uſque ad*
„ *noſtrum adventum eſſe prorogatam.* Quam ut ita exequi non
„ graveris, omnique ſollicitudine *mandatum officium* geras &
„ adminiſtres, petimus & rogamus. Chriſtus opt. max. te
„ diu incolumem tueatur. Datum *Dulmanie* an. 1535. Sabba-
„ tho ante Dominicam palmarum. In eandem ſententiam
„ *& aliis noſtris commiſſariis* ſcripſimus: & in fidem præmiſſo-
„ rum ſigillo officialatus præſentes literas conſignavimus no-

„ ſtrum-

„ ſtrumque nomen propria manu ſubſcripſimus. Chriſma mo-
„ re conſueto ad vos deferri Sigillifero curiæ noſtræ *Monaſte-*
„ *rienſis* Reverendiſſimus noſter injunxit: " *Ex tom. 2. pag.* 291. Vſa.

(2) DECANATUS TRANS AQUAS] Die 5 Februarii 1535. ſcribebat *Viglius Gerardo Mulert*, epiſcopum ſibi *nuper contuliſſe Decanatum trans aquas Monaſt. modici quidem proventus, ſed tamen unde illius in ſe benignitatem ſatis conſpicere licuit. tom.* 2. *p.* 278. Anno vix elapſo ejus reſignandi poteſtatem fecit, ut lego *ibid. p.* 363. *Vſa.* „ De Decanatu *trans aquas* ſcripſi
„ ad D. Scholaſticum *Smiſinck*, eique ejus plenam poteſtatem
„ feci retinendi aut cedendi. Cupio tamen ut per *Rutgerum*
„ omnem ejus ſtatum mihi renuncietis, quid ſcilicet acceptum
„ expenſumque ſit: ut damnove an emolumento mihi Deca-
„ natus hactenus fuerit intelligam..... Datum Spiræ 17 Apri-
„ lis 1536." Poſt triennium eumdem adhuc obtinere viſus eſt, cùm ad *Rutgerum Smiſinck* jam Decanum *Monaſterienſem* ſcripſit in hæc verba: „ De Decanatus mei cura multum me
„ tibi debere fateor. Emolumentum ex eo nunquam ullum
„ ambivi, ſed cum ſemper ad *Weſtphaliam* ejusque metropo-
„ lim *Monaſterium* animum habuerim: titulum ipſum ſine com-
„ modo haud illubenter hactenus ſuſtinui, eo tamen animo,
„ ſicut antea me ad te ſcripſiſſe meminiſti, ut ſemper ad tuum
„ arbitrium, & Eccleſiæ utilitatem cedere paratus fuerim.
„ Quapropter nunc per ipſam Abbatiſſam de eo admonitus,
„ tuaque etiam ad id accedente ſententia, hanc ſarcinam vo-
„ lens lubensque depono. Itaque inſtrumentum conſtitutio-
„ nis ad reſignandum unà mitto, ac tuo arbitrio rem om-
„ nem committo, Deum opt. Max. precans, ut quodcumque
„ per vos ordinatum fuerit, Eccleſiæ ſuæ ſalutare eſſe faciat.
„ Vale. Datum Ingolſtadii 16. Januarii 1539." *Ex tomo* 3. *p.* 117. *Vſa.* Quid ſibi velit Abbatiſſæ de Decanatu commonitio palpando potius quam rem tangendo indicarem, niſi me docuiſſet *P. Jacobus Hoſius* ſocietatis Jeſu, qui ultima Martii anni 1738. ad me e Monaſterio Weſtphaliæ perſcripſit quæ ſequuntur: *Trans aquas fuit olim cœtus religioſarum nobilium, quæ cum liberius vivere incœpiſſent, per* Henricum de Schwartzenburg XLV. *eccleſiæ Monaſterienſis epiſcopum anno* 1483. *reformantur, ac regulam S. Benedicti profiteri compelluntur. Huic monaſterio parœcia accolarum circumquaque ædificantium acceſſit, paulatimque ad numerum ac magnitudinem, quæ nunc cernitur, accrevit, eſque adhuc monaſterium nobilium feminarum ordinis S. Benedicti. Eccleſia illi annexa eſt parochialis non collegiata, cujus archidiaconiſſa eſt cœnobii abbatiſſa. Decanum habet cum duobus Sacellanis, & eſt decanus iſtius parochiæ paſtor habitualis. Anno* 1532. *decanus illius eccle-*

ſiæ fuit Joannes Tormollen, *cui ſucceſſerit* Viglius Zuichemus. *Abbatiſſa erat* Ida à Merveld, *quæ, deficientibus aliis religioſis feminis ad Anabaptiſtas, ſola cum duabus monialibus* Ludgera a Linteloo & Sophia de Langen *perſtitit, & veſtem ancillæ induta, litteris archivii ſui multtrali impoſitis ac urbe deportatis, voluntarium elegit exilium. Poſt compoſitos furores Anabaptiſticos ad cœnobium reverſa, 7 Maii* 1535. *vivere deſiit. In locum ejus electa eſt Abbatiſſa* Ermengardis a Schencking, *qua multis annis ſuperſtite, reſignatio* Zuichemi *contigerit.* Rutgerus à Schmiſing, *ad quem inſtrumentum conſtitutionis ad reſignandum miſſum dicitur, fuit decanus tum temporis eccleſiæ Cathedralis Monaſterienſis, qui ex officio ſimul eſt eccleſiæ Tranſaquenſis Commiſſarius. Prius fuit iſtius Cathedralis Eccleſiæ Scholaſticus idem* Rutgerus a Schmiſing. *Hæc omnia ex Manuſcriptis* Kerſenbrockii, *quæ exſtant in bibliotheca Collegii noſtri, collegi &c.*

(3) LICENTIAM OBTINUIT] „ quam ſane ægre con„ ceſſit, *inquit Viglius*, multiſque pollicitationibus retinere me „ tentavit, ſed ego non putavi tam honorificam conditionem „ (*Aſſeſſoratûs Spirenſis*) negligendam. In hiſce autem tumul„ tibus vixi ſuavius, quàm tu credas, nam & ſalarium non „ mediocre Princeps prompte perſolvit, nec levi rerum ex„ perientia auctus ſum." *Ex tom. 2. p.* 301. *Vſa.* Porro cum mutua ſatisfactione reliquit *Monaſterienſes*, de quibus ita teſtatur p. 297. *ſic me dimittunt, tanquam poſt unum alterumve annum ad ſe rediturum.* Et ſibi plauſit apud amicos de *Monaſterienſi* conditione atque inprimis apud *Eraſmum:* „ Quamquam illic mul„ tum moleſtiæ diſcriminiſque ſubii, ut accidere ſolet iis qui „ caſtrâ ſequuntur, olim tamen iſta meminiſſe juvabit. Quum „ vero rudis publicorumque negotiorum inexpertus e ſcholis „ primum prodiiſſem, haud minimam illic occaſionem nactus „ ſum, ut in iis quæ noſtræ profeſſionis farinæque hominibus „ incumbunt, periculum aliquod facerem. Crebris enim le„ gationibus, variiſque & arduis Præſulis mei negotiis exer„ citatus, & linguæ Germanicæ, & civilium publicarumque „ rerum uſum peritiamque aliquam mihi comparavi". *tom. 2. p.* 321. Apud *Franciſcum Craneveldium* extollit munus Officialatus his verbis: „ Jus dico, non in eccleſiaſticis tantum cauſis, „ ſed multo magis civilibus: nam juriſdictio eſt ampliſſima, & „ contumaces, contemptoreſque eccleſiaſticæ pœnæ per mul„ ctas pecuniarias utcumque vindico. Et cæteris non profi„ cientibus auxiliis, ſupereſt nobis brachii ſecularis invocatio, „ quam nonnihil adhuc formidant, quod cæteri judices & of„ ficiarii prompti ſint ut nobis adverſus contumaces auxilium „ ferant". *Ibid. pag.* 252.

XXXII. (1.) HERMANNUS ARCHIEP. COLONIEN.] Comes

Comes *a Weda* electus an. 1515. initio optime se gessit, ac Divitis, Pacifici, Piique cognomina meruit; inauguratus an. 1518. *Carolum V.* Aquisgrani an. 1520. & *Ferdinandum I.* Regem Romanorum coronavit an. 1531. Vir natura bonus & liberalis, qui Dioceſim ſumma prudentia & tranquillitate gubernavit, exactionibus neminem umquam vexavit, Venationum tamen, quàm eccleſiaſticarum cæremoniarum ſtudioſior fuit. In literarum ſtudiis vitio præceptorum non ita exercitatus, per aulicos ac familiares ſuos doctrinæ Lutheranæ ſectàriis hæreſis veneno infectus, ſpecie clerum reformandi & abuſus in religionis exercitium invectos reformandi, *Martino Bucero* apud Bonnam concionandi poteſtatem fecit, ejuſque librum *ſuper reformatione doctrinæ adminiſtrationis divinorum ſacramentorum* adoptavit, & mutata quantum potuit religione, ad *Lutheranorum* partes deflexit, opponentibus ſe Univerſitate, Senatu ac Capitulo Metropolitano. Dein a *Paulo III.* excommunicatus ac depoſitus, *Carolo V.* Imp. per legatos executionem urgente, anno 1546. ultro Archiepiſcopatu ceſſit, & exinde *Biverni* dioceſis ſuæ oppidulo vixit & mortuus eſt anno 1552. ætat. anno 80. *Vide Hermanni Stangefol Annales Circuli Weſtph. lib. 4. p. 32. 45. Joan. Gualterii Chronicon Chronicor. p. 1351. Hiſt. Epiſcop. Leovard. p. 15. & 16. Gall. Chriſt. tom. 3. col. 708. Spondan. ad an. 1543. n. 5. 1545. n. 7. 1546. n. 16. 1547. n. 12. Surium, alioſque.*

(2) IDEM CONSTITUERAT DE EPISC. MONASTERIENSI] *Franciſco a Waldeck*, eodem qui *Monaſterium* ab Anabaptiſtis occupatum expugnavit, & apud quem *Viglius* Officialis munus exercuit. An. 1542. libertatem religionis ſuis conceſſit in Comitiis ad hoc ſpecialiter congregatis, quam Status & nobilitas civitateſque acceptare recuſarunt, in orthodoxa religione perſtare volentes. Objeceruntque *Franciſco*, fruſtra eum tam ſevere in *Anabaptiſtas* animadvertiſſe, qui jam antiquam fidem abolere conaretur. A Paulo III. citatus fuit quod religionem catholicam, Apoſtolicas traditiones, ritus & ceremonias Eccleſiæ conſuetas in Eccleſiis & dioceſibus ſibi commiſſis mutaſſet, ſchiſmaticas ſubſtituiſſet & in hæreſim prolapſus eſſet. Verùm ſententia ſubſecuta non eſt, Capitulo apud Papam intercedente, & epiſcopi zelum extollente, qui laboribus, vigiliis, & impenſis *Anabaptiſtarum* colluviem diſſiparat, hæreſimque e finibus ſuis expulerat. Ad eam rem probandam tranſmiſit Capitulum ad Papam *Joannis Bolandi* & *Hermanni a Kerſenbroich* ſcripta, bellum contra *Anabaptiſtas* a *Franciſco* ſuſceptum, & feliciter confectum continentia: inquit *Herm. Stangefol in Annal. Circuli Weſtph. lib. 4. p. 50.*

XXXIII. (1) IN COLLEGIUM ASSESSORUM AD-

MISSUS] Annum & menſem adventus ſui *Spiram* adnotavit *Viglius* in Vita ſua: diem in epiſtolis; nempe, vigeſimum quintum. Totum hoc beneficium debebat *Matthiæ Heldt* Pro-Cancellario Cæſaris *Caroli V. tom.* 2. *p.* 306." De quo in principio exultabundus ſcripſit ad *Laurentium de Griboval* conſiliarium in magno Senatu *Mechliniæ* ſedente: „ Ego varia Principis mei „ fortuna antea jactatus, quæ tamen ipſa lætum tandem exi„ tum conſecuta eſt, huc me quaſi in tutum tranquillumque „ quendam portum recepi. Ac ea conditio ita mihi adhuc „ placet, ut non aliud deſiderem, quàm ut ea mihi perpetuò „ uti liceat. Eſt nobiliſſimum ſelectiſſimumque Collegium con„ ſtans ex Comitibus, nobilibus & Doctoribus. . . . . Et ſa„ larium annuum eſt ſupra 700. veſtrates aureos Carolinos. „ Talem conditionem quando tandem apud vos impetrare „ potuiſſem? Itaque vides me non omnino erraſſe qui ad Ger„ maniam ſuperiorem oculum ſemper flexerim. Bene vale. „ Spiræ 21. Auguſti 1535." *Ex tom.* 2. *p.* 314. *Vſa.* Et ad *Auſonium Hoxvirium* eadem animi lætitia ſcribit: „ Tandem „ redii in qualemqualem gratiam cum Muſis & libris, litera„ rioque otio jucundiſſime rurſus frui cœpi. Etſi enim nos „ hic quotidianis juris cognoſcendi occupationibus diſtringi„ mur, cùm tamen illæ fere in lectione, juriſque controverſi „ diſceptatione conſiſtant, nullum negotium faceſſere, ſed „ evolvendis potius libris, & priſtino ſtudio excolendo, non „ parvam neque ingratam occaſionem mihi præbere, viden„ tur. Quo fit ut me minus pœniteat cum hac conditione „ eam commutaſſe, qua apud Præſulem *Monaſterienſem* antea „ fungebar. Quamquam enim illius erga me favor magna pol„ licebatur: attamen præter hujus muneris dignitatem, ſala„ riumque neutiquam vulgare, non extremo loco apud me „ ponitur recuperata priſtinorum ſtudiorum quies, & quoti„ diana magnarum cauſarum experientia. Interea vero hic quaſi „ in umbilico ſive ſpecula quadam Germaniæ totius habita„ mus: ut quidquid ubique fiat primi ſciamus: & quidquid „ paſſim librorum edatur, primi legamus. . . . . Vale. Spiræ „ 8. Septemb. 1535." *Ibid p.* 318. *Vſa.* Demum tribunal Cameræ Spirenſis extollit: *quod unum*, inquit, *non modo in Europa, ſive cauſarum gravitatem, ſive partium dignitatem, ſive juriſdictionis amplitudinem ſpectes, multo maximum: ſed ad juris quoque communis formam ex omni parte diligentiſſime compoſitum eſt.* . . . 7 Cal. Novemb. *1536. Ex tomo* 2. *p.* 387.

XXXIV. (1) VIVENS IBI SUAVISSIME] nempe *Spiræ*. Qua de re ita *Viglius* ad *Eraſmum* pridie Paſchæ an. 1536. „ Ego Spiræ perquam commode vivo, niſi quod forenſes actio„ nes plus ſatis mihi negotii faceſſunt, & priſtinis ſtudiis ex„ colendis

„ colendis minimum temporis concedunt. Penſant tamen illæ „ ſatis magno honorario præſentes labores, ac viaticum ad „ futuram ætatem ſubminiſtrant, quo olim mihi libere ac pro„ lixe intermiſſa ſtudia repetere liceat. Hoc autem interea „ ſimul curo ut Bibliothecam optimis ſelectiſſimiſque libris in„ ſtruam ". *Ibid. p.* 360.

XXXV. (1) PROTESTANTIUM INJURIIS INQUIETARENTUR] *Vide Achillis Pirminii Gaſſari annales Augſtburgenſes in Rer. Germ. ſcript. Burchardi Menkenii tom.* 1. *col.* 1801. Quàm exultavit *Viglius* de adepta conditione *Spirenſi*, tam, elapſo vix biennio, feſtinavit illam deſerere; quòd Proteſtantes, jactis mutatæ religionis fundamentis, illud agnoſcere recuſarent, & Cæſar multis moleſtiis magniſque impenſis implicatus, ſalarium Aſſeſſoribus procurare non valeret. *Anſelmo Eporino* amico, ſibi ea de conditione gratulanti, cum quodam ſtomacho reſcribit *Viglius*: „ De fortuna nondum eſt cur „ mihi magnopere gratulere. Nam hoc Aſſeſſorium munus ad „ quod nuper adſcitus ſum, magis mehercle negotioſum eſt quam „ lucroſum." *tomo* 2. *p.* 404. Apud varios conquerebatur de religionis diſſidiis judicii auctoritatem impedientibus. *Hadriano Mario* ſcribit p. 357. „ Cum ſuperioris Germaniæ ingeniis ſatis mihi „ convenire poſſet, ſi iſta aliquando de religione diſſidia ponerentur". Et *Gerardo Mulert pag. prox. ſeq.* „ Ego hic valeo vivoque „ ſatis commode, & jam prope moleſtiis quas novæ & inaſſuetæ „ actiones adferebant, defunctus ſum, nec de alia conditione „ vel cogitare vellem, ſi modo hæc functio ſtabilis perpetuaque „ foret". Pridie Cal. Novemb. 1536. ad patronum ſuum *Matthiam Held* totus querelus in hæc verba prorupit: „ Noſtræ „ res . . . . . quemadmodum ex omnibus Collegii noſtri literis „ percipies, in eo ſunt ſtatu, ut niſi tuo patrocinio ſuſtineantur, longius ſtare vix queant. . . . . De ſalario judicii noſtri apud Regiam Majeſtatem (*Ferdinandum*) fruſtra egimus. „ Et niſi Regia M. huic rei clementius provideat, eam video „ Judicis, (*Joannis Ducis Bavariæ*) & Collegarum eſſe deliberationem, ut iſta nobis provincia deſerenda ſit. Cùm te „ autem ego, propitio Deo, fortunæ meæ authorem patronumque nactus ſim, hoc te obteſtor, ne tuo me favore conſilioque deſtituas. Fuêre mihi interea dum hic ago oblatæ „ conditiones quædam, ſi hoc judicium diſſolveretur, non „ contemnendæ: ſive in Academia aliqua juris profeſſionem „ ſuſcipere, ſive Principi operam meam impendere forte vellem". *Ibid. a p.* 387. *Vſa. Georgio Hermanno* alteri patrono ſuo die 29. Julii 1537. non diſſimiles querelus miſit: „ De „ præteriti temporis ſalariis neſcio quæ nobis texantur ambages. Doctor *Matthias* ſcripſit, atque etiam Cæſarea M. ſex „ men-

„ menſium ſtipendium expeditum eſſe. Eam pecuniam nobis „ numeraturum Comitem *ab Ortenburg*. Sed ille hactenus ne„ que dedit, neque ſcripſit quidquam. In ſumma ſalarium „ magnis laboribus promeritum, ſi quod ſolvitur, multis nobis „ precibus emendicandum eſt". *Ex tom.* 3. *p.* 41. Cum è *Spira* diſceſſit *Viglius*, ei circiter quingenti floreni Rhenenſes debebantur. *Ibid. p.* 74. Religionis interea diſſidium magnam huic muneri recte adminiſtrando difficultatem attuliſſe, & in tempore quo *Spiræ* degebat, & poſt illud, ſæpe doluit: & tandem eum tædere cœpit. „ Germania noſtra, *inquit*, veteribus „ erroribus quotidie altius immergitur. Multorumque animi, „ quos hactenus Concilii ſpes integros ſuſtinuit, impatientia „ moræ labaſcunt, ac interea paſſim cum ſacris prophana va„ ſtis quibuſdam fluctibus miſcentur, Religioniſque diſſidium, „ publicum imperium valde perturbat. Sic fit ut Germania, „ quæ litteris ac religione ad mediocrem humanitatem exculta „ fuerat, in priſtinam relabatur barbariem". *Ex tom.* 3. *p.* 65. Dein aperte teſtatus eſt apud *Hectorem Hoxvirium*, qui fuit *Ultrajectini* Senatus præſes clariſſimus, quod, „ ſupremum „ Germaniæ judicium graviter periclitaretur. Nam nec illud, „ *inquit*, ferre amplius Proteſtantes poſſunt, juſtitiam ſimul „ & omne imperium cum Religione excutere cupientes". *Ibid. p.* 285. *Vſa.* Hac de re vide Epiſt. inter ſelectas ad *Georgium Hermannum* datam 14. Maii 1537. Creſcentibus tumultibus religionis, judicium Cameræ Imperialis ceſſavit totum, donec anno 1548. a Cæſare inſtauratum fuit, delectis a ſe ex *Viglii* ſententia Judice novo, noviſque Aſſeſſoribus, cum novis pariter ordinationibus, quibus Cæſar Ordineſque Imperii auctoritatem pragmaticæ Sanctionis impertiverunt: cujus forte rei alibi naſcetur occaſio dicendi; ex epiſtolis *Viglii tom.* 4. *a p.* 495.

(2) DUX WILHELMUS BAVARIÆ SOLLICITAVIT UT &c.] Conſilium ſuum de mutanda conditione *Spirenſi Georgio Hermanno* primùm expoſuit: „ Bavarica conditio hactenus „ me ſuſpenſum habuit, neque enim lubenter eam occaſionem „ amitto, & quo minus in præſenti conditione Aſſeſſoratûs, „ animum confirmare valeam, multa impediunt. Id tibi ali„ quando coram expoſui, haud conſtituiſſe me in ea condi„ tione conſeneſcere, ſed tantiſper dumtaxat ea uti, quoad „ uſum forenſis praxis & linguam Germanicam exactius didi„ cero. Neutrum vero adhuc ſum conſecutus, ſed tamen „ utriuſque mihi non mediocrem fructum hic percepiſſe vi„ deor. Ab iſto vero loco maxime velim ad aliquam condi„ tionem me vocari in inferioris Germaniæ judicio, præſer„ tim apud *Mechliniam*. Sed in hac ætate (*annorum triginta*) „ vix eſt quod ſperem voti me compotem fieri poſſe. Etſi „ enim

„ enim mihi illic non deſint amici, & *Fuggerorum* favor non „ leviter ſuffragari mihi queat: ita tamen multa video impe„ dimenta, ut eam ſpem meam in aliud tempus cogar ſuſpen„ dere. Poſt eam conditionem maxime placet vita & pro„ feſſio ſcholaſtica. Cum vero offeratur conditio & *ſalarium* „ *majus quàm quiſquam umquam Germanus in Germanica Academia* „ *acceperit*: non leviter commoveor. Scio me multos offenſu„ rum quod hanc conditionem deſeram; ſed diſſoluto hoc ju„ dicio, quod nunc offertur tunc ambiendum eſſet. Status „ Calendis Auguſti *Wormatiam* adeſſe juſſi ſunt. Ego tamen „ nihil conſenſuros eſſe puto. Quapropter decrevi aliquas „ conditiones Duci Bavariæ proponere, ſub quibus oblatum „ munus ſuſcipiam. Illis ſi conſenſerint *Ingolſtadium* me con„ feram: ſin non conſenſerint, meliorem fortunam hic expe„ ctare pergam". *Ex tom.* 3. *p.* 44. Porro conſenſiſſe videtur Dux, ita enim poſt trimeſtre elapſum e *Spira* ſcribit ad *Gerardum Mulert*: „ Illmus. Dux Bavariæ *Wilhelmus* ſtipendio „ trecentorum quinquaginta flor. Rhen. in Academiam *Ingol„ ſtadienſem* me adſcivit, addiditque dignitatem Conſiliarii, & „ præterea annuum quoque honorarium pollicitus eſt. Rebus „ vero in Germania paſſim turbatis, & hoc vacillante judicio, „ Cæſareque difficillimis bellis variiſque impendiis gravato „ ſolutionemque morante, non potui magis tranquillum locum „ & quaſi ſtudiorum meorum commodiorem eligere portum. „ Etenim Bavaria in religione nihil novavit, & ita domeſti„ cis opibus viribuſque is Princeps munitus eſt, ut ab aliorum „ inſanis tumultibus nihil ei metuendum ſit. Cupiebam ea in „ re tuo uti conſilio, ſed res deliberationis moram non fuit „ paſſa. Obſtrinxi autem me ad triennium . . . *Spiræ* 23. No„ vemb. 1537." *Ex tom.* 3. *p.* 56. & 57.

(3) AMICIS NON CONSULTUM VIDEBATUR] *Hieronymo Frobenio* ſcribebat: *Multi mei amantes factum hoc meum mirantur.* tom. 3. p. 69. Et ad *Bernardum Nigrum*: „ Amicorum „ gravem incurri repræhenſionem, quod (ut illi inquiunt) „ *ex Conſule factus ſim Rhetor.* Tu cum paucis meo gratularis „ inſtituto &c. *ibid. p.* 70. *Vſa.* Expleto biennio ſæpe faſſus eſt amicos illos ſuos non abs re luſiſſe cùm ita judicarent, & ad *Joannem Pfeilum* Medicum prius *Florentinum*, dein *Dreſdæ* in patria Electoris *Mauritii* Archiatrum, ita ſcribit: „ Non parva „ fœlicitatis pars eſt viro erudito patria diſciplinarum amans: „ hinc fit ut ego apud rudes & amuſos *Phryſios* natus, quo „ Philologiam, cui me ſemel dedidi devovique, paulo com„ modius queam excolere, peregre conditiones quærere de„ buerim. Itaque poſt forenſes moleſtias *Ingolſtadium* tanquam „ in quemdam quietis literarumque portum profectus, & (ut

„ mecum ipſe jocer) *de Conſule Rhetor factus ſim. . . . . Ingol-*
„ *ſtadii* 17. Aprilis 1539." *Ibid. p.* 129. Verùm hunc *Viglii* errorem ſive rem bene geſtam omnium ægerrime tulit Vice-Cancellarius *Matthias Held*, apud quem ſe purgare neceſſe habuit; qua de re ita ad eum ſcribit pridie *S. Thomæ* Apoſtoli 1537. „ Non „ dubitabam Magnifice Clariſſimeque Vice-Cancellarie Domi-„ ne obſervandiſſime, quin iſtud meum de ſuſcepta docendi „ functione conſilium plerique mei amantes non ſatis proba-„ rent. Sed tamen omnium maxime tuam objurgationem „ metui. Ea vero ſolicitudine noviſſimis literis tuis levatus, „ in iſtam me Academiam multo alacrius contuli. Conditio-„ niſque hujuſce opportunitate priſtinorum ſtudiorum jactu-„ ram, quam impenſa ſuperioribus annis prava ac Germanicæ „ linguæ opera attulit, paulatim reſarcire conor. Diſcendi „ enim cupiditas huc me potiſſimum allexit, cui, dum ætas „ labori ferendo ſuppetit, indulgendum duxi. Nam uti in „ ſcholis pleraque ob rerum inexperientiam non ſatis percipiun-„ tur, forenſisque uſus lumine indigent, ſic rurſus inarеſcere mihi „ videbantur quæ antea didiceram, niſi aliqua rurſus pro-„ fitendi exercitatione irrigarem. Gaudeo vero alium in meum „ locum eſſe ſuffectum; qui ei ut ſcribis functioni queat ſatis-„ facere. Horum enim temporum difficultas maxime idoneos „ viros requirit, per quorum prudentiam, juſtitiæ & legum „ ſuprema poteſtas, multorum odiis calumniisque impetita ſuum „ tenere gradum queat." *Ex tom.* 3. *p.* 59. Hinc intellectu difficile fit quod poſtea ſcripſit *Viglius* nempe 25. Feb. 1538. „ Ex Camera cum ea omnium gratia diſceſſi, ut ſi hujus me „ aliquando conditionis tædium cœperit, *locum illic quando li-*„ *bet haud difficulter recuperare queam.*" *Ibid. p.* 73. Locum ab alio occupatum, & Cæſareo diplomate collatum reſumere potuiſſet dum libuiſſet?

(4) VENIT AUTEM INGOLSTADIUM] Succedens *Matthiæ Albero* tunc Cancellario *Saltzburgenſi ibid. p.* 68. Unde porro ſalarium ſolveretur, adnotavit in Ep. ad *Franciſcum Rupilium*: „ Ex ærario Gymnaſii dantur floreni Rhenenſes trecen-„ ti. Addit Dux honorarium cum titulo Conſiliarii. Et ali-„ quid accedet ex communibus Academiæ emolumentis. Tum „ ſi advocationi conſultationique vacare velim, aut per pro-„ fitendi munus licebit, non parum opportuna ad id hæc Aca-demia eſſe videtur." Hic habes ex Conſule Rhetorem. Sub initium jucunde vixit *Ingolſtadii*: idem ei contigerat *Spiræ*. Sed & illam Academiam non ſine querela deſeret, uti infra patebit. Scribebat *Everardo Elio* illi *Monaſterienſis* Epiſcopi miniſtro, „ emolumenta ibi longe uberiora *certioraque* eſſe quàm in Impe-„ riali judicio." *tom.* 3, *p.* 115. Sed id ipſum retractatum videbimus.

(5) Quos...

(5) QUOS... EDI VETUIT] „ Comment. in tit. Digeſt. „ *De rebus creditis*; & ad tit. C. *de Edicto D. Adriani Tollendo*, „ quem Ingolſtadii prælegerat, excudit a morte *Viglii* Colo„ niæ Gymnicus. 1585. 8." Val. Andreas in bibliot. Belg.

XXXVI. (1) MATREM ANNO 1540. AMISIT] Huic nomen fuit *Ida Hanya*; Cujus intellecta morte, ita de ea ſcripſit ad *Georgium Hermannum* ex *Ingolſtadio* 19. Aprilis 1541. „ Eodem „ tempore quo tuæ mihi literæ ad tertium diem Aprilis *Suocti* „ ſcriptæ, ſunt redditæ, faſciculum quoque accepi allatum „ e patria, qui triſtiſſimo nuncio chariſſimæ matris extremum „ diem defunctæ ita me aliquot dies afflixit, ut cætera omnia „ officia intermittere neceſſe habuerim. Nam mihi homini „ cœlibi & uxore liberisque carenti omnis hactenus voluptas, „ omnis amor in parentibus fuit. Qui quidem viciſſim omne „ erga me pietatis officium ſumma charitate exercuerunt, & „ inter ſe perpetua viventes concordia, ac rem familiarem „ mutua cura adminiſtrantes, communi liberorum neceſſitati „ utilitatique diligentiſſime conſuluerunt. Erat autem illa na„ ta annos plus minus 61. & liberis omnibus, excepto me, „ matrimoniali thoro jam conjunctis, quaſi abſoluto vitæ cur„ riculo, haud gravate terrenum hoc pondus depoſuit. Sed „ mihi ſine ac patri ſummum ſui deſiderium reliquit. Nam „ ille conjuge orbatus cum qua 38. annos ſuaviſſime vixit, & „ ipſe animum pene deſpondet. Mihi vero non modo amiſſæ „ matris jactura dolet, ſed etiam patris affectu graviſſime com„ moveor. Verùm deſino meis mœroribus tuam frontem hi„ laritatemque obnubilare, hoc unum ſi adjecero nihil mihi in „ hac vita triſtius accidiſſe antea unquam." *Ex tom.* 3. *p.* 260. *Vſa.*

XXXVII. (1) FABIUS ROMANUS] Hunc a nullo auctore celebratum reperi. *Ingolſtadium* ſtatim liquit cum *Viglius* advenit, qui ita ad *Nicolaum Everardi*: „ *Fabius* ferio ſibi„ tum parat, ac *Viennæ* conditionem ſuſcepit, rudes illic *Pan„ nonas* ſubtile jus docturus. Vereor ne parum ex ſuo commo„ do, nam iſtic non ex jure manu confertum, ſed mage fer„ ro. Noſti cætera. Ex *Ingolſtadio* 17. Januarii an. 1538." *tom.* 3. *p.* 67.

(2) MARCUS ANTONIUS CAYMUS] de quo Vide Pauli Freheri theat. p. 843. 24. Octob. 1538. ita ſcribebat *Viglius*: „ *Marcus Antonius Chaymus*, de quo pridem ad te ſcripſi, ante „ paucos dies huc advenit. Eſt natione Mediolanenſis, ve„ rum in Gallia & didicit jus & docuit, vir ut mihi videtur „ bene eruditus." *Ex tom.* 3. *p.* 106. *Vſa.* Alibi lego eum *Alciati* auditorem fuiſſe, & *Fabio Romano* ſucceſſiſſe in cathedra Ingolſtadienſi, cui an. 1540. renuntiavit, *Ticinum* migrans *ibid. p.* 186. & ſucceſſorem accepit *Fabium Narruenſem*. Ibid. p. 220.

(3) REINA OPPIDULUM] Bavariæ, ad Danubii ac Lyci confluentes ſitum, inquit *Viglius tom.* 3. *p.* 151. *Vſa.* ubi non ſolum cum magno incommodo, verum etiam multo graviore ſumptu quam Ingolſtadii conſueverat, cùm ſuo tum ſcholarium, degebat. *Ibid. p.* 157.

(4) JOANNES ECCIUS] aut potius *Eckius*, Suevus, theologus inſignis, & fidei catholicæ propugnator acerrimus. Simultates habuit cum *Eraſmo*: quid in eo reprehenderit, intelligo ex ejus epiſtola inter *Eraſmianas* CCCIII. col. 296. & vide *Eraſmi* reſponſum ad *Eckium* col. 397. Obiit Ingolſtadii die 10. Februarii 1543. uti adnotat *Viglius* in epiſt. ad *Phil. Nigri tom.* 4. *p.* 434. Vide ſi vacat *Odoricum Raynaldum in annal. eccleſ. tomo* 20. *variis locis.*

(5) LEONARDUS MARSTALLER] Doctor theologus, apud quem victu utebatur *Viglius Ingolſtadii. tom.* 3. *p.* 66. *Vſa.* Is cum *Joanne Eckio* pro Catholicis ablegatus fuit ad Colloquium *Wormatienſe ibid. p.* 232. 233. 238. Exſtant epiſtolæ nonnullæ *Viglii* ad *Leonardum*, ſed nullius momenti.

(6) VIGILÆUS HUNDT] Juris Civilis apud *Ingolſtadium* profeſſor, de quo *Viglius* ad *Leonardum ab Egbs* Ducis *Bavariæ* Cancellarium de reſtaurandis Academiæ ſtudiis interrogantem ita teſtatur: „ Doctor *Wigilæus Hundt* non modica gratia apud „ Auditores pollet, & profecto non modo eruditione ac dili„ gentia, verum etiam judicio præcellit; qualem virum hujus „ academiæ proprium alumnum præmio aliquo obſtringere „ conveniret, ne de alia conditione cogitaret, ſed publicis ſtu„ diis inſervire pergeret." *Ex tom* 3. *p.* 158. Hic poſtea nempe anno 1541. legitur fuiſſe *Conſiliarius ſenatus principalis apud Monachium. Ibid. p.* 318. Anno proxime ſequenti, cùm *Viglius* operam ſuam patriæ ac *Carolo V.* Imp. in ſecreto Conſilio Bruxellis addixiſſet atque impenderet, etiam *Vigileum* interpellavit, ut patronum ſe ſibi præberet apud aulam Ducis Bavariæ, ac hunc ſuum ab Ingolſtadio diſceſſum ex neceſſariis cauſis excuſaret. *tom.* 4. *p.* 359. Cùm Cæſar an. 1548. judicium Cameræ Imperialis *Spirenſis* inſtauraret, novumque judicum ſeu Aſſeſſorum delectum ex *Viglii* ſententia haberet, primus locus datus fuit *Vigileo Hundt*, qui nomine Bavariæ illi aſſideret: qua de re eſt *Viglii* ad illum epiſtola in *tom.* 4. *p.* 495. *Vſa.* Non apparet illum aut Cæſaris voluntati aut *Viglii* invitationi paruiſſe. Certe factus *ſupremi tribunalis Bojorum Monachii præſes, & quotidianas inter graviſſimaſque officii ſui occupationes* compoſuit inſigne opus cui titulus: *Metropolis Salisburgenſis*, ubi ejus nomen ita ſcribitur *Wiguleus Hund a Sulzemos.* Vide novam edit. Ratiſpon. an. 1719. in *Chriſtophori Gewoldi* dedicatoria.

(7) RECTORALI POTESTATE] academica *Ingolſtadii* functus

factus est *Viglius* an. 1539. de qua audi jocantem: „ Hoc „ tempore summum Academiæ nostræ Magistratum gero, quem „ Rectoratum vacant. Utinam me cum coccinea epomide *Brock-* „ *bagius* noster cumque sceptrigeris istis anteambulonibus con- „ spiceret, opinaretur fortassis nuntium aliquem Apostoli- „ cum me esse." *Ex tom. 3. p. 113.*

XXXVIII. (1) ELECTOR BRANDENBURGENSIS] *Joachimus II.* qui primus Protestantium religionem est amplexus. Hæc Academia anno 1506. excitata fuit ab hujus patre *Joachimo I.* Electore, adjuvante fratre ejus *Alberto* qui postea Episcopus *Moguntinus* factus est inquit *Bertius Rer. Ger. lib. 3. p. 533.* Archi-episcopum Electorem dicere oportuit. Fuit autem secundus ejus nominis in sede *Moguntina*, obiitque *Albertus* an. 1545. nepote suo *Joachimo II.* jam ad Protestantes inclinato. Ceterum *Viglius* memoria lapsus fuit cùm hunc *Vitæ* suæ articulum dictaret; non enim cùm *Ingolstadii* profiteretur, sed cùm adhuc *Spiræ* hæreret, anno nempe 1536. hæc ei *Brandenburgensis* conditio oblata fuit, ut ex epistola ad *Georgium Sabinum*, qua ab illa se excusat, aperte conficitur. Hanc totam duxi exhibendam, quòd multa officiose & eleganter dicat de amicitia cum *Georgio* colenda: & quod apud Electoris ministros totam dissimulaverit rationem quam hic prodit in *Vita* sua, alias longe adferens excusationes quibus in *Francofordiana* Academia profitendi officium acceptare renuit. „ Quarto Idus „ Septembris, *Sabine* doctissime, litteræ tuæ quas e salinis *Saxo-* „ *nicis* 23. Julii ad me dedisti redditæ mihi fuere. Quamob- „ rem si tardius forsitan respondere tibi videbor, ei, cui ipsas „ commisisti, imputa. Nam ego profecto qui mutuo sem- „ per erga te animo fui, & cui sæpe antea ad te scribere „ cogitanti, indonea tantum occasio & argumentum defuit, „ minime equidem literis tuis tam amicam erga me voluntatem præ se ferentibus, quæque plenum honoris clarissimi Viri D. *Christophori Turci* de me judicium contineret ac de Illustrissimi Principis Electoris *Brandenburgensis* benevolentia & „ conditione cum primis honesta certiorem me facerent, re- „ spondere distulissem. Etsi enim conciliandæ amicitiæ breve „ spatium *Patavii* habuimus, cum sub idem fere tempus & tu „ eo advenires, & ego sarcinulas colligerem: *Christophorus* tamen *a Carolowitz* antiqua mihi familiaritate junctissimus, ea „ literis suis benevolentiæ fundamenta jecit, ut cum ego illius amicitiam plurimi semper fecerim, sic me ei chariorem „ vicissim fore existimarem, si te, qui mihi ab eo pluribus „ nominibus commendatus fueras, aut officio aliquo meo demereri, aut amore devincire possem. Quod quo minus „ hactenus fecerim, non voluntas mihi umquam sed tantum

„ oportunitas defuit. Tibi vero ad retinendam confirmandam-
„ que amicitiam eo authore initam, præſentiſſimum philtrum
„ ſuppetit, proprium videlicet virtutis & eruditionis. Quas
„ quo magis in te incrementum ſuſcipere audivi, eo ad meum
„ animum in tui amorem inflamandum plus virium habuiſſe
„ ſcias. Ac ut etiam aut temporis intercapedo aut locorum
„ intervallum quo ſeparati ſejunctique fuimus, aliquid forte
„ iſti mutuo affectui detraxiſſet, id totum tamen proxima tua epi-
„ ſtola pleniſſime reſtabiliviſſet. Quæ non tui modo in me animi
„ amantiſſimum teſtimonium, ſed mearum etiam laudum,
„ quas agnoſcere numquam audeo, nimis amplum præconium
„ continent. Sed de illis aliàs. Nunc ad id tibi reſpondebo
„ cujus gratia illa tibi ad me epiſtola ſcripta eſt. Quid ſcilicet
„ animi habeam ad conditionem de qua Illuſtriſſimi Principis
„ Electoris *Brandeburgenſis* nomine mecum egiſti. Non poteſt
„ autem in eo mihi non eſſe gratiſſimus tuus affectus, magnam-
„ que voluptatem ex Magnifici D. Cancellarii de me judicio ac
„ prædicatione cœpi, qui Illmi Principis animum ita erga me
„ inflammavit, ut idoneum eſſe crederet, qui Academiæ ſuæ
„ (uti ſcribis) collapſæ inſtaurator fierem. Ipſorum autem
„ ſtudiorum cauſa multo maxime gaudeo, tantum Principem
„ litteris honeſtisque artibus favere, & eis promovendis ſedu-
„ lo operam dare. *Chriſtophori* certe *Turci* nomen a te olim
„ mihi prædicatum deinceps etiam magis venerabor, quod
„ authoritatem illam qua apud Principes viros pollet, repa-
„ randis literarum ſtudiis, quæ nunc miſerandum in modum
„ labi videntur, deeſſe non ſinat. Faxit Deus Opt. Max. ut
„ tam honeſta Principis voluntas, prudentiſſimique viri fide-
„ liſſimum atque optimum conſilium fœlicem & bene faventi-
„ bus Muſis optatum habeat ſucceſſum. Cur ego autem im-
„ præſentiarum in oblatam conditionem conſentire nequeam,
„ coram tibi exponere mallem. Sed quando id *Sabine* non li-
„ cet, faxo ut intelligas non temere tantum honorem me re-
„ cuſare. *Fungor in judicio Cameræ Imperialis aſſeſſorio munere*,
„ Cæſareæ Majeſtatis ſpontanea clementia eo promotus, un-
„ de mihi quotannis 500 floreni numerantur. Facile autem
„ ipſe æſtimare potes, an conſulto præſenti fortunæ condi-
„ tionem iſthanc ab Illmo Principe oblatam prælaturus fuerim.
„ Et quamquam hoc munus vulgo & dignius & utilius habea-
„ tur, ego tamen non gravate in tuam ſententiam concede-
„ rem, atque iis rationibus quas diſerte adduxiſti, pertrahi
„ me paterer, niſi aliæ eſſent quæ me magis moverent. Nam
„ mihi profecto ea ſemper mens animo ſedit, ut ſi tantum pro-
„ feciſſem, ut de meo lumine aliis accendere poſſem, & ad
„ Scholaſticam illam docendi tranquillitatem aliquando mihi

„ redire

„ redire liceret, mediocre honorarium in quieto literarum
„ otio splendidis iſtis & ſimul negotioſis conditionibus haud il-
„ lubenter prælaturus fuerim. Verum mi *Sabine* quantum qui-
„ dem ego intelligo, quicumque jura cum auditorum utilita-
„ te docere voluerit, ſive ad privatas clientulorum cauſas de-
„ fendendas, ſive ad publicas arduasque res adminiſtrandas
„ prudenter fœliciterque accommodare, & dignitatem olim
„ in otio tueri cogitaverit: ei non ſatis erit, quamlibet ma-
„ gnum in Scholis feciſſe juridicæ ſcientiæ profectum: verum
„ inprimis neceſſarium eſt, ut juris ſcientiam in foro, judiciis,
„ conſiliisque exercuerit. Eaque ratione motus, aliquantis-
„ per in foro hærere decrevi, quo ad docendum, ſi quando
„ idonea deinde conditio oblata fuerit, inſtructior deſcende-
„ re poſſim. Cum vero haud ita dudum huc venerim, nec-
„ dum tantum quantum conſtitui didicerim: haud temere ab
„ hoc judicio diſcedendum mihi puto, in quo longe ampliſ-
„ ſima diſcendi occaſio eſt, quando & hoc ſupremum Sacri
„ Imperii tribunal cenſetur, in quo & maximæ cauſæ con-
„ trovertuntur, & tot ſelectiſſimos habeo Collegas, a quibus
„ & in ſcientia & in peritia Juris permulta diſcere queam.
„ Cujus etiam conſilii non illaudatos habeo authores, *Fran-*
„ *ciſcum Curtium* quo *Patavii* profeſſore uſus ſum, item *Za-*
„ *ſium*, *Alciatum*, atque alios non vulgaris notæ viros. Qui
„ aliquando me cohortati ut animum ad profitendi munus
„ adjicerem, illud tamen ante omnia ſuaſerunt, ut prius per
„ aliquot annos forum & judicia ſequerer. Sic quippe me
„ ad docendum longe magis inſtructum idoneumque fore.
„ Nam qui numquam in foro verſatus eſt, etſi forſitan in ju-
„ re non infœliciter doctus ſit: nequit tamen ſatis utilia ab
„ inutilibus, abolita a conſuetis diſcernere: cùm eorum quæ
„ traditurus ſit uſum ipſe ignoret. Quæ quidem me cauſa
„ potiſſimum mi *Sabine* movet, ne adhuc e foro ad ſcholas
„ redeam, at tantiſper in eo perſiſtam quoad me ad profi-
„ tendum magis idoneum eſſe cognovero, forenſiumque actio-
„ num uſu inſtructus, fœlicius fortaſſis aliquanto deſtinatum
„ munus exequi potero. Quod ſi vero hac una in re animo
„ meo ſatisfeciſſem, etſi ipſe ſatis dijudicas pergrave mihi fo-
„ re, deſerta meliore conditione in tam longinquam & igno-
„ tam regionem abire: attamen cum antea ad nullam rem
„ æque quam ad literariam profeſſionem animum inclinatum
„ habeam: non leviter me impræſentiarum tanta Illmi Princi-
„ pis Electoris benevolentia, clariſſimique Viri *Chriſtophori*
„ *Turci* authoritas, ac tua tam amica exhortatio permove-
„ rent. Quando itaque mea conſilia aliter nunc ferunt, te
„ etiam atque etiam rogo, ut qua fieri poteſt civilitate Illmo

„ Prin-

„ Principi renunties, hoc tempore iſthac conditione uſi mihi „ non eſſe integrum. Si qua vero alia in re Illmæ Celſitudi„ ni ſuæ mea opella obſequi potero, id ea me facturum prom„ ptitudine, ut concepta erga me ex *Turci* prædicatione be„ nevolentia non omnino indignum eſſe cognoſcat. Bene vale „ doctiſſime *Sabine*, & clariſſimo Cancellario *Turco* qui tali me „ apud illuſtriſſimum Principem eulogio ornavit, viciſſim „ meum deferto officium, ſignificatoque me deinceps inter „ eos futurum qui merito ſuo eum venerantur D. *Carolowitzio* „ ſiquando opportunum fuerit, ſalutem quoque a me dicito, „ quam propriis illi literis nunciare maluiſſem, ſi ubi locorum „ ageret compertum habuiſſem. Datum *Spiræ* 17 Septemb. an. „ 1536." *Ex tom.* 2. *a pag.* 377. Hæc epiſtola *Sabino* reddita non fuit, & quinquennio poſt cùm *Ingolſtadium* quoque deſerere ſtatuiſſet *Viglius* & ab alio Electoris *Brandenburgenſis* Cancellario *Euſtachio a Schleyber* ad eamdem ſpartam ornandam denuo ſollicitaretur, recuſavit iterum & 3 Junii 1541. ex *Ingolſtadio* harum literarum exemplar, quæ non fuerant redditæ, ſubmiſit *Georgio Sabino*, uti reperi in *tom.* 3. *p.* 272.

XXXIX. (1) CÆSAR OPERA MATTHIÆ HELDT DESTITUTUS) Cauſam ſui diſceſſus ex aula Caroli V. vide ſupra ad N. XXV. in fin.

(2) UTI VICE-CANCELLARIATUS OFFICIUM SUSCIPERET) Inter Conſiliarios qui id Cæſari ſuggeſſerant, præcipuus fuit *Carolus Boiſotus*, apud quem, ut hoc onus deprecaretur, binis literis ſatis prolixe agere neceſſe habuit *Viglius*: quas ambas rurſus deſcribendas judicavi, quod hæc non ſit minima ejus vitæ accidentia. Prioribus igitur litteris ita *Boiſoto* reſcripſit: „ Priſtinam erga me benevolentiam tuam, „ quam coram ex multis argumentis perſpexi, amiciſſimæ tuæ „ literæ non ſine ingenti animi mei voluptate plenius etiam „ declararunt, & multum ſane tibi debeo quod Rmo Epiſco„ po *Atrebatenſi* tam diligenter me commendaveris. Cujus „ quidem virtutes ac inſignes ingenii animique dotes a multis „ mihi antea prædicatas non poſſum non ſummopere quoque „ ſuſpicere. Nec mihi quicquam gratius contingere queat, „ quam ut tua commendatione illius erga me propenſum fa„ vorem obſequio aliquo meo demerear. Sed quam nuper „ occaſionem amiſi, eam aliud (ut ſpero) tempus aliquando „ reponet. Cum vero ea quæ de mea promovenda fortuna „ abs te illi ſuggeſta ſunt, multum me delectaverint, tum quod „ de Vice-Cancellariatûs officio cum ipſo te collocutum ſigni„ ficas, varie me affecit. Quis enim eſt mortalium qui in „ ſpem ac occaſionem ſplendidioris ampliorisque fortunæ non „ erigatur? Et tranſactæ ætatis meæ ſtudia perpendens haud „ val-

„ valde aliena ab ejuſcemodi alicujus muneris functione com-
„ periebam; ſed ſubinde cogitationes meas & parvitatis meæ
„ conſcientia & tanti muneris pondus deprimit dejicitque.
„ Etſi enim aliquot annos in judicialium controverſiarum diſ-
„ ceptatione verſatus ſim, atque in ea quam nos olim in Scho-
„ lis Juris ſcientiam una comparavimus, publice privatimque
„ docenda haud impigre me exercuerim, illud tamen munus
„ utrisque majus, rerum publicarum non vulgarem uſum pe-
„ ritiamque requirit: & quamquam Juriſprudentiæ adminicu-
„ lo cum primis opus habeat, attamen cùm Vicecancellaria-
„ tus Imperii, pectus, os, manusque ſit Cæſaris, nec ſolum
„ in ſuggerendo conſilio, verumtamen ut ſummi Principis juſ-
„ ſa convenienter, cum opus eſt, eloqui, ſcriptove exprime-
„ re queat, ipſius ſit officium: in utroque, præſertim quod ad
„ Germanicam linguam pertinet, longe me illi muneri impa-
„ rem agnoſco. Deinde vero cum huic umbratili & delicatæ
„ vitæ, Scholaſticæque quieti ac cælo Germanico jam dudum
„ aſſuevèrim, * ac valetudo etiam peregrinationum incom- * *lege*: ut
„ moda quotidianasque mutationes & inprimis Hiſpanicum
„ aerem & victum perferre queat, ſubvereor. Adhæc me
„ etiam quædam immortalitatis opinio literarum ſtudiis alli-
„ gat, videlicet dum condo & compono quæ mox depromere
„ poſſim. Quæ ſane rationes animum meum pro humani in-
„ genii natura in tantam conditionem ac fortunam erectum ac
„ propenſum, contra reprimunt. Alterum vero de quo te
„ rogavi, & meæ tenuitati magis congrueret, & mihi quoque
„ non paulo gratius foret, videlicet, ut in Senatu patriæ meæ
„ Friſiæ, Conſiliarii munus obtinere mihi veſtro conſilio ac
„ patrocinio a Cæſarea Majeſtate liceret. Cujus ratione ab-
„ ſens nullum equidem emolumentum poſtulo, & tamen in-
„ terea Cæſareæ Majeſtati obſtrictiorem me agnoſcerem, ut
„ tamen ſi quando in patria agerem aut omnino morari in-
„ ſtituerem, cum dignitate ordinario quoque ac communi cæ-
„ terorum ſalario fruerer. Sic quippe iſthic mihi quaſi portum
„ conſtitutum crederem, in quem tumultuantibus aliquando
„ rebus Germaniæ, confugerem, & ubi interea laborum meo-
„ rum emolumenta deponerem. Ex Conſiliariis ejus Curiæ
„ duo nuper extremum diem functi ſunt, ambo mihi propin-
„ qua cognatione juncti. Eques unus, alter Doctor *ab Bur-*
„ *mania* cognominati, unde facile locum vacare puto, ſi mo-
„ do veſtra ſuffragia Cæſarem mihi propitium facerent. Pa-
„ truus autem meus Decanus olim *Hagenſis* ab *Saxonum* tempo-
„ ribus triginta annos Conſiliarii, &, ut tunc loquebantur,
„ Regentis Friſiæ officio functus eſt, fideliſſimamque operam
„ Cæſareæ Majeſtati in ea obtinenda compeſcendisque variis

„ provincialium tumultibus navavit. Quapropter mihi cum-
„ primis jucundum foret in eamdem dignitatem illi aliisque
„ propinquis succedere. Quamobrem te etiam atque etiam
„ oro vir clarissime, ut quando magnitudini ejus muneris, ad
„ quod me tua benevolentia provehere desiderat, sum impar,
„ in altero impetrando operam mihi tuam non gravate im-
„ pendas. Bene vale vir clarissime. Ex *Ingolstadio* 15 Maii
„ 1541." *Ex tom.* 3. *a p.* 267. Alteris literis magis etiam laborare debuit, ut a novis *Caroli Boisoti* efflagitationibus se expediret. „ Haud equidem fore putabam, *inquit*, ut postquam
„ semel non leves, quæ me ab proposita officii Vicecancel-
„ lariatus conditione deterrerent, rationes, tibi exposuissem,
„ non modo meæ sententiæ non subscriberes, verùm diversam
„ quoque porro suadere pergeres. Quamquam autem tuo ju-
„ dicio multum semper tribui, tribuoque, vereor tamen ne
„ quid hac in re nimius mei amor tibi imponat. Ut enim
„ ingenue tibi fatear, Gallicæ linguæ pene sum oblitus, Germa-
„ nicam nondum satis didici, Latinæ usum non ad forum aut pu-
„ blicam ostentationem formare unquam laboravi, sed tantum
„ ad scholas atque ad docendum paravi. Et quis quæso isthic
„ in tantis rebus apud maximum orbis monarcham muti &
„ elinguis hominis usus esse queat? Tum vero primum disce-
„ re cum jam scire oportebat, serum mihi videtur. Atque ut
„ ego sum pusillanimis valde, vereor, ne conantem frustra,
„ diffidentia mox avertat, ac ab equis quod dicitur ad asinos,
„ non sine magno meo dedecore, redire cogat. Proinde sa-
„ pientis illud mecum cogitans *Nosce teipsum*, supra vires nihil
„ inceptare audeo. Haud ignoro magnum esse honorem apud
„ summum Principem eo loco esse, talique dignitate fungi:
„ sed tum demum, si recte ac cum honore quis fungi sciat.
„ Et interea sic cogito, si gloriam ambio, amplam esse propo-
„ sitam materiam, videlicet ut lucubrationibus quotidianarum
„ lectionum nomen aliquando meum posteritati commendem.
„ Nec minus leviusve esse puto aliquam in literis laudem pa-
„ rare quam temporali gloria fungi. Quæ cum multis casibus,
„ multorumque simul exposita est invidiæ, tum cum vita mox
„ evanescit. Opes autem magnas non ambio, & hæc præsens
„ functio, quod senectuti sufficiat, abunde subministratura esse
„ videtur. Interea juvat versari in ampla bibliotheca, quam
„ multis jam annis optimis authoribus instruxi, & a qua non
„ sine summa animi molestia queam avelli. Quid dicam de
„ hisce infelicissimis temporibus, quibus mihi summa beati-
* *lege*: rebus „ tudo esse videtur procul a Jove ac fulmine & publicis * libris
„ inter libros latere. Ut horum vero omnium nihil moveret,
„ illud tamen vel solum satis esset, quod ab ejusmodi condi-
„ tione

„ tione deterrere me poſſet, quod eo mihi fungenti officio, „ pene perpetuo errandum ac peregrinandum fuerit, ſine certa „ ſede, ſine domo, cum gravi & corporis moleſtia & valetu- „ dinis periculo, ut vitam me ſic diu tueri poſſe non ſatis con- „ fidam. Quibus quidem rationibus ita commoveor, ut ad „ ejuſmodi muneris ac officii ſpem, animum inflectere minime „ poſſim. Non tamen ignoro quantum tibi hujuſce favoris „ ergo debeam, quantumque perpetuo ſim debiturus. Sed ſi „ fortaſſe tibi nimis philoſophice facere reſpondereve vide- „ bor, qui tantam occaſionem ſic reſpuam: attamen ſi ratio- „ nes quas adduxi penitius excutere dignaberis, ſi quis in eo „ meus eſt error, venia ſaltem dignum judicabis. Porro Rnum. „ Epiſcopum *Atrebatenſem*, cujus in me benevolentiam tua com- „ mendatio excitavit, hoc ipſo quoque nomine amabo, colam „ ac venerabor perpetuo. Utinam vero ejus ope operaque „ alterum quod abs te & coram & proximis literis meis poſtu- „ lavi, impetrare liceret: eo quippe beneficio perpetuo me „ vobis obſtrictum faterer. Propediem autem me opportuni- „ tatem nacturum ſpero ut ab lectionum munere feriis nobis „ hic indictis, iterum vos inviſam. Interea bene vale, & „ *Viglium* tibi commendatum habe. *Ingolſtadii* 2. Junii an. 1541." *Ex tom.* 3. *a p.* 270.

XL. (1) REGINA MARIA] Vidua *Ludovici Jagellon Hungariæ* Regis, filia *Philippi I.* Hiſpaniarum Regis, & ſoror *Caroli V.* ac *Ferdinandi I.* Impp. nata Bruxellis, & anno 1531. gubernatrix Belgii pro *Carolo* per annos viginti & quinque, obiit in Hiſpania an. 1558. paucis poſt *Carolum V.* diebus, id eſt, menſe Octobri. *Jacobus Menlius* in libello ſingulari *de Majoribus Maximiliani II.* ſcribit *Mariam obiiſſe mortem anno forte* 1559; ſed is parum eſt accuratus ſcriptor. *Suffridus Petri in append. ad Hedam fol.* 5. ita habet: „ *Carolus* quintus eodem anno 1558. men- „ ſis Septemb. 21. die obiit in Hiſpania Betica apud *S. Juſtum*. „ Ibidem etiam eodem anno ſorores ejus *Eleonora* atque *Maria* „ defunctæ ſunt". *Corbinianus Khamm Hierarch. Auguſt. part.* 1: *p.* 352. accurate ſcribit, *Mariam* Bruxellis natam 17. Septemb. 1505. *Ludovico Hungariæ & Bohemiæ* Regi deſponſatam 1521. in ſtatu viduitatis denatam 18. Octob. 1558. ætat. 53.

(2) DUBIUS CONSILII HÆSIT] Cur ſollicitus eſſet de oblata conditione Secreti Conſilii Bruxellis, *Hectori Hoxvirio* expoſuit: „ Me literæ tuæ ac *Nicolai* (*Nicolaii* ſeu *Grudii*) qui- „ bus de ſecretioris Conſilii conditione certiorem me reddi- „ diſtis, magna, *inquit*, me Hercle ſolicitudine involvêre. „ Ut enim emolumenta omittam, quæ hic mihi & certiora „ obveniunt & minus forte vicioſa, præmia ſcilicet laborum, „ non munerum corruptelæ: ut taceam opportunitatem ali-

 „ quid

„ quid elucubrandi in literis, quod nominis immortalitatem, „ ad quam natura omnes aſpiramus, conciliet: ut reliqua hu- „ juſce functionis commoda præteream: illud non minimum „ me movet, quod ego hujus Superioris Germaniæ publicis „ rebus, linguæ ac vivendi conſuetudini jam aſſuefactus, ſi „ iſthuc tranſiero, linguam Gallicam, cujus pene uſum deper- „ didi, rediſcere, & in univerſum pene vitæ rationem rete- „ xere, omniaque ab initio quaſi rurſus exordiri neceſſe ha- „ bebo. Cujus quidem me & in hac ætate (*triginta & quinque* „ *annorum*) ut non poſſit non pigere, ſic aliquo etiam modo „ pudere debebit. Proinde ſane ægre ad propoſitam condi- „ tionem animum applico. Ac ſi mihi quod cœpi inſtitutum „ tueri liceret, confeſtim certe reſpuiſſem ". Quas hic mo- leſtias & excuſationes, ſive ex animo id dixerit, ſive ſimulate, congerit *Viglius*, ne facilem ſe præbeat qui ex *Ingolſtadio Bruxel- las* concedat, eæ non ſatis cohærent cum anxiis illis & enixis, ſæpeque repetitis precibus ac rogationibus quas ſupra legimus ab eo inſtitutas apud *Carolum Boiſotum* & *Gerardum Mulert*: ne- que enim illas aut tunc ignoravit aut contempſit. Proinde ejus ego hic conſtantiam deſidero. Ceterum erat homo. Poſt hanc præfationem ita pergit apud *Hectorem Hoxvirium*: „ Verum id „ non eſt paſſa graviſſima epiſtola tua, multis me rationibus „ fortiſſime in diverſam vocans ſententiam. Quas dum ſingu- „ latim cœpi mecum expendere, animi dubius, ſuſpenſa ſen- „ tentia, de adeunda Brabantia conſilium tandem cœpi, ut „ hujus functionis oblatæ explorata certius conditione, aut „ veſtræ authoritati cedam, aut ad iſtam nondum renuncia- „ tam provinciam, liberam mihi redeundi copiam retineam ". *Ex tom. 4. p.* 330. Deinde ad ſecretarium *Nicolaum Grudium* eodem ſcripſit tempore paullo deliberatior: „ Ad tuas amantiſ- „ ſimas literas *Nicolae* ornatiſſime, quibus ex Sereniſſimæ Regi- „ næ mandato de ſuſcipienda conditione in ſecretiore Conſilio „ certiorem me feciſti, ſuperioribus diebus, prolixe quidem, „ at, ut tibi fortaſſe videbitur, nimis perplexe reſcripſi. „ Quippe qui quod alii & ambire ſoleant, & oblatum amba- „ bus amplecti ulnis, id eò cohortantibus impellentibuſque „ amantiſſimis hominibus, ſuſcipere adhuc ambigam. Verum „ hoc vitium, mi *Nicolae*, omnibus fere in ſcholis innaſci ſo- „ let, illam quam Græci vocant ἀκρᾰξίαν ut ament, nec facile „ ex ſuis lycæis in fori theatrum pertrahi ſe ſinant. Attamen „ ne tuam commendationem authoritatemque, vel mea potius „ commoda negligere videar, ad Paſcha me iſthic adfore „ ſignificavi, ut ſi quis mihi abſenti ſcrupulus inhæret, is co- „ ram auferatur, atque ita res hæc tota per me ibi confirme- „ tur, ut priuſquam præſentem hanc conditionem relinquam, „ de

„ de nova omni ex parte cautum mihi esse intelligam. Cum „ igitur rursus literas in inferiorem Germaniam dandi oblata „ esset opportunitas, idem paucis denuo indicare tibi volui, „ iterum atque iterum te rogans, ut in meum adventum totam „ hanc rem integram sustineas, ac si tibi tantum otii fuerit, „ & tuis literis ad id iter me confirmes, & Reginæ epistal- „ mate, si quid forte impedimenti aliunde injiciatur, me com- „ munias. Vale mi *Nicolae*, & pro tuo hoc mei ornandi studio „ in tuo ære perpetuo me nomen professurum meum scias. „ Ingolstadii 4. Januarii an. 1542." *Ex tom.* 4. *p.* 334. *Vsa.*

(3) CONSILIARATUS DIGNITATEM IN QUOCUMQUE CONSILIO] De optato hujus negotii successu ad patronum suum *Hectorem Hoxvirium* ita statim scripsit *Viglius*: „ *Bruxel-* „ *lam* adveniens multorum in me propensiora studia comperi, „ quàm ipse absens sperare ausus fueram; inprimis tamen omni „ me humanitate *Nicolaus* secretarius complexus est, qui mihi „ etiam præsidis *Scborani* (id est: *Ludovici a Scbora Secretioris* „ *Consilii præsidis*) benevolentiam conciliavit. Ab Regina per- „ benigne auditus, facile quæ volui impetravi, scilicet, ut „ quoad locus in Senatu *Mechlinienſi* vacaverit, ubi ex animi „ mei sententia quietiorem vitam ducere valeam, hic Secreti „ Consilii honore fungar .... *Bruxellæ* 27. Aprilis 1542." *Ex tom.* 4. *p.* 347. Cur sic autem voluerit, & e Secreto Consilio ad *Mechlinienſem* Senatum quasi gradum facere, contra quàm hodie fit, elegerit, ad *Carolum Boisotum* perscripsit: „ Nosti „ me amare quietem ac libros, quibus *Mechliniæ* commodius „ mihi assidere & expolire aliquando aliquid eorum quæ supe- „ rioribus annis commentatus sum, licebit. Quod autem sa- „ lario discedit, id alicunde pensabitur, quando ad consulen- „ dum major isthic erit facultas, & minor sumptus, ut alia „ omittam quæ *Mulertum* nostrum olim moverunt, ut *Mechli-* „ *nienſem* quoque conditionem præferret, & te, alioqui non- „ nullos, ut eamdem retineretis, quorum exempla pro ratione „ lubenter sequor". *Ibid p.* 367.

(4) PATER, AMICIQUE NON DESTITERE DONEC] Quanto ardore & studio properarint omnes retinere *Viglium* in Belgio, literis ipse configuavit ad *Vigileum Hundt* de quo supra. „ Literis mi *Wigilee* exprimere, *ait*, nequeo quan- „ tæ huc adveniens solicitudini sim involutus. Non aliter „ enim quàm si quædam adversum me facta esset conspi- „ ratio, visi mihi sunt omnes in me hic detinendo consilia „ conatusque suos conferre. Primùm omnium Regina non „ tantum splendidissima conditione, verum etiam imperio „ quodam meam sibi patriæque operam vendicare visa est. „ Idem parens senio confectus, fratres propinquique plurimi „ per litteras flagitant. Accessere deinde omnium vota desi-

 „ deriaque,

„ deriaque, qui mihi vel notitia vel amicitia juncti fuêre. Hic „ mihi peregrinitatem, alter ſcholaſticum pulverem expro- „ brat, cœlibem alius vitam ſine ſpe ulla poſteritatis repræ- „ hendit. Quid dicam multa? Obrutus argumentis, victus „ precibus, multiſque aliis cauſis impulſus, coactus ſum tan- „ dem in eorum concedere ſententiam, ac ab profitendi fun- „ ctione privataeque vitæ otio ad Reip. redire negotia. . . . . „ Ex Bruxella ultimo Aprilis an. 1542." *Ex tom. 4. p.* 358.

XLI. (1) HECTOR HOXVIRIUS] Vir primariæ nobilitatis in Friſia, natus in *Maurichemo*, qui pagus eſt territorii *Baroderani*, multis & arduis legationibus functus eſt pro patria ad Imp. *Carolum V.* & pro Imperatore ad alios principes. Judice *Viglio* nullum Friſia habuit qui parem famam eruditionis obtineret, paucos vero nobilitate, dignitate, opibus, gratia *Hectori* comparabiles. *tomo* 2. *p.* 147. Tantas in unum congeſtas dotes valde veneratus eſt *Viglius*, qui *Hectorem* quamdiu vixit, non tantum amicum habuit, ſed omnia illi ſua arcana credidit & conſilia, uti teſtantur plurimæ ad eum datæ epiſtolæ. Anno 1534. in Italia verſabatur ut juris Civilis ſcientiam ad ceteras diſciplinas jungeret, qua occaſione vocem emiſit *Viglius* Italicis Academiis honorificam, quam, quia brevis, hic libet adſcribere: „ Ex *Auſonii* literis, doctiſſime *Hector*, in- „ tellexi quam tibi non diſpliceat *Patavium* cum *Papia* com- „ mutaſſe: nec dubito quin ipſa Italia quo eam magis perſpexe- „ ris, quoque ei magis aſſueveris, eo tibi magis ſit allibitura. „ Quod ſi Italiæ delitias vulgus noſtrum noſſet, minus certe „ admiraretur, quidnam tu in Italia in ea ætate. Dulmaniæ „ 16. Aug. 1534." *Ibid. p.* 244. Tanto viro fortuna tarde arriſit; adeo ut *Viglio* e Camera Spirenſi diſcedenti ſuffici cupiverit. Non tamen tentavit. V. *tom.* 3. *p.* 73. *Vſa.* Anno 1539. in Senatorium ordinem in patria delectus eſt, ut eſt *ibid. p.* 118. *Vſa.* Et anno 1541. Senatui Ultrajectino præſes datus eſt, adhibito prius in conſilium *Viglio*, qui quòd conſueto candore, totus teres atque rotundus mentem ſuam aperiat, tantiſper audiendus eſt: „ In iſta, *inquit*, deliberatione mutandæ „ conditionis, in qua meam ſententiam requiris, tibi homini „ & nobili & opulento minime ego ad lucri rationem penſi- „ tanda conſilia arbitror. Verùm hoc quærendum inprimis „ puto, quæ dignior ampliorve functio cenſeatur. Et prima „ quidem figura præſidere quàm aſſidere non paulo honeſtius „ habetur: ſed tamen non leve eſt primarium, quod tibi cum „ paucis contingit, in patria Conſiliarium eſſe. Quamobrem „ ego cæteris paribus haud equidem video cur uni alterum „ valde præferre debeas. Sed tamen cùm loci major ſit Tra- „ jecti amœnitas celebritaſque, tum & hominum elegantium, „ quan-

„ quantum quidem ego judicare ſive potius divinare poſſum, „ major copia, certe tibi homini in literis excellenti & docto- „ rum hominum ſocietatem ac congreſſus amanti, Trajectum „ utique præferendum exiſtimo. Et mihi etiam iſta ſubit co- „ gitatio, cum præclaræ iſtæ ingenii tui dotes te ſive patriæ „ aliquando noſtræ fore præſidem, ſive altioribus alibi functu- „ rum honoribus deſtinent, ne meritorum tuorum præmia ipſe „ retardes. Ex iſto ſane loco ad altiora quidam tibi quaſi gra- „ dus præſtruitur, quem ſi reſpueris, haud eadem poſtea erit „ opportunitas. Quamobrem ego ſic ſuadeo, etſi neque lucri „ incremento, neque honoris æqualitate oblatum munus ca- „ peſſere valde debeas: attamen ob loci præſtantiam & homi- „ num elegantium copiam, & quamdam progrediendi ad ma- „ jora facultatem, ultroneo Reginæ ac ſupremi Senatus judi- „ cio obſequi te debere. Et quamquam ego te in iſta com- „ muni patria perpetuum mihi meiſque patronum elegeram, „ ſi tamen ex fide conſulere voluero, utcumque mihi tuus „ inde diſceſſus moleſtus atque incommodus futurus ſit, iſtam „ tamen ut dignitatem aſperneris, minime ſuadere poſſum.... „ Bene vale *Hector* clariſſime 10. Octob. 1541." *Ex tom.* 3. *p.* 308. Dignitatem acceptavit *Hector* & migravit *Ultrajectum*, ubi cum *Carolus V.* Imp. an. 1546. Capitulum ordinis aurei Velleris celebraret, eum, in teſtimonium probatæ fidei ac diligentiæ, equeſtris ordinis honore donavit. Obiit ibidem an. 1547. *Vide Suffr. Petri in append. ad Bekam p.* 190. *& de Script. Friſiæ dec.* II. *cap.* 2.

(2) ADRIANUS NICOLAI] Communiter, etiam a *Viglio* in epiſtolis, appellatus *Adrianus Marius*, frater *Nicolai Gruditi*, *Joannis Secundi*, & *Everardi Nicolai* primum apud Leovardienſes deinde apud Mechlinienſes ſupremi Senatus præſidis; omnes filii *Nicolai Everardi* pariter in Magno Conſilio qui Mechliniæ ſedet, præſidis: quorum omnium elogia vide apud *Val. Andr. in biblioth. Belg.* In Catalogo Conſiliariorum Mechlinienſium apud *Butkens in Suppl. tom.* 2. *p.* 318. ita lego: *Meſſire Adrien Nicolai, Chevalier, ſuccede a Meſſire Nicolas Everard par lettres patentes du* 22. *Juillet* 1541. *Il fut en apres Chancelier du Conſeil de Gueldre.* Succeſſit fratri, pater enim obiit anno 1532. *Viglius* amicitiam a pueris, convictus & tecti communione fundatam, cum *Adriano* & cum *Joanne Secundo* contraxit; & de hujus morte anno 1536. ad illum conſolatoriam ſcripſit, inter ſelectas *Viglii* epiſtolas a nobis repoſitam cum aliis nonnullis ad *Adrianum*. Hic adjicimus pauca quæ de amiſſo parente, ut ſolaretur amicum, elegantер ſcripſit: „ Luctus veſter „ ob amiſſum parentem tam juſtus, non potuit non me etiam „ graviter commovere. Sed tamen naturæ communis neceſ-

„ ſitas

„ ſitas æquo animo toleranda eſt, cum fata hæc mutari nullis „ lachrymis poſſint. Cogita quanto ego plus in patruo meo „ amiſerim, non quod illius caſum velim cum clariſſimi paren- „ tis veſtri *Nicolai Everardi* præſidis Mechlinienſis jactura con- „ ferre, ſed quod me inopem rei & conſilii, in medio ſtudio- „ rum curſu deſtituerit: cùm vos jam metæ proximi, locuple- „ tem creveritis in hæreditatem, ut eo quocumque pervenire „ tenditis, viaticum vobis largiter ſuppeditare poſſit. Ea eſt „ autem mi *Hadriane*, rerum humanarum conditio, quam ex- „ perientia quotidie magis magiſque cum noſtro damno cogno- „ ſcere nos neceſſe eſt. Nihil hic habemus proprium vel per- „ petuum. Debemus morti nos noſtraque. Quamobrem quæ „ accidunt neceſſe eſt ut feramus, ſubſidiumque & ſolatium „ a prudentia quæramus, amicoſque & patronos parentum „ amiſſorum loco ſurrogemus. Illorum enim etſi minus natu- „ ralis non minus tamen ſolida & jucunda eſt amicitia, ſi quis „ delectum in recipiendo adhibeat. . . . Patavii X. Calend. „ Januarii an. 1532." *Ex tom. 2. p. 59. Vſa.* Obiit *Adrianus Marius* an. 1568. tumulatus Mechliniæ in æde B. Mariæ.

(3) NICOLAUS NICOLAI] communiter appellatus *Nicolaus Grudius* ſeu Lovanienſis, frater *Adriani Marii* ut jam diximus. V. *Valer. Andr. in biblioth. Belg.* ubi ejus lucubrationes recenſet, & dicit eum *Carolo V.* ac *Philippo II.* fuiſſe a conſiliis, quod nullibi reperi, nec ſcio eum in ullo Conſilio Belgico locum tenuiſſe. *Viglius* hoc Num. Secretarium Conſilii Statûs vocat. Sed conformiter ad catalogum Secretariorum in *Suppl. Butkens tom. 1. p. 190.* dicendus eſſet Conſilii privati ſecretarius, ita enim ibid: *N. Nicolay, fut ſecretaire du meme Conſeil privé l'an.* 1542. Verùm in utroque Conſilio, prout hodiedum, ſecretarii munere functus fuerit. Vir fuit, ut eſt apud *Val. Andr.* induſtria efficaci & fide ſumma, & potentiſſimæ cujuſdam auctoritatis. Obiit Venetiis an. 1571. eò Reip. cauſa profectus. In libello: Toiſon d'or tom. 1. p. 198. dicitur *ſecretaire du Conſeil d'Eſtat & Adjoint du Greffier* (de l'ordre de la toiſon d'or) *Blioul avec future ſucceſſion en* 1540. Porro ejus obitus ibi ſtatuitur ad an. 1570. Is de Reginæ *Mariæ*, primariique iſtius Senatus, quem illi Statûs vocabant, mandato, ad *Viglium* ſcripſit de conditione ſanctioris Conſilii, ad quem ſtatim reſcripſit in hæc verba: „ Ego mi *Nicolae*, jam pridem ita „ animum induxeram peneque obfirmaram meum, ut in præ- „ ſenti vitæ inſtituto, quoad liceret, perſiſterem. Quod vi- „ delicet cum optimarum artium ſtudiis conjunctum, & tran- „ quillitatem ſummam, & minime aſpernandum ad tuenda „ aliquando ſenectutis incommoda viaticum, ne quid de „ omnium jucundiſſimo literarii otii fructu memoriam nobis

„ ali-

„ aliquam posteritatis subinde ex lucubrationibus pollicentis, „ dicam, suppeditat. Secundo vero loco si ex hoc forte portu „ aliqua me tempestas propelleret, sive patriæ vicinarumve „ regionum desiderium, quod cum ætate aliquando renasci so- „ let, me revocaret: ad tale mihi inprimis connitendum esse „ munus statuebam, quod ab Reip. curis periculisque remo- „ tum, in jurisdictione civiliumque causarum cognitione po- „ tissimum consisteret. Cujus etiam aliquam mihi spem Ra- „ tisponæ *Boisotus* noster excitarat, ut si vellem in Mechlinien- „ sis judicii curiam aliquando cooptarer. Quamobrem ubi ex „ tuis literis ad eam me adsciscì functionem intellexi, qua „ publici status gubernatio præcipue isthic constat, ut & au- „ lam Reginæ comitari, quotidianisque provincialium queri- „ moniis, vel obeundis peregre legationibus operam dare ne- „ cesse fuerit: ut verum fatear, nonnihil mens ad ejus con- „ ditionis nuncium exterrita fuit. Præsertim cum meæ quo- „ que conscius tenuitatis, mox illud etiam subvererer, ne ut „ maxime velim conerque, eum tamen quem a me expecta- „ bis usum in rebus tantis præstare nequeam. Cum jam & „ Gallicæ linguæ, cujus præcipuus isthic est usus, pene obli- „ tus sim, nec Germanicæ valde gnarus, ac in una Latina „ lingua proximis annis me exercuerim, non quidem ad istam „ literatorum hominum elegantiam, sed ad quotidianum tan- „ tum docendi consulendique usum. Unde non immerito ad „ tanti muneris splendorem ex scholastica hac umbratilique „ vita oculos vix ausus fui attollere. Adhæc cogitabam, ut „ non omne quod splendet aurum est, sic nec amplas istas ac „ in specie luculentas conditiones æquam semper sumptibus, „ laboribus, curisque ac periculis adferre mercedem. Quam- „ obrem si meo ingenio obsequi liceret, mediocrem hanc „ fortunam, in qua procul ab Jove ac fulmine centenos ta- „ men aliquot (*aureos*) annuatim comparcere possum, haud „ illubens præferrem. Verùm è contrario tua ac *Hoxvirii* „ nostri aliorumque amantissimorum hominum autoritas me „ non leviter movit. Et parentis ac propinquorum desìde- „ rium, qui sæpius ad ambiendam conditionem aliquam in „ inferiore Germania suasores fuere, omnino nequeo con- „ temnere. Itaque dum mecum diu dubius subsisterem quam „ in partem potissimum inclinare deberem, res ipsa tandem „ consilium suggessit" &c. nempe ut ipsemet isthuc sibi profi- ciscendum putaverit, uti supra vidimus, successu minime pœ- „ nitendo. *Ex tom.* 3. *p.* 324. *Vsa.*

(4) CAROLUS BOISOTUS] In libello cui titulus: *Les tombeaux des hommes illustres qui ont paru au Conseil privé du Roy Catholique au pays-bas, depuis son institution de l'an.* 1517. *jusques*

aujourd'huy, a Liege 1673. hæc lege pag. 31. *Meſſire Charles de Boiſot fils de Didier treſorier de Madame Marguerite d'Auſtriee, & de D. Joanne de Salome, fuſt Conſeiller du grand Conſeil l'an* 1531. *& depuis pourveu de l'eſtat de Conſeiller des Conſeils d'Eſtat & Privé de l'Empereur Charles V. en l'an* 1538. *Il mourut a Ratisbone en Allemagne l'an.* 1546. *laiſſant un fils Charles auſſi Conſeiller du Conſeil Privé, de ſa femme D. Marguerite de Taſſis fille de Meſſire Jean Baptiſte Chevalier, & de D. Chriſtine de Wachtendonck. Il giſt a Malines en l'Egliſe de S. Jean, ſa Tombe contenant ſes armes & ſes quartiers. In ſuppl. Butkens tom.* 1. *p.* 108. notatur obitus ejus ad diem 10 Decemb. 1545. Porro *Carolus Boiſotus* Imperatorem *Carolum* perpetuo ſecutus eſt in itineribus ſive in Hiſpaniam, ſive in Germaniam, ut eſt *in ſuppl. cit.* ubi pro elogio additur: *C'etoit un perſonnage de bonnes moeurs, d'une rare prudence & de bon conſeil.*

XLII. (1) QUO PACTO SE AB INGOLSTADIENSI CONDITIONE EXCUSARET] Et multa & varia quinquennii tempore *Viglio* diſplicuerunt in conditione *Ingolſtadienſi*, quæ luculenter & per querelam, ſed minime ingratam, expoſuit *Leonardo ab Egks* ſeu *Eck*, Ducis *Bavariæ* Cancellario, & *Ingolſtadienſis* academiæ curatori. Erat is ævi ſui *Cato*, juſtitiæ cultor, rigidi ſervator honeſti. In *Bavaria* nobili genere editus an. 1480. factus eſt an. 1520. *Wilhelmi Bavariæ* Ducis conſiliarius, a quo, uti ab aliis proceribus, in Comitiis Imperialibus adhibitus fuit: & in tumultu famoſo ruſticorum *Salisburgenſium* an. 1525. ſententiam ſuam egregie dixit, ac viginti poſt annos in bello *Smalcaldico* ab ipſo Imp. *Carolo V.* honoratus eſt. Obiit autem Monachii 17 Martii 1550. æt. 70. *V. Pauli Freh. theatr.* ubi plura: ſed hoc proprium ac ſpeciale quod ejus hîc verbis adſcribo: „ Propugnator fuit acerrimus „ antiquæ religionis Romanæ, adeo ut & bona & arces quas „ comparavit amœniſſimas, filio *Oſwaldo* non alia ratione ſal„ va eſſe voluerit, idque firmiſſime teſtamento caverit, quam „ ſi eamdem Religionem perpetuo foveret." *Freh. p.* 826. Ad hunc inconcuſſæ mentis virum, qui ad nullas querelas aut expoſtulationes quicquam reponere ſolitus erat, ſuum ſemper curſum tenens, & favori nihil tribuens aut odio, uti ipſe *Viglius* prodidit: ad hunc inquam, curas ſuas & ſollicitudines detulit: „ Cùm Illuſtriſſimus Princeps Dux Bavariæ *Wilhel„ mus* ſuperioribus diebus literis ad me datis petierit, ut in „ præſenti conditione poſt evolutum conductionis meæ tem„ pus perſiſtere velim, præter ſalarium, ampliorem mihi ejus„ ce obſequii fructum de ſua etiam benevolentia pollicens: „ rem ipſam aliquot diebus mecum deliberate excuſſi. Quo„ niam vero ne Principis aures prolixiore epiſtola offende-

„ rem

„ rem ſubveritus ſui, pancis tantum ad ejus literas reſpon-
„ dendum duxi, uti ex exemplo earum hiſce conjuncto Ma-
„ gnificentia tua cognoſcet. Et quando ab initio de hac con-
„ ditione tecum egi tranſegique omnia, viſum mihi fuit, de
„ eadem rurſus ad te quidquid haberem animi perſcribere,
„ fretus præſertim tua benevolentia: ut te ſcilicet patrono,
„ ac (ſi licet dicere) proxeneta, vel in mea deſideria beni-
„ gnius Princeps conſentiret, vel ſi iis locus dari nequeat,
„ minus ſaltem idem ægre ferret, ſi rebus meis alibi aliquan-
„ do per occaſionem, finito conductionis tempore conſulere
„ inſtituero. Quo autem quæ mea ſit petitio tibi exponam,
„ principio quod ad locum attinet, non parum me ſuperio-
„ re anno collegæ ambitio ac aliorum quorumdam noſtri or-
„ dinis malevolentia, qui ſe & autores & adjutores ei exhi-
„ buerunt, commovit. Nolo hic diſputare cur cedere non
„ debuerim. Sed ad ſuggeſtionem quorumdam Princeps, etſi
„ me loco non omnino depelleret, id tamen quod mihi ſtatu-
„ ta tribuere ſemper credidi, in dubium ejus reſcripto voca-
„ tum eſt: impræſentiarum tantum mihi tum eo loco relicto,
„ ſuſpenſo videlicet ejus rei mutandæ arbitrio. Deinde quod
„ de obeundo viciſſim Decanatus munere reſcriptum fuit,
„ id non modo noſtræ controverſiæ fomitem relinquebat,
„ verum etiam cum cæteris collegis invidiæ odiique mate-
„ riam excitabat. Ego autem ſtudiorum meorum quietem &
„ tranquillitatem in hac potiſſimum conditione quæſivi, id unà
„ tamen tueri cupiens, ne ex conſule (quod dicitur) factus
„ Rhetor, ab equis omnino ad aſinos dejectus viderer. Jam
„ vero ſi mihi contentiones ſuſtinendæ erunt, malim id certe
„ facere in materia uberiore. Nec mihi jam dudum condi-
„ tiones etiam magnæ defuiſſent, ſi non magis gratum duxiſ-
„ ſem philoſophari quam ditari. Cum autem ſic me in hoc
„ munere hactenus geſſerim, ut & fama Academiæ noſtræ
„ non decreverit, & ſolus aliquamdiu omne onus docendi
„ ſuſtinuerim: ſi, quem in præſentia locum obtineo, tam-
„ quam matutinus Juris Civilis ordinarius & Collegii Senior,
„ eum Princeps expreſſo reſcripto confirmaverit: & mihi qui-
„ etiorem hanc conditionem clementer effecerit, & nemini
„ alteri injuriam intulerit. Quod vero aliquid mihi ob præ-
„ teritorum annorum diligens obſequium ac ſervitium ad fa-
„ larium adjici cupiam, movet me maxime quod quum prin-
„ cipio peterem trecentos florenos in auro quotannis mihi per-
„ ſolvi, etſi de trecentis in moneta numerandis obligatio con-
„ cepta fuerit, adjectum tamen ſit in tuæ Magnificentiæ lite-
„ ris, Principem 50 eos florenos, qui quotannis decedebant,
„ cum fœnore compenſaturum, adhæc non poenitendo viati-

„ co donatum me iri. Certe viaticum ſpei ſatisfecit, & ea
„ de cauſa de ſorte 50 florenorum per tres annos non illubens
„ aliquid remiſero, modo non omnino uti fœnore ſic & ſor-
* *lege*: „ te * 50 annorum carendum mihi ſit. Nam eo nomine ne
50 flore- „ tantillum quidem me extra ordinem hactenus accepiſſe non
norum. „ ignoras. Et cum hîc aliquamdiu vacantibus cæteris pro-
„ feſſoribus ego & loco incommodo, nec ſine luculento meo
„ diſpendio conſervandæ utcumque Academiæ noſtræ cele-
„ britati fideliter diligenterque inſervierim: vel ſic videri poſ-
„ ſum aliquid eſſe promeritus, nec iniquum eſſe ut de ſalariis
„ morte & diſceſſu Collegarum vacantibus, mihi diei & æſtus
„ pondus ſoli interea portanti tantulum benigne Princeps ex
„ camera ſolvendum annuat. Quod vero ad tempus renun-
„ ciandæ conditionis pertineret, interea dum de certis annis
„ mecum conventum non erit, id non eſt cur a me rigidius
„ exigatur, quum cæteris ſine aliqua temporis præfinitione,
„ hactenus quando libuit diſcedere, non obſtantibus ſtatutis,
„ impune fere & liberum fuerit. Sed tamen nolim ne in hoc
„ quidem aliquam meam in futurum culpam argui. Et ideo
„ niſi de annis certis conventum fuerit, ad trimeſtre tantum
„ ſpatium obligari velim, cum & eodem pacto ſolutio ſit par-
„ tita. Non deſunt autem mihi aliæ profitendi conditiones,
„ & quidem in orthodoxis Academiis, ad quas majore etiam
„ honorario invitor, ubi & rei patrimoniali commodius inten-
„ dere & parentum adhuc ſuperſtitum deſideriis plenius ſatis-
„ facere queam: ne alia commemorem quæ ego ob literarum
„ amorem & quam mihi duxi uxorem philologiam, hactenus
„ ſprevi. Sed partim ut levitatis notam evitem, partim vero
„ quod huic jam nationi aſſuevi, in qua & Principem habeo
„ clementem, & te patronum valde benevolum, adhæc etiam
„ ob *Fuggerorum* viciniam, qui me ſemper familiariſſime arctiſ-
„ ſimeque ſunt complexi, hinc certe non illubenter in eam
„ deſcendo ſententiam, ut hic longius perſeverem, ſi modo
„ & dignitatis mihi ratio, uti ſupra expoſui, conſtare queat,
„ & quod alibi prolixe offertur, id hic aliquo pacto compen-
„ ſetur. Ipſe autem ſatis animadverto augendi ſalarii exem-
„ plum non temere in Academia admittendum eſſe, nec æra-
„ rium ipſius id ſatis ſemper ferre. Sed rurſus cùm compere-
„ rim de quinquaginta annuis (*florenis*) hactenus inanem me
„ ſpem aluiſſe, interea vero & migrationis me moleſtia offen-
„ dat; non alio titulo poſſe credidi rectius Principem, & ſuam
„ mihi ſine exempli præjudicio clementiam exhibere, & me
„ magis ut illic domicilium conſtituam induci, quam ſi ad
„ domum comparandam pretium mihi donetur. Sic enim &
„ in ſingulos centenos florenos qui in eum mihi uſum tribuen-
„ tur,

„ tur, contentus priore ſalario, in ſingulos quoque annos me „ obſtringere non gravabor. Et hoc tempore vacantibus mul„ torum ſtipendiis non adeo id grave Academiæ noſtræ fue„ rit. Vel ſi hæc ratio diſplicet, quoniam non profeſſoris tan„ tum munus ſuſtineo, ſed Conſiliarii etiam titulum gero: ac „ *D. Franciſco Burkhardo* e vivis ſublato, major forte nonnum„ quam mei uſus futurus eſt, ejus officii nomine citra ullum „ conſequentiæ præjudicium Princeps annuum aliquod hono„ rarium præbere poſſet, ne omnino inanem dignitatem ge„ rere viderer. Quorum alterum ſi Princeps annuerit, & uti „ primis capitibus notavi, loci dignitatisque iſtiusce Scho„ laſticæ poſſeſſionem mihi confirmaverit: in longius tempus „ huic muneri inſervire non recuſabo. Cum vero ad hoc „ tua Magnificentia plurimum adjumenti ferre poſſit, ſi ego „ tibi ea Principis benignitate & clementia dignus videor, & „ meam operam huic Academiæ alicui uſui honorive eſſe pu„ tas, quæſo ut tua commendatione eam rem promoveas at„ que conficias. Sin vero ſecus exiſtimabis: ob eam quam „ ſemper erga me benevolentiam prolixe oſtendiſti, & qua „ *Oswaldo* filio & unicæ ſpei tuæ, amicitia jungor, hoc ſal„ tem efficere non dedigneris, ut bona cum gratia Principis „ alibi meis rebus conſulere mihi liceat. Cum igitur meum „ animum aperte ſatis tibi expoſuerim, quæſo ut quam ad „ Principem eadem de re epiſtolam conjunxi, Clementiæ „ ſuæ, ſi tibi ita videbitur, exhibeas: & quod meis literis „ committere auſus non fui tua ſupplere facundia non grave„ tur. Bene vale Ingolſtadii 15 Aprilis 1540." *Ex tom. 3. a p. 194. Vſa.* Nihil horum obtinuit *Viglius*, uti ad Doct. *Wolfgangum Hungerum*, poſtquam jam Bruxellas conceſſerat, expreſſis ſcribit verbis; „ Delata eſt, *inquit*, conditio cum pri„ mis ſplendida, Conſularis videlicet dignitatis in ſupremo „ hujus Belgicæ provinciæ ſenatu, & Magiſtri libellorum ſup„ plicum. Quo honore *Budæum* in Gallia functum memi„ niſti. Scholaſticum autem illud munus etſi non ſine qua„ dam animi voluptate ob quotidianum literarum & eruditionis fructum incrementumque ſuſtinebam: numquam ta„ men perpetuo id ſaxum volvere umquam decreveram. Et „ impleto ordinariarum lectionum curriculo ſatis me mate„ riæ complexum exiſtimo, quod ad aliquam ſpem editionis „ per otium aliquando expolire poſſim. Non habet autem „ Magnificus patronus noſter quod de meo præpropero abitu „ indignetur, cum ad nullos annos nullisque literis aut pro„ priis aut Principis poſt effluxum triennium aſtrictus fuerim, „ & ea quæ ut iſthic longius manerem promiſſa erant, nec „ ut Principis literis confirmarentur, impetrare potuerim,

„ & jam ut me aliquando conquerentem audisti, negari, vel „ ita certe differri inciperent, ut carere, quàm toties fru- „ stra petere, mallem..... Ex Bruxella 29 Aprilis an. 1542." *Ex tom. 4. p. 356.*

(2) LITERIS EXCUSATIONIS SCRIPTIS] Non reperi nisi tres. Unas ad *Leonardum ab Egks* apud quem simulat se fortuito evocatum ad Reginam *Mariam*; tum expostulat, denique blanditur, & tandem, oblatis officiis, humane, comiterque pro more suo receptui consulit. Alteris commendat se *Oswaldo* filio, ut is patris animum mitigaret. Et tertiis collegæ *Sebastiano Lynckio* justam ac necessariam mutatæ conditionis causam aperit, *Leonardo Marstaller* & *Joanni Eckio* theologis *Ingolstadiensibus* communicandam; id maxime omnium curans, ut illorum seu testimoniis seu deprecationibus & Principis & Cancellarii *Leonardi* bonam gratiam retineret. Porro ad Cancellarium hæc verba, quibus se purgaret, misit: „ Cum Spirâ, discedens Magnifice patrone, ac „ Dne plurimum observande, felici itinere in inferiorem „ Germaniam advenissem, de reditu meo certior facta Re- „ gina *Maria* harum provinciarum patrisque meæ Regens „ confestim ad se in aulam accersivit. Ac ibi, quod ante „ aliquot annos amici quidam sedulo sæpe sed frustra mihi „ persuadere conati fuerant, id illa serio a me flagitare cœ- „ pit, ut tandem videlicet animum ad patriam adjicerem, „ operamque meam Cæsareæ M. atque ipsi deinceps impende- „ rem. Conditionem autem mihi obtulit cum primis splen- „ didam, in supremo videlicet omnium harum Provinciarum „ Senatu. Reluctantem vero me & varias excusationes adfe- „ rentem, parens etiam meus jam vidnus ac senex, item „ propinqui amicique omnes adortati sunt, obstinatam hanc „ meam sententiam evincere conantes, & inter hæc cœlibem „ tamdiu vitam, & peregre hactenus quæsitas conditiones ex- „ probrantes. Cum patriæ primus debeatur honor, ac amor, „ ejusque obligatio ac pietas non modo quolibet vinculo for- „ tior esse debeat, sed quamcumque etiam extraneæ condi- „ tionis obligationem dissolvat. Ne vero diutius refragari pos- „ sem Reginæ etiam auctoritatem in me velut subditum ex- „ citarunt. Cum igitur rem hanc altiore cogitatione mecum „ expenderem, non potui non principio in eam inclinare „ sententiam, ut aliquando mihi in patriam solum remigran- „ dum ducerem, ac ibi navem sisterem. Cum vero jam „ ætas maturescat mea, quod semel facere constituri tem- „ pestive aggrediendum mihi esse animadverti; præsertim „ cum me jam scholasticorum laborum tædere incipiat. Nul- „ lo autem tempore opportunius me posse desistere putavi, „ quam

„ quam nunc cum nova advenientis Doctoris *Nicolai* * gloria
„ Academiæ celebritatem facillime retentura videbatur. Et
„ cum alii plerique professores Principis commendatione ad
„ meliores conditiones promoti sint, quidam etiam ad exte-
„ rorum Principum servitium commigrantes, eam tamen re-
„ tinuerint gratiam, ut postea iterum reciperentur: cur ego
„ in patria ad eximiam dignitatem ultro vocatus, ac tot no-
„ minibus compulsus, factum meum, sive a Principe, sive
„ abs te reprehensum iri metuam? Præsertim cum triennii
„ jam dudum expleto tempore nullis conductionis literis sive
„ munitus sive astrictus sim. Adhæc quædam oculis meis spi-
„ na inhæreat, quæ etiam nulla mihi nunc in patria manen-
„ ti oblata sive incidente occasione aut necessitate: quadam
„ tamen me solicitudine ne alio aliquando cogitationes fle-
„ ctere cogerer, afficeret. Tam multis igitur me impellen-
„ tibus causis ignosces quæso mi Patrone, quod Reginæ, quod
„ patriæ, quod parenti, quod propinquis, quod amicis obse-
„ qui coactus, scholasticam functionem relinquam. Quod
„ quo benigniore Illustrissimi Principis mei Ducis *Wilhelmi*
„ gratia facerem, ipsa Regina pro me unà intercedit, meæ-
„ que supplici epistolæ suas etiam preces adjecit. Cum ve-
„ ro Principi leviter tantum sim notus, ac ex te ea res po-
„ tissimum pendeat, te mi Patrone oro atque obsecro, ut
„ hoc factum meum æqui ac boni consulas, ne hac ex cau-
„ sa tuum a me favorem avertas. Et quoniam in quintum
„ annum citra ullam reprehensionem isthic servivi, id unum
„ precor ut pro suprema mercede Principis testimonio obse-
„ quium meum vicissim Reginæ commendetur. Vel si hoc
„ impetrare non mereor, ut ne ab amore Academiæ *Ingol-*
„ *stadiensis* ulla indignatione animum meum repellere velitis.
„ Faveo enim ego plurimum profecto ei scholæ, idque lite-
„ raria monumenta mea publice aliquando testabuntur. Et
„ quoniam eam semper florentem manere vehementer opto,
„ si quos aliquando hinc professores requiretis, aut ulla alia
„ in re meam operam desiderabitis, id maxime allaborabo,
„ quo meum studium perpetuo cognoscatis. Quod si quæ-
„ etiam unquam dabitur occasio, Illustrissimis Bavariæ prin-
„ cipibus summa semper promptitudine devotioneque obse-
„ quium meum exhibebo. Cum tua autem benevolentia quum
„ paria facere numquam possim, voluntatem tamen numquam
„ mihi defuisse senties. Ac utinam *D. Oswaldum* aliquando
„ ad has regiones videndas expatiari sinas: quo in ipso osten-
„ dam non modo quantum illum amem, sed & quantum ti-
„ bi debeam. Bene vale & me ama, ac benignam mihi a
„ prin-

* de quo hæc alibi Viglius: *Ad lectionem juris Canonici revocatus est, non contemnendo stipendio, Nicolaus Everardus cognomento Frisius, qui se non illaudabilem olim hic professorem exhibuit, multisque annis Imperiali judicio assedit. Ex Ingolstadio 25. Feb. 1542.* Ex tom. 4. p. 340. Val. Andr. hunc dicit Amstelodami natum. *Viglius* constanter eum vocat *Frisium.*

„ principe gratiam impetra, atque ipſe mihi concede. Bruxel-
„ læ pridie Cal. Maii an. 1542." *Ex tom.* 4. *a p.* 360.

XLIII. (1) ALGERA] De hac infauſta expeditione anni 1541. videri poſſunt hiſtorici paſſim & ſignanter. *Pontus Heuterus rer. Auſtr. lib.* 11. *cap.* 15. *& Spondanus ad an.* 1541. *n.* 8. *Viglius Hayoni a Camminga* hæc verba miſit: „ Aphricanæ
„ expeditioni nollem te interfuiſſe, vix enim ex iis qui Cæ-
„ ſaris ſtipendia ſecuti ſunt, tertius quisque incolumis huc
„ rediit, nec erat his opus tam longe hoſtem quærere, cum
„ domi ac in ipſo Germaniæ limine is adeſſet, *Budamque* ac
„ totam pene *Ungariam* in ſuam poteſtatem redigeret. . . . .
„ Ex Ingolſtadio 25 Februarii an. 1542." *Ex tom.* 4. *p.* 343.

(2) MARTINUS ROSSEMIUS] famoſiſſimus belli dux. Vide *Pont. Heut. rer. Auſtr. lib.* 11. *cap.* 16. *& 17. Pontanum hiſt. Geldr. lib.* 11. *fol.* 745. *& ſeqq.* & de ejus obitu lib. 13. fol. 866. *Lamb. Hortenſ. Rer. Ultraj. lib.* 6. &c. Quam cladem ille Brabantiæ intulerit prodidit *Viglius*, non ſine rubore, in epiſtola ad *Georgium Hermannum tom.* 4. *p.* 386. *& ſeqq.* „ Ex
„ Gelria in Brabantiam irrupit *Martinus a Roſſem* mariſchalcus
„ Ducatus Geldriæ, cum peditibus 14000. equitibus 7000.
„ Regis Franciæ ſtipendia profitentibus: unde huic provin-
„ ciæ graviſſimus metus exortus eſt, ac principio Antverpiæ
„ tanta orta trepidatio, ut niſi confeſtim Proceres aliquot eo
„ miſſi, equitesque ac pedites ingreſſi eo fuiſſent, de urbe
„ omnium opulentiſſima in ſummum diſcrimen veniſſemus.
„ Nec enim tantum hoſtium vires timebantur, quantum do-
„ meſtica aliqua proditio, qua *Martinus* inprimis fretus fuit:
„ Verùm propitio Deo ita cuncta intra urbem conſtituta fue-
„ re, ut hoſtis urbem accedens quum ſpe fruſtratum ſe cer-
„ neret, alio mox caſtra moverit. Cum vero Regina Mech-
„ liniam conceſſiſſet quò ex propinquiore loco rebus com-
„ modius conſuleret, contra appropinquantem eò hoſtem mi-
„ litem evocare, urbisque tuitioni incumbere neceſſe habuit.
„ Verùm hoſtes obvia quæque incendio conſumentes Lova-
„ nium abiêre, atque ibi cum nulla præſidia eſſent, quidam
„ cum hoſtibus paciscendum putavere: Sed reſtitit melior
„ civium pars, ſcholarium adjuta auxiliis, hoſtilesque impe-
„ tus fortiter ſuſtinuit. * *Damianus* tamen *a Goes* Portugal-
„ lenſis, cujus mihi olim de *Dio* hiſtoriam donaſti, ibi captus
„ eſt. Inde vero hoſtis caſtra ad Hannoniam vertit, quò in
„ Franciam pervadens conjunctis copiis Belgicam hanc pro-
„ vinciam denuo adoriatur. Nobis autem non tam miles quàm
„ animus deficit: quanquam hactenus copias noſtras diſper-
„ ſas In unum colligere non licuit, quò graſſantem incendiis
„ rapi-

* V. Aub. Miræi ſcript. Sec. XVI. in edit Fabricii p. 151.

„ rapinisque hoſtem cohiberemus. Nec dici ſane queat quanta damna parvo tempore huic regioni illata ſint. Accedit „ dedecus ac periculum metusque longe maximus, ut ipſe „ ſane hanc, ſive levitatem ſive tarditatem, ſatis deteſtari „ nequeam. Equitum fere quinque milia habemus, peditum „ plusquam triginta, ac in his ex ſuperiore Germania duo„ decim milia. Hanc autem formidinem auxêre principia „ non ſatis auſpicata. Nam princeps Auriacenſis Comitis „ quondam *Henrici ab Naſſou* filius in hoſtilem exercitum Ant„ verpiam adventantem imprudenter incidens duo pene pe„ ditum milia amiſit. . . . . Bruxellæ 5 Auguſti 1542." En ejus epitaphium honorarium ex Sweertio:

Pontan. hiſt. Geld. lib. 12. p. mihi 827. & Pont. Heut. Rer. Auſtr. lib. 11. cap. 17.

Martinus Roshemius Geldrenſis, primò Galliarum regis, deinde Caroli V. dux. H. R.

Quis fuerim, longo non eſt opus edere verſu,
Quod ſubit, hoc uno carmine ſcire potes.
Fulmen eram belli, ferro graſſabar, & igni
Oppida militibus diripienda dabam.
Id ſatis eſt; teſtes Belgæ, Morinique remoti,
In mare quà Scalde, Dilia, Moſa fluunt.
Illa viris opibusque potens Antverpia teſtis,
Quæ mihi victrici pene ſubacta manu eſt.
At ſibi me ſicut tunc Gallia ſenſit amicum,
Sic eadem clades me tulit hoſte graves.

(3) DUCIS CLIVENSIS CONSPIRATIONES] detegendæ erant: negabantur enim. Hac de re *Viglius* ex *Neuremberga* quo de Reginæ *Mariæ* mandato conceſſerat, ſollicitè ſcribit ad *Philippum Nigri* tunc ſanctioris, ſeu, ut nunc loquimur, *Privati* Senatûs Conſiliarium. „ Illud mihi inprimis mo„ leſte, *inquit*, accidit, quod jam pene confecto itinere ac „ Spiram uſque progreſſus, primùm cognovi ab Rege Rom. „ tempus conventus Nurembergenſis in 13. hujus menſis diem „ prorogatum. Dum hic tamen hæreo, ac iis quæ agenda pro„ ponendaque publice ſunt, incurabo, incidere quædam, quæ „ mihi videntur non leviter cauſam noſtram adjutura eſſe. Quæ, „ dum graviſſimas Magnifici D. Præſidis (*Ludovici de Schore*) „ occupationes interturbare vereor, ad tuam D. referenda pu„ tavi: ac inprimis illud quod intellexi ante *Martini a Roſſem* „ in Brabantiam irruptionem, Cancellarium Ducis Clivenſis „ *Olyslager* ad quemdam propinquum ſuum Antverpiæ habi„ tantem literas dediſſe, quibus quid Antverpiæ immineret tem„ peſtive indicaret, moneretque ut rebus ſuis conſuleret: has „ autem literas Senatui Antverpienſi oſtenſas eſſe. Quæ ut

„ mihi videtur non leve argumentum inter cætera allaturus
„ sunt, id quod nunc dissimulabat, ac adhuc tanta obstinatio-
„ ne Dux pernegat, Cancellarium suum tum non lusisse.
„ Egi etiam sæpe de eorum, qui de Gandavi atque Antver-
„ piæ ob proditionis suspicionem capti fuere, confessionibus.
„ In quibus, quantum ego mihi persuadeo, non possunt non
„ esse aliqua nostræ causæ accommoda, quæ eo diligentius
„ sunt perquirenda, quo illum adversarium nostrum animad-
„ vertimus pertinacius hanc a se culpam amoliri. Quæso igi-
„ tur ne graveris hæc per occasionem atque otium inquirere
„ ac ad me mittere: ut si ea primæ propositioni inserere no-
„ queam, cum tamen adversarios gravem in nos querimoniam
„ apparare intelligam, liceat postea eò melius objecta rese-
„ lere. Forte vero illi ab ovo repetituri sunt quæcunque ac-
„ cidêre ab cœpta Gelriæ controversia. Quamobrem non abs
„ re foret de iis me quoque aliquo pacto instrui. Ac ipsa Re-
„ ginalis Majestas abeunti (*mihi*) de latinis literis ad Gan-
„ davenses olim per Ducem destinatis quædam retulit. Ac
„ alia dubio procul multa sunt quæ in Ducem licebis regerere,
„ si criminari nos cœperit, Movit ille jam antea nobis apud
„ Principes Ordinesque Imperii magnum odium, & nisi undi-
„ que nostram causam communiverimus, verendum neilli ma-
„ gis quàm nobis applaudant. Multum tamen in ipso succesu
„ situm est, de quo valde sum solicitus. Nam si eadem quæ
„ nostris in vincendo fuit prosperitas, erit quoque in retinen-
„ dis iis quæ parta sunt: altiore voce nobis proloqui licebit.
„ Gratissimum itaque mihi erit si de Reip. statu, occupato, im-
„ peditove Magnco. D. Præside ex T. D. literis aliquid subinde
„ intelligere mihi liceat. Bene vale Dne. in majoribus ob-
„ servande. Ex Nuremberga Calend. Decemb. 1540. „ *Ex tom. 4. p. 401. Vsa.* In Marquardi Freheri Rer. Ger. Script. recognitis a Bern. Gotthl. Struvio tom. 3. p. 315. habes.: *Geldro Gallicam conjurationem in totius Belgiæ clarissimam civitatem Antverpiam duce Martino Rosbeymio, conscriptam ad prudentiss. vigilantiss. Coss. Senatumque Antverpien. authore Joanne Servilio.* De quo auctore *V. Val. Andr. in bibl. Belg.*

(4) NOVUM-FORUM] *Neumarck* vetus exiguum oppidum Germaniæ. *Novoforum*, antiquitus *Devena*, situm in palatinatu Bavariæ in confinibus Franconiæ, novem aut decem leucis distans Ingolstadio. *Diction. de Trevoux.*

XLIV. (1) IVODIUM] *Ivoy.* Vetus castrum in territorio Trevirensi inquiunt auctores Dictionarii *Trivoltiani.* Sed forte dictum voluerint: *in dioecesi Trevirensi* quæ se extendit in agrum Luxemburgensem. Nisi enim *Ivodium*, sive castrum sive oppidum, in Ducatu Luxemburgensi situm sit, non erat

quare

quare Regina *Mariæ* Belgii gubernatrix de illo recuperando solicita esset, ut ut a Gallis fuisset occupatum.

(2) COLONIENSIS ARCHIEPISCOPUS.] *Hermannus* Comes *de Wida*, idem ille de quo supra ob præposteram *Vigilii* narrationem egimus.

XLV. (1) LUDOVICUS PRATENSIS.] Obscurè sanè indicatur vir magni nominis LUDOVICUS A FLANDRIA Ludovici filius, Ludovici nepos, Joannis pronepos, Ludovici cognomento Frisonis abnepos, Ludovici comitis Malani vel Maleani, a Male pago arceque non procul Brugis, ac XXIV. Flandriæ comitis atnepos ex nobilissimus Blander, doctrina legationumque ac rerum pro Cæsare Carolo V. gestarum gloria notissimus; Dominus a PRATT *Woestine*, *Woeste*, *Elverdinghe*, *Vlamertinghe* &c. Annis aliquot, & repetitis vicibus, dignitatem gessit prætoriæ Brugensis, Franconatum & Gandensis, Eques deinde factus aurei velleris, atque a Consilio Status. Secundus Cæsaris Cubicularius, & Finantiarum præfectus fuit, vulgò *Chef des Finances*, ut est in Catalogo *tom.* 1. *Suppl. Buskens p.* 199. Gubernator etiam Hollandiæ, Zelandiæ, Ultrajecti pro Carolo V. anno 1544. fuit electus *Renato Chalonio* Principi *Aurangiæ* inquit *Suffr. Petri in append. ad Bekam p.* 190. Consonat *Van Leeuwen in Batav. illustr. p.* 1387. Ductor Equitum gravis armaturæ ac præfectus majoris arcis *Sluisinæ*. Obiit Bruxellis anno 1555. Sepultus in *Hualtere* pago suo, qui est inter Gandavum & Brugas medio fere intinere situs. Ita fere *Sanderus in Flandr. illustr. tom.* 1. *novæ edit. p.* 368. Vide etiam p. 29. & *tom.* 2. p. 172. Ejus Epitaphium lingua vernacula exaratum habes in libello cui titulus: *Le Mausolée de la Toison d'Or ou les tombeaux des Chefs & des Chevaliers du noble ordre de la Toison d'Or.* 8. *p.* 148. *Vigilius* levem aliquam olim cum *Ludovico* notitiam contraxerat, dum is *Patavium* transiret, & ille jus ibi civile profiteretur: a quo perquam humaniter exceptus, cum incidisset sermo de professoribus & studiis juris, ab eo monitum accepit, longe eos rectius operam suam locare qui jurisprudentiam a fontibus suis repeterent, quàm qui commentariorum sese acervis involverent. Cui dicto obsecutus *Vigilius*, cum postea a *Petro Bembo* accepisset *institutiones* Imperiales Græcas quæ ad ipsos fontes pertinent quàm maximè, & quas edere maturabat cum nuncupatione ad Cæsarem *Carolum V.*, *Ludovici* auxilium & suffragium imploravit, qua scilicet officium suum ejus commendatione ornatum gratius Majestati suæ existeret. Hanc in rem epistolam ad eum e Patavio dedit anno 1533. quam inscripsit: *Ludovico a Prato*, more scilicet ævi sui, quo passim vocabula vernacula nomina Virorum propria, Latina faciebant,

ciebant, quem morem a ſeculo noſtro exulare, & commodum exiſtimo & rectum. Quis enim facile dignoſcat hominem quem depinxi, ex jejuna appellatione & peregrina *Ludovici Pratenſis* vel *a Prato?* In citata epiſtola ſua ita virum, demulcere eum ſtudens, affatur: „ ſcio quanta an„ thoritate polleas, cum Cæſar non modo in graviſſimis „ quibusque negotiis tuo conſilio, verum etiam in iis quæ „ ad literas pertinent tuo judicio plurimum tribuere ſoleat, „ idque merito, cum non ſolum ſis prudentiſſimus, ſed etiam „ doctorum bonorumque omnium ingeniorum ſingularis fautor „ ac Mecœnas." *Ex tom.* 1. *p.* 201. *& ſeq.* Etiam *Sanderus ſup. cit.* eum & heroem & Mecœnatem vocat ac teſtatur, *epiſtolas multas* doctiſſime & latiniſſime ad doctos & illuſtres viros ſcriptas eſſe a *Ludovico a Flandria Domino a Praet &c.* quarum aliquæ exſtent. Huc pertinent quæ ſcribit *De l'Eſpinoy de la nobleſſe de Flandre pag.* 68. „ Louys Comte de Flandres, dit „ de Maele . . . eut auſſi pluſieurs fils baſtards, tous vaillans „ & très hardis Chevaliers, à ſçavoir Meſſire Louys de Flan„ dres, dit le Frizon, lequel eſt fort recommandé par toutes „ les hiſtoires pour un ſage, vaillant & tres redoubté Che„ valier, auquel ledit Comte donna en advancement de ſon „ mariage avec Dame Marie de Guiſteles, Dame de Zwe„ veghem, & de Roſebeke, les terres & Baronies de Praet „ & de la Woeſtine." *V. pag.* 80. & 185. & *Vredium dans les preuves de la geneal. des Comtes de Flandre ad tab. XVI. p.* 276. *& ſeqq.* Cum pluribus eum teſtamenti ſui executorem nominavit Renatus princeps Auriacus. Atque anno 1543. unus fuit e deputatis Cæſaris Caroli V. ad pacem cum Wilhelmo Juliæ Cliviæque Duce pangendam. *Groot Placc. B.* 4. *D. p.* 31. *col. a.*

XLVI. (1) VIRICUS BARO IN CRICHINGEN] Quis ille ſiet fruſtra quæſivi. Aulicus fuerit Reginæ *Mariæ* Belgii Gubernatricis, qui tamen in hac legatione primas tenuit. Ita *Viglius* ad *Nicolaum Perenottum Granvellæ* Dominum e Nuremberga: *Collega datus ſum Baroni a Chrychingen. tom.* 4. p. 421. Vſa. Et *Pontanus in Hiſt. Gelr. pag. mihi* 828. 829. legatos Reginæ ad Regem *Ferdinandum* nominat *Virichium Criechium* & *Viglium Suichemum.* In Catalogis Conſiliariorum aulicorumque aulæ Bruxellenſis non reperi hunc Baronem.

(2) DUCIS CLIVENSIS MATER] *Maria* filia & hæres *Guilielmi* Ducis Juliacenſis & Bergenſis. *Bertius Rer. Ger. lib.* 2. Hæc virilis animi fœmina, cognitis pactionis cum Cæſare legibus, a filio *Guilielmo II. Cliviæ* Duce initis anno 1543. concepto animi dolore e vita velut indignabunda excedens, eodem anno humanis valedixit. *Pontan. rer. Gelr. lib.* 12. *mihi p.* 832.

(3) NI-

(3) NICOLAUS PERENOTTUS] natus e Beſontione, vel Veſontione Sequanorum Commitatus Burgundiæ urbe Imperiali, familia honeſta, ſed plebea, continuis viginti annis Cæſari a ſecretis conſiliis fuit. Vir magnæ prudentiæ, & ob ſummas ingenii dotes, & judicii acrimoniam Cæſari cariſſimus & arcanorum omnium conſcius, qui anno 1550. Auguſtam ad Imp. accedens, longo conflictatus, ſed non vehementi morbo, ſenioque confectus, laboribus curisque exhauſtus menſe Auguſto ibidem e vivis exceſſit, laudatus a *Jac. Aug. Thuano hiſt. lib. 6. Ponto Heut. rer. Auſtr. lib.* 13. *cap.* 3. *Pontano hiſt. Gelr. lib.* 13. *Paulo Freber. in theat. aliisque.*

(4) ASSERTIO JURIS] Hoc opuſculum præ manibus habeo cujus titulus: *Aſſertio juris Imperatoris Caroli hujus nominis Quinti, in Geldriæ Ducatu & Zutphaniæ Comitatu, edita in Comitiis Ratisbonenſibus anno M. D. XLI. & Confutatio oppugnationum Guilielmi Cliviæ Ducis Franckfordiæ exhibitarum. Anno* 1539. *Antverpiæ Excudebat Martinus Meranus anno* 1541. Ad calcem habetur: *ad exemplar Joannis Petrei, Nurembergæ impreſſum.* 12. pagin. 61. Sunt qui hunc libellum *Viglio* adſcribunt. Male. Neque enim legatus fuit ad comitia Ratisbonenſia anni 1541. ſed ad Nurembergenſia anni 1543. Et ipſe adhuc Ingolſtadii docens jus Civile, hæc ad *Hectorem Hoxvirium* ſcripſit: „ Prodiit nuper „ Cæſaris juſſu Nurembergæ excuſus liber, Cæſarei juris in „ eo Ducatu (*Geldriæ*) aſſertionem continens, qui mihi non „ diſplicet." Ex Ingolſtadio 23. Julii 1541. *tom.* 3. *p.* 285. *Vſa.* Porro *Viglii* confutatio libelli, quem Ducis *Clivenſis* legati oppoſuerant *Aſſertioni juris Imperatoris*, mihi hactenus viſa non eſt.

(5) DURA EXPUGNATA] Anno 1543. De qua re, & de famoſa *Gelriæ Zutphaniæque* ceſſione vide *Pont Heut. lib.* 11. *Cap.* 21. *Pontan. lib.* 12. *& Haræi annales ad hunc annum.*

XLVII. (1) NOMINAVERE] Hic mos perdurat, & Senatus Mechlinienſis ad ſingula loca Conſiliariorum vacantia tres Jurisconſultos proponit (*Nominationem* vocant) Principi, aut Belgii gubernatori, qui ex illis unum eligere tenetur: quod privilegium nuper aliis quoque Conſiliis judicialibus conceſſum eſt.

(2) MECHLINIAM MIGRAVIT] menſe Junio, ita enim die duodecimo ejuſdem ſcribebat *Hectori Hoxvirio*: „ intra „ biduum Mechliniam me conferre decrevi, ab publicarum „ rerum cura animum quoad licet abducturus." *tom.* 4. *p.* 455. *Vſa.* De conditione *privati* Conſilii ad eundem anno ſuperiore ita querebatur: „ Hic mihi, quod omni in re ſolet princi„ pia ipſa moleſta ſunt. Diſcenda quippe iterum lingua Galli„ ca, itemque Brabantica, deinde etiam ad negotia quæ in „ iſto Senatu tractantur parum ſum aſſuetus. Sed omnium hoc

„ moleſtiſſimum eſt, ab Scholaſtica illa libertate ad hanc pur-
„ puratorum ſervitutem animum traducere, præſertim cum
„ ab omni ambitione, oſtentatione ac fuco ſemper abhorrue-
„ rim. Accedunt quoque ſumptus ſalario majores, ac cum
„ *Gerardum Mulertum* noſtrum, cujus in hac aula non minima
„ fuit authoritas, proprii etiam patrimonii non levem jactu-
„ ram feciſſe intelligam, vereri quoque ipſe incipio ne alibi
„ labore parſimoniaque partum hic rurſus cogar prodigere.
„ Nam & ſalaria ipſa tarde admodum perſolvi audio, & hoc
„ ipſo in limine experior. Etſi enim Regina ducentos flore-
„ nos in itineris expenſas mihi numerari mandaverit, video
„ tamen aliquod menſibus mihi cum quæſtore negotium fore
„ priusquam eos conſequar." *Ex tom.* 4. *p.* 370. Eidem por-
ro Mechlinienſem ſibi conditionem gratulanti in hæc verba
reſpondit: „ Gratulatio tua *Hoxvyri* clariſſime, jucundiſſima
„ mihi fuit. Multis certe periculis laboribusque defunctus
„ ſum, & operam meam *Grandvellanus* gratam habuit, Cæſa-
„ rique commendaturum ſe promiſit. De Mechlinienſi con-
„ ditione ſcis quodnam meum ſemper fuerit deſiderium, ac
„ errant qui id aliter interpretantur, quum Regina procereſ-
„ que noſtri omnes me ſummopere retinere conati ſint ad-
„ jecta etiam penſionis promiſſione. Cum vero me in ſenten-
„ tia perſiſtere illa animadvertit, non aliter eò ut irem per-
„ miſit, quam ut ſervata conditione Mechlinienſi, quando
„ meam operam requireret, adeſſem. Et niſi penitus conſti-
„ tuiſſem me quieti reddere, haud difficulter me impetratu-
„ rum exiſtimo, ut in Curia permanens, utriuſque loci emo-
„ lumentis fruar. Verum me, ni Rector, aulæ jam pridem
„ ex multis de cauſis, de quibus aliquando coram plura con-
„ feremus, tædium cœpit . . . . . Vale 12. Junii 1543." *Ex tom.* 4. *p.* 455. In catalogo Conſiliariorum Mechlinienſium in *Suppl. Butkens tom.* 2. *p.* 318. ita ſcribitur: *Meſſire Viglius Ayta de Zuichem, Conſeiller Eccleſiaſtique, ſucceda a Meſſire Adrien de Roubais par lettres Patentes du* 21. *May* 1543. *Il fut en après Chef Preſident du Conſeil Privé & Preſident du Conſeil d'Etat.* Male dicitur fuiſſe *Conſiliarius Eccleſiaſticus*, qui ad ſacerdotium animum tunc non adjecit, & anno ſtatim ſequente duxit uxorem, ac non niſi poſt novemdecim annos factus Abbas ac præpoſitus S. Bavonis Gandavi ſacræ militiæ nomen dedit, ut ſuo loco ipſe nos docebit.

XLVIII. (1) JACQUELINAM DUXIT] cujus pater *Petrus Damant*, fuerit ille œconomus ac conſiliarius *Caroli V.* Cæſaris, de quo in *Flandr. illuſt. Sanderi tom.* 1. *p.* 224. *novæ edit.* Atque inde *Jacquelina Viglii* uxor fratrem habuerit *Petrum Damans* Mechlinienſem Jur. Utriuſq. Doctorem, & Epiſcopum

nepotem Gandavenſem III. ſed quem *Viglius* uti talem non conſpexit, creatum nempe annis omnino duodecim poſtquam ille e vivis exceſſerat. Iridem ejus frater fuerit *Nicolaus Dominus* Vice-Comes Bruxellenſis, Toparcha de Ottignies, Baro vel & Olmen, quem Flandrica primum Curia præſidem habuit, dein Brabantica Cancellarium, Hiſpania ſummis Belgarum rebus præfectum, & haec Belgica iterum ſereniſſ. Principibus Alberto & Iſabellae a Conſiliis Status. Et ita quidem ego conjecto. Si recte, Vide de *Petro* & *Nicolao* fratribus *Sander. loc. cit. & Butkens Trophées de Brabant tom. 2. p. 373. nova edit.*

(2.) POGGIUS EPISCOPUS TROPIENSIS] Tropea vetuſta eſt & litoralis civitas ulterioris Calabriae, Epiſcopus ſuffraganeus Archiepiſcopi Rhegienſis. Hic de quo agimus, eſt *Joannes Poggius*, Bononienſis, qui in Hiſpaniam Apoſtolicus Nuntius, & ſpoliorum collector miſſus apud *Carolum V.* Imperatorem diu manſit, & ob egregiam prudentiam charus nimis fuit. Inde in Germania pro fide Catholicae controverſiis eodem munere functus, cum egregiam operam navaſſet, a Julio III. ad Caroli Imp. preces in Cardinalium Collegium cooptatus eſt anno 1551. Obiit Bononiae prid. Id. Februarii an. 1556. Vide *Ciacon. tom. 3. col. 778. & Ughelli Ital. Sac. tom. 8. part. 2. col. 470. novae edit.*

(3) PALATINATUS DIPLOMA] id eſt, Comitis Palatini. Qui Comites ſic dicti quod in palatio apud perſonam principis haererent, dicti etiam *Comites a latere*, quod principem comitarentur. Poſtea abſentibus quoque a Curia, & per principis legatos, ut hic videmus, conferri coepit hic titulus meri honoris, ſine ullo aut officio aut emolumento. Qui plura volet conſulat *Du Cange in Gloſſario*, & *Diction. Trivoltian.*

(4) BAVARIAE DUX FRIDERICUS] Adr. Gaudan. ita ſcribit: „Cui tunc Illuſtriſſ. Princeps *Ludovici* Comitis Palatini frater, ac paulo poſt ſucceſſor Dominus *Fridericus* Dux „Bavariae praeſidebat" & recte; quamvis enim videantur ſimul imperaſſe, electoralem dignitatem non niſi poſt *Ludovici* mortem *Fridericus* habuit. Vide *Bertium rer. Germ. lib. 2. pag. 298.*

(5) PAX DANICA] Quid hoc tractatu actum ſit, eique cauſam dederit, narrare, hujus loci non eſſe, ego quidem judico. Videri poſſunt hiſtorici, & inprimis *Pontan. in hiſt. Danica.* Ipſe vero tractatus hunc praefert titulum: *Traité d'alliance entre Charles V. Empereur & le Roi Chriſtian III. de Dannemarc &c. a Spire 23. Mai 1544.* in quo *Viglii* nomen eſt expreſſum. *V. Corps diplom. tom. 4. part. 2. p. 274.*

(6) CUM DUCE CLEVIAE CONCORDIAM &c.] Et hic ad

ad hiſtoricos remitto *Ponſan. hiſt. Gelriæ* alioſque. Huic tractatui *Viglii* nomen inſeritur duplici qualitate. *V. Traité d'Alliance entre Charles V. Empereur & Guillaume Duc de Juliers. Fait a Bruxelles 2. Janvier* 1543. *Corps diplom. la meme p.* 250. Sed hæc concordia a Cæſare demum ratificata fuit poſt annum, ut habent tabulæ ibi citatæ, nempe 7. Jan. 1544.

L. (1) VIGLIUM PRÆMISIT] non ſtatim cum *Granvellano*, ſed ſolum, & pro negotio ſpinoſo, de quo apud *Granvellani* filium *Antonium* epiſcopum *Atrebatenſem* graviter expoſtulat & prolixe: audiendus tamen, tum quod ejus hinc induſtriam ac ſolertiam intelliges, tum quod ardui ſane negotii geſtorem noſſe, hiſtoriæ integritas poſcat. Ecce verba: „ Reverendiſſime præſul, intellexi ex literis Rmæ. D. V. Cæ„ ſareæ Maj. voluntatem ac juſſum nempe ut me quampri„ mum itineri accingam, *Vormatiamque* præeam. Quem „ nuncium quanta cum moleſtia acceperim, nequeam paucis „ dicere. Perturbat enim omnes priores rationes meas, quas „ de Germanica hac profectione conceperam. Nam cum „ valetudine eſſem nondum ſatis firma, dubitaremque an „ equitationem ferre poſſem: de curru apparando cogita„ ram. Adhæc quia Cæſar lentius progredi ſolet, minus „ quoque moleſtum id iter in ejus comitatu fore ſperabam. „ Sed quando ſic Cæſar jubet, obſequi neceſſe duco, qua„ tenus tamen valetudo ferre poterit: quam cum adhuc te„ neram ac infirmam eſſe ſentiam, vix ad ullum certum tem„ pus quo *Vormatiæ* eſſe poſſim, adſtringere me auſim. Sed „ tamen faciam ne mihi vel negligentia vel mora ulla impu„ tari poſſit. *Financiariorum* noſtrorum liberalitatem miror, „ qui ſtipendium mihi ab eo tempore quo id conſtitutum eſt, „ ceſſurum conſtituerunt, cum non ſic ſoleant taxare antea. „ Verum Rme. Dne de principali hujus profectionis ſive ac„ celerationis cauſa valde angor. Nam ut nomine Cæſareæ „ Maj. Belgicæ noſtræ cauſam apud Ordines agam, mandato „ ſive literis *Credentialibus* opus habebo. Velim quoque ad me „ mitti pro ſecuritate itineris hujus literas *ſalvi paſſus*. Dein„ de hoc negotium Circuli Burgundici, quod ibi mihi agen„ dum imponitur, quam ſit ſcabroſum perplexumque Rma. „ D. V. non ignorat, cum Cæſar ſuperioribus aliquot con„ ventibus, uti *Receſſus* ipſi clare continent, plura promiſerit, „ quam noſtri agnoſcenda putent. Et quantum ego hactenus „ noſtrorum ſententiam percipere potui, ipſi omnino non „ contendendum arbitrantur, quo penitus ab omni prætenſo „ jure Imperii, noſtræ provinciæ liberantur. Imperiales con„ tra magnis argumentis nituntur. Ad quæ ſi reſpondere co„ nabimur, vereor ne magis illi exacerbentur. Quæ autem

„ Nu-

„ *Nurembergæ* olim acta per *Crebangium* ac me fuerunt in eo
„ negotio, tranſlata ex Germanico ad te mitto. Sed tunc
„ Ordines eo contenti non fuêre. Nunc quid ultra reſpon-
„ dendum ſit ignoro. Et tunc quoque alia erant tempora,
„ & eo tunc contendebamus, ut ab indictis ſubſidiis excuſa-
„ remur. Nunc vero de hoc agitur, an ulla obligatione iſtæ
„ provinciæ teneantur erga Imperium. Quæ res duræ dige-
„ ſtionis, nam illi prætendunt habere intentionem fundatam,
„ & magnis fundamentis nituntur reſpectu quarumdam ditio-
„ num. Quid quod de veſtra *Burgundia* dicitur in *Monſtreleti*
„ hiſtoria Ducem *Joannem Burgundiæ Caleſiæ* ab *Sigiſmundo* Im-
„ peratore inveſtituram de Comitatu *Burgundiæ* accepiſſe. Sed
„ hujuſmodi infinita ſunt quæ Status prætendunt. Contra
„ quæ omnia nudam crudamque negationem adferre neſcio
„ an conveniat. Magcus. Dnus præſes *Schoranus* olim quæ-
„ dam hac de re ſatis diligenter collegerat, inſtructionique,
„ quæ illi a me olim eſt reddita, inſeruerat. Sed apud me
„ dubium eſt, an conveniat hunc campum diſputationis in-
„ gredi cum Statibus. Ego ſane tenuitati ingenii mei non
„ ſatis fido, ut cauſam tam arduam defendam. Sed tamen
„ quidquid mihi præſcriptum erit fideliter exequar. Verùm
„ in re tam magna & ardua, ne quid mihi olim imputari
„ queat, ſine particulari inſtructione non auſim quicquam
„ facere. Quoniam vero Cæſar me hujus rei cauſa ad Ordi-
„ nes præmittere decrevit, illud ante omnia eſſet conſtituen-
„ dum, an ſuper eo quod *Nurembergæ* propoſitum fuit, pro-
„ cedendum ultra ſit; & ab Statibus exigendum, ut ipſi de-
„ clarent quas velint provincias in numerum auxiliorumque
„ ſocietatem ſub circulo *Burgundico* comprehendi, quæ item
„ habeant documenta ullius obligationis &c. Nam ſi abſolute
„ reſponderimus nihil omnino eſſe quod domus Burgundica
„ ab Imperio recognoſcat, contendamuſque de totali excep-
„ tione: Verendum, ne ipſi, quod jam ſæpius minati ſunt,
„ eodem jure uti velint, dicantque nec ſe plus quam illas di-
„ tiones teneri, ac ſic Rex Romanorum nihil deinceps auxi-
„ liorum impetret. Quamobrem id enixe rogo Rme. Dne quo
„ ſaltem aliquid mihi in hoc negotio præſcribatur agendum,
„ ſecundum quod cætera queam dirigere. Scripſi eadem de
„ re tria verba ad Præſidem, & antequam hinc diſcedam re-
„ ſponſum expectabo, ne ſine *Credentialibus* ſive literis paſſus,
„ ſine certa aliqua inſtructione hanc legationem acceptem.
„ Et ne Cæſ. Majtas. me tarditatis arguat, quæſo obnixiſſi-
„ me, quo Rma. D. V. obſequium meum una cum iſthoc
„ deſiderio certæ alicujus inſtructionis, ei exponat. Cum
„ primum autem reſponſum habuero, itineri me accingam....

„ Bene vale Dne Colendiſſime. Mechliniæ 23. Decembris 1544.“ *Ex tomo 4. pag. 479. & ſeqq.*

LI. (1) LIGA SMALCALDICA] inita eſt 27. Februarii an. 1531. quam, ſi vacet, vide in Collectione: *Corps diplom. tom. 4. part. 2. p. 78.* Quæ quoties repetita, & quem exitum habuerit, quære apud hiſtoricos, & ſi lubet *V. Maimbourg hiſt. du Lutheraniſme, & Varillas hiſt. des Revolut. &c. Pont. Heuſter. Auſtr. lib. 12. Cap. 6. & ſeqq.* Surius in Comment. variis locis conſuli poteſt. Et apud Freherum Rer. Germ. ſcript. tom. 3. p. 459. in noviſſ. edit. Bern. Gotth. Struvii, habes: *Belli Smalcaldici anno 1546. inter Carolum V. Cæſ. & Proteſtantium duces geſti Commentarium, græco ſermone eleganter ſcriptum a Cl. V. Joachimo Camerario Papebergenſi, cum verſione latina & ſupplemento Simonis Stenii Lomacenſis.*

LII. (1) ALBERTUS ARCHIEP. ET CARDIN. MOGUNTINEN.] Marchio *Brandenburgenſis, Joannis* Marchionis Electoris filius, *Joachimi* primi Electoris frater germanus, ultimus domus *Brandenburgicæ* princeps Catholicus, ex Canonico *Moguntino* ac *Trevirenſi* Archiepiſcopus primum *Magdeburgenſis* & Germaniæ Primas, deinde *Moguntinus* Archiepiſcopus an. 1514. ſicque unus duobus Archiepiſcopalibus ſedibus ſimul gubernandis præfuit conſenſu *Leonis X.* quod hactenus inauditum erat, & nulli umquam principi contigerat. Adminiſtravit etiam *Halberſtatenſem* Epiſcopatum. Et *Leo X.* eum ſolum die 24. Martii 1518. Cardinalem creavit, cujus dignitatis inſignibus magno apparatu redimitus eſt *Auguſtæ Vindelicorum* a *Thoma Cajetano* Cardinali ejuſdem Pontificis legato, & *Matthiæ* Cardinali *Gurcenſi*. Jacobi Manlii hiſtoria oblatæ Cardinalitiæ dignitatis in Albertum Moguntinum, exſtat in *Struvii Rer. Germ. ſcript. tom. 2. pag. 705.* Vide quoque *Joannis Latomi Catal. Archiepiſc. Mogunt. apud Menkenium Rer. Germ. ſcript. tom. 3. col. 556. & ſeqq. Maximiliano I.* vita functo, magno opere ſategit *Albertus*, ut, cum in *Franciſcum* Galliarum regem Principum nonnullorum inclinarent animi, eos ad *Auſtriacam* domum revocaret, ſuaque tandem ſapientia, induſtria & eloquentia, perfecit ut electus fuerit *Carolus Quintus*. Fuit hic Cardinalis, Archiepiſcopus & princeps, *totus Catholicus*; quod eſt elogium *Dionyſio Exiguo* olim datum a *Caſſiodoro Inſtit. Divin. cap. 23.* Vide *Ciacon. tom. 3. col. 413. & ſeqq.* e quo hæc fere deſumpſimus, ubi plura. Breviter ejus geſta narrat *Joannes Gualterius in Chron. Chronicorum p. 772.* Porro obiit 8 Kal. Octob. 1545. Sepultus in baſilica *S. Martini Moguntiæ* ad aræ ſummæ baſim ſub rubri marmoris lapide. De eodem memini ſup. ad N. XXXVIII.

LIII. (1) MENSE FEBRUARIO,] nempe anni 1546. quo

quo tempore habebatur Colloquium *Ratisbonense* inter Catholicos & Proteſtantes, de quo vide *Surium in Comment. ad hunc annum*, *item Spondan.*

(2) APUD INGOLSTADIUM.... DELASSARIT &c.] Hic præterit, imo ſilet *Viglius* magnarum rerum eventus & belli diſcrimina quæ Cæſar ſubiit hoc eodem anno, cùm Elector Saxoniæ & Lantgravius Haſſiæ Proteſtantium duces, eumdem, non ſatis paratum, ut *Viglius* notat, aggreſſi ſunt, magno quidem apparatu, ſed nullo ſucceſſu. De quo belli Germanici initio ob injurias religionis cauſa illatas ſuſcepti, cognoſcere qui vult, legat *Surium*, *Thuanum ac Spondanum ad hunc annum*, *Pont. Heut. lib.* 12. *cap.* 6. *& ſeqq. ac tandem Sleidanum.*

LIV. (1) CAROLUS BOISOT] Vide ſup. ad N. XLI. ult. loco.

(2) RUPELMUNDANA ARCE] *Rupelmunda* eſt celebre & antiqui nominis in Waſia municipium ad Rupelæ oſtia, id eſt, ubi Netha Dilique ſe paulo ante miſcentes in Scaldim influunt. ARX vetuſta valde, quæ fuit veterum Flandriæ diplomatum, ac indultorum principalium Gazophylacium. Subinde etiam juvenum aſotorum, ne inſanabiles evaderent, famoſa fuit cuſtodia, & procerum olim perduellium carcer. Ita *Sanderus Flandr. illuſtr. nov. edit. tom.* 3. *lib.* 5. *p.* 220.

LV. (1) VIGLIUM MAJESTAS SUA COLON..... MISIT] In exauctoratione *Hermanni* Archiepiſcopi Colonienſis adhibitum *Viglium* non omnes adnotarunt hiſtorici. Sed id loquuntur *Pont. Heut. lib.* 12. *cap.* 12. *Thuanus ad an.* 1547. *fol.* 104. *Pontan. Hiſt. Geldr. lib.* 13. *fol.* 849. qui tamen nimis feſtinant, dum *Viglium* ibi ſummi Cæſarei Conſilii præſidem appellant, qui ad hoc munus non niſi menſe Januario an. 1549. pervenit. Hæc exauctoratio integrum biennium præceſſit *Viglii* exaltationem. Etiam *Sleidanus* ad an. 1546. Electoris ac Archiepiſcopi Colonienſis depoſitionem enarrans, *Viglium* cum *Hoeſtratano* Cæſaris legatos dicit.

(2) ADOLPHUS A SCHOUWENBURCH] præpoſitus Cathedralis Leodienſis, *Hermanni* Archiepiſcopi coadjutor, eodem cedente, die 24. * Januarii 1547. achiepiſcopus Elector Colonienſis ſalutatus eſt. Omnia rite per ſuam dioceſim diſpoſuit juxta catholicam religionis formam, & quidquid *Hermannus* per totam regionem corruperat, id omne reſtituit, fatente quoque *Sleidano*. Concilium provinciale celebravit in Quadrageſima anni 1549. Comitiis celeberrimis Auguſtanis interfuit an. 1547. & ſynodo Tridentinæ an. 1552. Poſt multa præclare geſta obiit 20. Sept. 1556. cujus laudes vide apud *Joan. Gualterium in Chronico Chronicor. p.* 1356. & * al. 25.

in Gall. Chriſt. nov. edit. tom. 3. *col.* 709. Porro quid commiſerit *Hermannus*, ut deponi meruerit, apud quoſdam ſcriptores timide ſimul & confuſe, apud alios acerbe commemoratum reperi. *Surius* id accurate & ſine felle narrat ad an. 1544. qui, quod Archiepiſcopum urgere reformationem ſuam, incentore *Bucero*, & Clerum Colonienſem reſtitiſſe atque appellaſſe Papam ac Cæſarem, ipſum vero præſulem in cœptis proceſſiſſe, ipſe conſpexit, locupletiſſimus eſt teſtis.

LVI (1) D. A CRUNINGEN] *Jacobus* nomine, uti diſerte habet *Pontus Heuterus rer. Auſtr. lib.* 12. *cap.* 12. ex illuſtri apud Zelandos proſapia, de qua vide *Smallegange* in Chronico Zelandiæ vernaculo pag. 715. Fuit exercitus Cæſarei dux contra maritimos Saxones, verùm ante Bremam, tormenti globo occiſus eſt, uti adnotant auctores citati.

(2) COMES A BEVERSTEYN] Puto errorem eſſe librarii, & hic eſſe ſermonem de *Philippo Eberſteinii* Comite. *V. Pont. Heut. loc. proxime citato & Thuan. lib.* 4. *p.* 118.

(3) CHRISTOPHORUS A FRYSBERG] *Thuanus* ſcribit *Uriſperg.* Fuit & ipſe dux exercitus Cæſarei, qui ſub *Erico Brunswicenſi*, Luneburgi Duce, militare detrectans, magnæ cladi occaſionem dedit. Rem tangit *Thuanus* proxime citatus, & *Pontus Heuterus* loco qui ſup.

LVIII. (1) LUDOVICUS A SCHORA] id eſt *De Schore* Lovanienſis, patriciæ ſtirpis, poſt Eques creatus, Juris Utriusque Doctor & Legum ordinarius profeſſor, a Carolo V. in Conſilium Mechlinienſe adſcitus fuit, ac demum Conſiliorum Status atque Sanctioris conſtitutus præſes, non una legatione, ejusdem Imp. nomine ad Angliæ Galliæque reges functus eſt. Scripſit *Conſilium* amplum *ſuper viribus matrimonii inter Henricum VIII. Anglorum regem & Catharinam Auſtriacam*, cum cauſa ea Romano pontifici dijudicanda proponeretur, editum Lovanii 1534. V. *Valer. Andr. in bibliot. Belg. & Faſtos Academ. Tombeau des hommes illuſtres p.* 12. *ſuppl. de Butkens tom.* 1. *p.* 172. *& tom.* 2. *p.* 317. Conditus eſt Lovanii apud Auguſtinianos cum epitaphio, quod habet *Val. Andr. in faſtis* & legitur in nova editione *bibliothecæ Belgicæ*. De die obitus vide notam ſeq.

(2) MENSE DECEMBRI] utique anni 1548. *Val. Andr.* utroque loco citato, nec non *Tomb. des hommes illuſtres*, ſtatuunt *Ludovicum* Antverpiæ obiiſſe 25 Februarii 1548. & *Viglius* hic atque *Adrian. Gaudan.* in utroque codice, nec non *Suffr. Petri* ſcribunt *Viglium* ad munus præſidis aſſumptum inauguratumque *Kalendis Januarii* 1549. ut proinde *Ludovicus* obiiſſe dicendus ſit 25 Decembris 1548. Eodem certe anno *Viglius* conſtitutus eſt præſes quo primum princeps *Philippus* ex

ex Hiſpania venit in Belgium, qui fuit quadrageſimus nonus ſupra milleſimum quingenteſimum.

(3) SURROGATUS FUIT] Addit *Adr. Gaudanus* in utroq. cod. & *Suffr. Petri* quoque, verba ſequentia: *ut rerum Secreti Conſilii, Cancellarieque ac ſigillorum curam ſolicitudinemque gereret, adſcito Joanne de Sancto Mauritio Domino de Mombaren ſororio Domini Granvellani, qui ſub titulo præſidis Statûs, res ejus curaret, ac unius Scborani officium ab duobus deinceps adminiſtraretur, Calendisque anni* 1549. &c. Hic præſes Conſilii rerum Status non occurrit in catalogo qui eſt in *Suppl. Butkens.* Verùm in libello *Tomb. des homm. illuſtr.* p. 33. hæc lego, unde *Adriani Gaudani* additio conſtat: *Meſſire Jean de S. Mauris Seigneur de Montbarrey, Ambaſſadeur en France, preſident du Conſeil d'Eſtat.* In qua quidem qualitate ſignavit pragmaticam Sanctionem *Caroli* V. de qua mox, apud *Stockmans* ad calcem tractatûs *de jure devolutionis p.* 185.

(4) PRAGMATICA CONSTITUTIO] Hanc exhibet Latine & Gallice *Petrus Stockmans* loco jam jam citato ſub titulo ſequente: *Pragmatica Sanctio auguſtiſſimi ac invictiſſimi Imperatoris Caroli V. Belgii principis, pro unione & ſucceſſione indiviſibili Ditionum Belgicarum & Comitatus Burgundiæ, anni* 1549. *confirmata a Ferdinando Romanorum rege.* Cui ordine ſuo ſervato ſubſcripſit: *Viglius de Zuichem Chevalier, Chef & Preſident du Conſeil Privé.* Quæ quidem pragmatica Sanctio lecta & publicata fuit, ut eſt ibidem, in magno Senatu Mechliniæ reſidente, in Conſilio Brabantiæ Bruxellis, in Camera Computuum Inſulis ac Bruxellis, & Hagæ Comitis, atque indubie in aliis omnibus provinciis Belgicis.

LIX. (1) BLANCAM..... PRO USURA] Archiduces *Albertus & Iſabella* reſtrinxerunt uſuram ad duos quadrantes pro libra groſſorum Flandriæ hebdomadatim, donec erexerunt Montes pietatis pro *Winceſlao Cobergher* primo per Belgium Superintendente generali, quas tabulas quære in codice Edictorum, & in *Suppl. Butkens tom. 2. a p.* 257. Vide quoque *Leſſium de juſt. & jure in append. de mont. piet.*

LXI. (1) EDICTUM DE RELIGIONE] quære in Codice edictorum regiorum. Multa in eo, a *Viglio* mitigata, ſcribit ipſe in quadam epiſtola ad *Granvellanum* quam inter ſelectas dabimus, cum alia ad *Engelbertum Maſium* Brabantiæ Cancellarium, ex quibus apparebunt auctores eorum quæ in Edicto nimium acerba viſa ſunt. Rem compendio exhibuit *Spondan.* ad an. 1550. n. 4. „ Antequam *Cæſar* Bruxellis „ diſcederet, graviſſimum tulit adverſus hæreticos edictum, „ ampla tributa Inquiſitoribus poteſtate. A quorum acerbi„ tate ſibi timentes tam incolæ, quam præcipue Angli, qui

„ negotiandi cauſa in Belgium confluebant, commercium in-
„ genti Antverpienſium aliorumque mercatorum detrimento
„ intermitterent: hi Inquiſitionis ac decreti ſeveritatem de-
„ precati tandem pervicerunt per *Mariam* Reginam Hunga-
„ riæ ſororem Imperatoris, quam ipſe Belgio præfecerat, ut
„ mutatis iis quæ ad exteros negotiatores ſpectarent, Inqui-
„ ſitionis odioſum nomen tolleretur, manente quoad cætera
„ edicto." Vide quoque *Pontan. Hiſt. Geldr. libr.* 13. *p.* 855.

LXII. (1) VINCENTIUS CORNELII] In Catalogo Theſaurariorum generalium in *Suppl. Buſkens* tom. 1. p. 108. lego nudum ejus nomen: *Vincent Corneliſſen en Van* 1531. Sed *Van Leeuwen in Bat. illuſtr. pag.* 1461. honorat hominem his verbis: „ Mr. Vincent Cornelisz van Mierop, Rekenmeeſter
„ 1515. en eerſte Rekenmeeſter anno 1518. en anno 1526.
„ daar na Ridder, en Theſaurier Generael over alle de Ne-
„ derlanden, en Heer van Cabbau geworden, genoemt den
„ Groten Vincent, ſtierf anno 1550." Diem ac menſem habes in ejus epitaphio apud Auguſtinianos Bruxellis: *Icy giſt Maiſtre Vincent Corneliſſen, Seigneur de Cabau & en ſon vivant Treſorier general des Finances de l'Empereur, qui trespaſſa le XIII. Juin* 1550. *Balenus* autem in *deſcript. urbis Dordr. p.* 812. *col.* 2. tribuit illi titulos toparchiarum de Cabau, Ketel, Linden &c. In *Monum. ſepulchr. F. Sweertii* hoc ei elogium cernitur:

HIC RECUBO A MYEROP (LECTOR)
VINCENTIUS, ORO
QUÆ FUERIT VITÆ PERLEGE
SUMMA MEÆ.
BIS SEPTEM VIXI LUSTRIS, SED
TER TRIA DUXI
OBSEQUIO ADDICTUS PRINCIPIS
USQUE MEI.
EXILIS PRIMUM, MAJOR
MOX, MAXIMUS AUTEM,
SUB FINEM, CUM MORS OMNIA
SÆVA TULIT.
CÆSARI ERAM FIDUS, MISERIS
PATRONUS, ET INDE
DEXTERA FAMA VOLAT CUNCTA
PER ORA VIRUM,
HOSTIBUS HAUD NOCUI, NUMQUAM
VINDICTA PLACEBAT.
HINC SPERO A CHRISTO, PRÆ-
MIA DIGNA. VALE.
OBIIT ANNO M. D. L. XIV. JUNII.

(2) HER-

(2) HERMES A WINGHENE] Rothnacenſis J. U. D. Lovanii, vir totius juris callentiſſimus, inquit *Val. Andr. in Faſt. Acad.* Obiit Bruxellis 11 Martii 1573. Sepultus ibidem in Sacello Venerab. Sacramenti miraculoſi in D. Gudulæ cum epitaphio quod exhibetur in *Tomb. des homm. illuſt. p.* 32.

LXIII. (1) BINZIUM] *Binchium, Binche.* Oppidum Hannoniæ, ubi *Maria* Regina Hungariæ ſplendidum excitarat palatium a Gallis poſtea deſtructum; ſed reædificatum, nunc *Marimont* dicitur.

(2) REGINA AB CÆSARE EVOCATA] in Germaniam. *Vigilius* tacet cauſam, ſed *Pontus Heuterus* eam prodit his verbis: „ His Auguſtanis comitiis Cæſar iterum de filio *Philippo* „ ſibi ſurrogando cum fratre *Ferdinando* egit, plurimum an„ nitente ſorore *Maria* quæ cum Cæſare in Germaniam *hac* „ *de cauſa* venerat." Male dicit eam cum Cæſare veniſſe, quæ a Cæſare, jam in Germania agente, evocata fuit. Tum pergit: „ Sed magnis deterritus rationibus, inprimis vero „ præſentia nepotis ac generis *Maximiliani* Auſtriæ Archidu„ cis, qui ex Hiſpania ad hæc Comitia patris *Ferdinandi* juſ„ ſu advolarat, juſtiusque ad hanc dignitatem aſpirabat, Cæ„ ſar in ſempiternum has cogitationes animo depoſuit." Vide *Rer. Auſtr. lib.* 13. *cap.* 11. *& Spondan.* ad an. 1550. n. 7.

LXIV. (1) LANTGRAVII FUGA] attentata, a *Ponto Heutero* oculato teſte, qui tunc adoleſcens decimum quintum annum ingreſſus literis Mechliniæ operam dabat, deſcribitur *Rer. Auſt. lib.* 13. *cap.* 11. V. quoque *Surium* ad an. 1550. in fin.

(2) APUD MECHLINIAM DETINEBATUR] In via Heergrachtia (*de Heirgracht* etiam hodie vocatur) e regione atrarum Monialium, inquit *Heuterus.* Hodie appellantur *Sorores nigræ*, & infirmis inſervìunt & contagio laborantibus ſubvenire tenentur ex inſtituto quod profitentur ſub regula S. Auguſtini. Porro *e regione* harum Monialium conſpicitur pars Cæſarei palatii, quod dein factum eſt Collegium Patrum Societatis Jeſu, quod anteriore ſui parte reſpicit forum boarium: poſteriore parte, in qua Lantgravius detentus fuit, Gymnaſio humaniorum literarum deſtinatâ. Illud jam vetuſtate collapſum vacat, tranſlato ante paucos annos gymnaſio ad forum boarium.

(3) FILIUS LANTGRAVII] *Guilielmus*, de quo vide *Bertium in Comment. rer. Germ. lib.* 2. *p. mihi* 405. *Surium, Spondan.* & hiſtoricos paſſim.

(4) REX ROMANORUM..... EO REM PERDUXIT] conciliator nempe inter fratrem Cæſarem & conjuratos Germaniæ principes, quibus adeo non erat inviſus, ut Cæſare Oeni-

Oeniponte digreſſo, *Mauritius* Saxo *Ferdinandi* ac civium rebus pepercerit, direptis ſtatim omnibus quæ aut Cæſaris, aut Hiſpanorum, aut Cardinalis *Auguſtani* eſſe reperta ſunt, ut ſollicite adnotarunt hiſtorici. *Spondan. & Surius ad an.* 1552. *Pontus Heuterus cap.* 15. *lib.* 13.

LXV. (1) EAM OCCASIONEM] mihi minime examinandam arbitratus ſum, quod ad circumſtantias vitæ *Viglii* nihil attineat. De hujus belli ſucceſſibus & ſtatim fine, ac de infelici obſidione *Metenſi*, quam nemo ignorat, videri poſſunt hiſtorici. *Surius ad an.* 1552. *Spondanus ad eumd. Sleidanus quoque, & Heuter. lib.* 13. *cap.* 15. *Thuanum* non citabo poſthac. Legat illum qui volet, faſtidiumque devoret auctoris, qui narrationem ſuam nec in articulos, nec in capita, nec in ſectiones dividens, prius tibi rumpat ilia, quàm quod quæris, invenias.

(2) JAQUELINA DAMANT) *Antonius Granvellanus* epiſcopus Atrebatenſis poſtea Cardinalis, qui *Viglium* quoad vixit magni fecit, conſolatorias ad eum direxit de obitu conjugis ſuæ. Ex *Viglii* reſponſo æſtimare licet & quanti penderet illam, & quam elegantis ipſe eſſet animi. „ Accepi, „ *inquit* binas Rmæ D. V. literas, quibus & ſuum dolorem, „ ex meo conceptum caſu, amantiſſime teſtatur, & ægro „ animo admovet ſolamen. Sed ut in morbis ad medicorum „ catapotia, quidam qui eis non aſſuevere, toto exhorreſcunt „ corpore: ſic mihi plerumque in hiſce amicorum officiis ac„ cidit. Certe ad literas R.. D. V. totus in lachrymas ſum „ effuſus, ſine quibus nec iſtas nunc ſcribo. Cedit philoſo„ phia naturæ: nec poſſum reſiſtere dolori, quem ſibi con„ jugalis amor vendicat, dum ſibi alteram ſui partem avul„ ſam ſentit. Habeo aliquam ſpem in communi ægritudinum „ animi medico tempore. Sed id ipſum multa, uti vereor, ad„ feret incommoda, quibus nos ſocia conjunx levare ſolet. „ Nec exiguum mihi ſolatium adfert veſtri reditus expecta„ tio &c. . . . . Ex Bruxella 6 Januarii 1552." *Ex tomo* 4. *p.* 520.

LXVI. (1) DE ST. MAURITIO] *Joannes* de Sancto *Mauritio* Dominus de *Montbarrey*, præſes Conſilii Statûs. V. Sup. ad N. LVIII. tertio loco.

LXVII. (1) MARIA] Regina Angliæ. V. *Spondan. ad an.* 1553. & de ejus nuptiis cum *Philippo* Hiſpaniarum Rege *ad an.* 1554. *n.* 2. *Surium ad eumdem annum & Pont. Heuter. lib.* 13. *cap.* 20.

(2) REGINALDUS POLUS) Sanguine, pietate & doctrina nobiliſſimus; de quo fruſtra plura congeſſero, dum totius vitæ ſeries, & acta, mors quoque; teſtamentum, ac ſepultura

tura cognoſci poſſunt apud *Ciaconium tomo* 3. *a col.* 627. *Spondan.* etiam ſingularia de illo attulit in *continuat. annal. Baronii tom.* 3. locis per indicem facile quærendis. Auctores alios, qui magni viri geſta loquuntur, indicat *Ciacon. loc. cit.*

(3) DE ABDICANDO IMPERIO CÆSAR] Neque hic ego quicquam commentabor, quod fortis animi conſilium, & rem inſolitam, ſtupente univerſo orbe, effectui datam literis conſignarint ſcriptores non tot quin plures. Is, cui librorum copia non eſt, & qui rem in Belgio actam a Belga cognoſcere vult, legat *Pontum Heuterum Rer. Auſtr. lib.* 14.

LXVIII. (1) ORDINATO CONSILIO STATUS] *Nicolaus Burgundus Hiſt. Belg. lib.* 1. *pag. mihi* 30. de Conſilio Status per *Philippum* Regem ordinato ita ſcribit: „ Ad hujus „ miniſterii procurationem *Antonius Perenottus Granvellanus* „ *epiſcopus Atrebatenſis*, *Guillelmus Naſſovius princeps Auriacus*, „ *Amorallus comes Egmondanus*, *Philippus a Stavele Glaionii do-* „ *minus*, *Carolus Baro Barlaimontius*, *Viglius Ayta Suichemus* aſ- „ ſumpti ſunt. At enim ſecretis codicillis imperat Guberna- „ trici, in perplexitate rerum & reliquos aurei Velleris equi- „ tes in communionem adſciſceret. Conſilium ipſa cogeret „ quoties videretur, ipſa præeſſet, ſuffragia exquireret, ſe- „ queretur aut ſtatueret, non quod plures ſentirent, ſed quod „ putaret optimum. Nunc cum paucis, aliquando cum om- „ nibus, ſæpe cum multis, ſemper tamen cum *Granvellano* „ deliberaret, e *Finantiis* ſubinde, ac *privato* Conſilio *Vires* „ advocando." *Famianus Strada* Senatores non enumerat, aſt contendit juſſiſſe Regem, ut Gubernatrix ipſa ſibi conſilium, ſi quando Senatores aut factionibus ſciſſi, aut collatis ante capitibus conjurati eſſent, capeſſeret a *Granvellano*, *Barlamontio ac Viglio*, eumque arcanum Senatorum congreſſum, *Conſultam* eſſe appellatum. Idem ſignificatum voluit *Clericus Hiſt. des Provinces Unies liv.* 1. *p.* 5. ubi queritur hos ſolos tres a *Margareta Parmenſi* adhibitos veluti arcanos conſiliarios, & *Viglium Granvellano* adhæſiſſe miratur.

(2) ABBAS S. BAVONIS] *Lucas Munich* ultimus abbas: nam *Paulus PP. III.* ad preces *Caroli* V. anno 1536. Abbatiam *S. Bavonis* ordinis *S. Benedicti* Gandavi, ſuppreſſit, ex monachis fecit canonicos ſeculares, & ex bonis ejusdem Monaſterii erexit Capitulum, quod hodie eſt cathedrale, ipſum vero Abbatem, ejusdem capituli conſtituit Præpoſitum. Tabulas vide inter diplomata *Miræi tom.* 2. *pag.* 1051. Porro *Lucas* quoad vixit abbatis titulum retinuit; *Viglius* præpoſitus dictus eſt. *Lucas* anno 1537. ſtatuta condidit ac promulgavit pro novo capitulo, quo in inſtrumento uſus eſt hoc titulo: *Lucas permiſſione Divina Abbas eccleſiæ Collegiatæ S. Bavonis juxta Gandavum, Tornacenſis dioceſis, Romanæ eccleſiæ imme-*

diate ſubjectæ. Exhibet *Gerardus van Loon* in hiſtorica deſcriptione numismatum Belgicorum tom. 1. p. 54. numisma *Lucæ* in anteriore ſui parte referens ejusdem effigiem, pluviali (id eſt cappâ ſericâ aurifrigiatâ chorali) indutam, cum hac inſcriptione: *Lucas M. Abbas S. Bavonis Gandenſis æt. LXVI.* in adverſa parte inter litteras L. M. ſcutum ejus gentilitium cum pedo ſeu baculo paſtorali, eum hac epigraphe ex Pſalm. 119. *Intellectum da mihi Domine, & vivam.* De hoc viro redibit ſermo infra N. LXXI. & LXXIX.

LXIX. (1) S. QUINTINI) fanum. Oppidum in Picardia, olim *Auguſta Veromanduorum.* Memorabilis eſt hæc victoria duce *Emmanuele Philiberto* Belgii gubernatore, & Comitis *Egmondani* virtute potiſſimum obtenta, de qua hiſtorici omnes. Vide *Heuterum lib.* 15. *cap.* 2. *& Spondan. ad an.* 1557. qui, quanti ea momenti fuerit, fuſe proſequitur quantumvis Gallus.

(2) ANNA BAVIA] legendum *Baene.* Vide *Sanderi Fland. illuſt. tom.* 1. *p.* 224.

LXX. (1) NICOLAUS BIESIUS] Gandavenſis, Doctor Medicus Studii Senenſis, obtenta anno 1558. regia Lovanii profeſſione, adſcribitur ejusdem facultatis Collegio anno 1572. Academiæ nomine apud *Ferdinandum* Ducem *Albanum* oratoris munus obivit. Poſt a *Maximiliano* II. Imp. in Medicum domeſticum adſcitus vivere apud eundem deſiit anno 1573. *Val. Andr. in Faſtis Acad.* Ingenii monumenta reliquit, de quibus idem in *Bibliot. Belg.* V. quoque *Miræum de Script. ſec. XVI. pag.* 193. *in edit. Fabricii.*

LXXI. (1) JOCOBUS HESSELIUS] nupſit *Jetziæ Hoytema* viduæ *M. Franckonis a Monte,* Delphenſis * Regii Conſiliarii in Senatu Hollandiæ ac poſt in magno Conſilio Mechlinienſi, quæ *Jetzia* erat neptis *Viglii* ex ſorore *Mintzia.* Ita in Genealogia *Viglii* quam infra dabimus. *Jacobus* fuit in duodecem-virorum Conſilio ab *Albano* tempore tumultuum Belgicorum inſtituto, quod vulgus judicium ſanguinis appellabat. *Conſeil des troubles.* Anno 1577. Orto Gandavi tumultu, civibus antiquorum privilegiorum reſtitutionem exigentibus, contigit plebem a binis rebellium anteſignanis † *Rybovio* & *Embyſio*, principis *Auriaci*, ut volunt, aſſeclis, incitatam, nocte ædes Ducis *Arſchotani* urbis gubernatoris invadere, eumque captivum detinere una cum *Martino Rithovio Iprenſi* & *Remigio Druitio*

* Mr. Franck van den Berge, van Delft 1559. naderhand Raat te Mechelen. *Van Leeuwen Bat. illuſt. col.* 1472.

Meſſire Vranc van den Berch, Chevalier, cidevant conſeiller au Conſeil provincial d'Hollande, ſucceda à Meſſire Corneille de Muinck par lettres patentes du 9. Juin 1557. *Supl. de Butkens tom.* 2. *p.* 315. Non concordant, ut vides, auctores hi. Sed ſolitæ ſunt *Leeuwio* ariſtorêtiæ. Nec *Supl.* ab erroribus immune eſt. Verum non ſuut hæc tanti.

† Franciſcus de Kethulle toparcha de Rihove, prætor Teneramundanus. Joannes de Imbyeſe, paulo poſt proto-ſcabinus Gandavenſis.

Druitio Brugenſi epiſcopis, cum *Ferdinando de la Barr* ſummo Gandenſium prætore, *Jacobo Heſſelio* Conſiliario, *Joanne Viſſcherio* Ballivo *Ingelmunſterii* Commiſſario *Joannis Auſtriaci* Belgii gubernatoris, aliisque Nobilibus. *Heſſelius* annum fere integrum in publicis urbis carceribus detentus, die 4. Octobris 1578. ſimul cum *Viſſcherio* educitur, & non procul extra urbem de arbore ſuſpenditur uterque; mandante *Rybovio*, nulla inſtituta actione, nedum lata ſententia, ſed ex privato odio & privata vi. Vide *Sanderi Flandr. illuſt. tom.* 1. *p.* 219. ubi illud tibi occurret epiſodium memorabile: *Rybovium* (qui videtur fuiſſe proto-ſcabinus Gandavenſis) canam barbam *Heſſelii* abciſſam in pileo geſtaſſe, & ut vindictam a ſe ſumptam teſtaretur ſuam, gloriabundum rediiſſe in urbem. Idem affirmat *Havenſius de Erect. novor. in Belgio Epiſc. lib.* 1. *cap.* 14. *p.* 67. *Berrius de origine Belgicor. tumult. tom.* 2. *lib.* 13. *pag.* 70. *Vſa.* hujus circumſtantiæ non meminit, ceterum rem a probis viris omnibus improbatam teſtatur, adferens cauſas ſeu pretextus odii qui ſive *Rybovium* (nam de auctore ſceleris dubitat) ſive univerſos ſeditioſos cives Gandavenſes ad tantam immanitatem impulerunt. Vidi folium typis impreſſum, & cum hæc ſcribo illud ante oculos habeo, cui hic eſt titulus: *Elogium ac martyrium ampliſſimi nobiliſſimique Viri Jacobi Heſſelii, Equitis aurati, ac in Regio Flandriæ conſilio Vice-præſidis in eccleſia parochiali S. Michaelis Archangeli* (Gandavi) *a ſæculo ſepulti.* Poſt laudes defuncto datas & necis hiſtoriam, ubi non tacetur geſtata pileis barba, dicit ſcriptor, cadaver *Heſſelii* agro adjacenti inhumatum, mandato Conſilii Provincialis Gandavenſis effoſſum fuiſſe die 3. Octobris 1585. ſeptem ſcilicet poſt perpetratam necem annis. Tum ita proſequitur: „ Igitur 4. „ dicti menſis Octobris (qui recte dies obitus ejus anniverſa„ rius erat) Deus ingenti prodigio omnibus oſtendere voluit, „ honeſtiſſimum gratiſſimumque hoc ipſi fuiſſe martyrium: ſi „ quidem ejusdem *Heſſelii* corpus integrum prorſus, ac nulla „ ſui ex parte corruptum repertum eſt, & prius in ſacras „ B. Mariæ Montis Blandinii ædes tranſlatum, ibidem ab om„ nibus fere civitatis incolis aſpectum, tactum & pro miracu„ lo habitum fuit, nam vultus genuina & blanda forma, ma„ nuum, pedum, totiusque corporis conſtructio, hominis, ut „ ita dicam, vivi, aut recenter mortui, figuram præ ſe fere„ bant. „ Eadem porro die circa quintam Veſpertinam funus deductum fuit per Capitulum *S. Bavonis*, & aliud *S. Pharaildis*, ac per Clerum parochialium eccleſiarum *S. Michaelis*, *S. Nicolai*, ac *S. Jacobi*, junctis Ordinum mendicantium religioſis, atque ſubſequente Conſilii provincialis & ſcabinorum utriusque ſubſellii caterva, in templum *S. Michaelis* Archangeli, ubi illatum eſt ſepulchro majorum, celebratis poſtero die exequiis

ſolemni pompa. Ex quibus colligas, quæ hic de martyre ac martyrio ſunt dicta, e zelo magis quàm ex fide adducta eſſe. Nulla, reor, hactenus apud S. Sedem Apoſtolicam de definiendo martyrio facta eſt efflagitatio aut inſtituta cauſa. Et tamen *Arnoldus Raiſſius in Auctario ad Joannis Molani Natales SS. Belgii* atque ad diem IV. Octobris pag. 207. Vſa. ſcribit : *De Jacobo Heſſelio martyre.* Et pag. ſeq. *De Viſchio Balivo in Ingelmunſter martyre.* Illud mihi probatur, quod *Raiſſius* aſſerat, *reſectam tortoris manu ab Heſſelii mento venerabilem canitiem ab eodem tortore ad ludibrium galero ſuo, pennæ in morem, fuiſſe circumpoſitam.* Eſt ſane factum tortore magis quam *Rybovio*, quantumvis ſcelerato, dignum. Addit *Raiſſius*, juſſu Regis *Philippi II.* ad perpetuam rei geſtæ memoriam magnificum *Heſſelio* erectum eſſe monumentum, & *Franciſcum Rooſe* Belliolanum Conſiliarium primo Gandavenſem, deinde Mechlinienſem, hoc *Heſſelio* hiſtoriale epitaphium accinuiſſe ſuper lemmate, quod vivus dicere ſolebat :

UBI MANSIMUS UMQUAM?

Vox tibi ſolemnis fuit hæc UBI MANSIMUS UMQUAM?
Te MANSISSE *tamen blateravit turba rebellis*
Non procul a Gandæ portis, Cortracea verſus
Arva, ubi conſtrictis manibus barbâque refectâ
(Quam pulchrum o ſpolium rapiunt, geſtantque galeris!)
Juſſus es indicta cauſa conſcendere quercum
Et laqueo preſſus vitales claudere rivos.
Aſt non MANSISTI, *meliori parte locatus*
Sedibus æthereis ; reliquæ telluris in antro,
Donec ab Hiſpano devictis Rege tyrannis,
Conſilio, & magna procerum comitante caterva
Meſſibus exactis ſeptem (mirabile dictu)
Candidior, tabique expers, transferris ad urnam
Heſſelidum generi, Michaelis in æde, dicatam :
Nec tamen hoc MANSURA *loco, nam tendere ſurſum*
Te ſpes certa MANET ; *ſociamque capeſſere partem*
Ut ſimul æternæ delibent gaudia vitæ :
Ultra quod quæras nihil eſt : HIC ERGO MANENDUM.

(2) ALTERA] neptis Viglii *Ida* Gerbrandi fratris natu minoris filia nata 1544. quæ plures reliquit liberos. *Geneal. Viglii.*

(3) MORILLONIUS] *Maximilianus* natus Lovanii, patre *Guidone Morillon Burgundo, Caroli V.* Imp. ejuſque ſorori *Eleonoræ* Reginæ Franciæ a ſecretis, viro doctiſſimo, cui cum *Eraſmo* Roterodamo magna interceſſit familiaritas, matre *Eliſabetha de Mil.* Fuit J. U. L. & Canonicus ac Scholaſticus *Atrebatenſis*,

tenſis, Canonicus Mechliniensis, & nominante Rege anno 1559. præpositus eccleſiæ Collegiatæ S. Petri *Aëriæ* in *Artheſia*, Canonicus quoque S. Gudulæ Bruxellis, & Cardinale *Granvellano* a ſede *Atrebatenſi* ad novam ſedem Metropolitanam *Mechlinienſem* tranſlato, renunciatus eſt hujus noſtræ eccleſiæ primus Archidiaconus, ejusque Vicarius Generalis. Præterea poſſedit præpoſituram B. M. Ultrajecti, ut videre eſt in Catalogo noſtro. Tandem anno 1583. Epiſcopus *Tornacenſis*, qua in civitate obiit 27. Martii 1586. Plura vide in *Sanderi Fland. illuſt. novæ edit. tom. 3. p. 450. & in Gall. Chriſt. novæ edit. tom. 3. col. 241.*

(4) LOO-CHRISTI] pagus ad primum ab urbe Gandavo lapidem via Antverpienſi, vetus dominium Abbatiæ S. Bavonis, nunc Epiſcopatus Gandavenſis. *Fland. illuſt. tom. 1. p. 388.*

(5) EVERGHEM] ampliſſimus ad primum ab civitate Gandavenſi lapidem, & Caſtellaniæ Audemburgicæ maximus, pagus, patrimonium S. Bavonis, Comitatûs titulo nobile, nunc pariter Epiſcopatus Gandavenſis dominium, de quo plura apud *Sand. Fland. Illuſt. tom. 1. p. 386.*

LXXII. (1) IGRAMUS] ab *Acchelen* duxit *Mintziam* ſive *Clementiam Viglii* ex ſorore *Mintzia* (nupta *Jelle Hoytema*) neptem tertio genitam. *Geneal Viglii.* In libello: *Tomb. des hommes illuſtres* pag. 48. hæc lego: *Meſſire Igram Van Achlen Chevalier, natif de Friſe * Preſident du Conſeil d'icelle Province, puis Conſeiller du Conſeil privé, & de la avancé à l'eſtat de Preſident du Grand Conſeil par lettres patentes du 18. Aoûſt 1598. Il laiſſa de Dame Clemence Hoytema ſa femme, Meſſire Folcard van Achlen, Conſeiller du Conſeil de Brabant, & puis du Conſeil Privé, & mourut à Malines en l'an 1604. 28. Octobre, enterré en l'Egliſe de S. Rombout, ſa pierre ſepulchrale contenant cette inſcription:*

** Error. Ortus eſt in Sylvaducis uti inf. inſecundo epitaphio.*

Ampliſſimus Clariſſimusque Vir
D. IGRAMUS AB ACHLEN,
Eques Auratus,
Præſes olim Friſiæ,
Poſtea Senatus Supremi.
Obiit Mechliniæ anno Salutis humanæ
1604. 18. *Octobris.*
Hocque ſub lapide requieſcit.

AUTRE EPITAPHE.

Qui tegor exigua ſitus hic IGRAMUS *arena,*
ACHELEN *a proavis nobile ſtemma tuli.*
Silva-ducis nato, gentili Teutona tellus,
Friſia patre orba eſt, Præſide Mechlinia.
Non quod Eques, quod eram magni pars ſumma Senatûs,
Sæva trucis potuit flectere jura Stygis:

Sed virtus ſtudiis, duriſque exercita rebus
Vivere me famâ, vivere mente dedit.

LXXIII. (1) FRANCISCUS SONNIUS] Epiſcopus primum Sylvæducenſis, poſt Antverpienſis notior eſt, quam ut a nobis celebrari debeat. Ejus acta pro erectione novorum in Belgio Epiſcopatuum ex autographo prodierunt in *oper. diplom. Miræi novæ edit. tom.* 3. *a pag.* 515. De ejus geſtis univerſis Vide *Hiſt. Epiſcopat. Antverp. a pag.* 58. *Gall. Chriſt. novæ edit. tom.* 5. *p.* 127. *Suppl. Butkens tom.* 2. *p.* 418. *Val. And. Biblioth. Belg. novæ edit. Miræi Script. Sec. XVI. in edit. Fabricii pag.* 203. *aliosque. Viglius* a *Granvellano* rogatus de theologis nomine Belgicarum provinciarum mittendis ad Concilium Tridentinum, omnibus prætulit *Sonnium*. Vide ejus epiſtolas ſelectas.

(2) OBSTRUERE LUMINIBUS] In ſenſu naturali eſt, unum ædificium alteri opponere ad impediendum lumen. In ſenſu figurato, uti hic, & in epiſtola ad *Hopperum* data ex Bruxella 4. Martii 1566. eſt, gloriam alicujus majori gloriæ offuſcare. Phraſis hæc ab *Eraſmo* etiam uſitata fuit in epiſt. ad *Guil. Budæum*, & apud *Ciceronem* quoque legitur.

(3) IN CARDINALIUM COLLEGIUM] cooptatus eſt *Antonius Granvellanus* Epiſcopus Atrebatenſis, jam factus primus Archi-epiſcopus Mechlinienſis, die 2. Februarii 1561. per *Pium IV.* Pont. Max. Ut de hoc viro tota Europa celeberrimo loquar, uſurpare debeo vulgatum illud: *inopem me copia facit*. Non eſt hujus loci ejus geſta excutere vel defendere. Reprehendere certe non eſt meum. Peritioribus rerum Belgicarum mea ſententia nequicquam eſt opus. Minus peritis ſufficere arbitror *Pauli Freberi* elogium *ex theat. viror. erud. Claror.* „ Vir fuit, *inquit ille*, rara eruditione, linguarum multarum „ peritia, facundia non fucata, longo rerum maximarum, „ quas tota vita adminiſtravit, uſu clarus, ſummis honoribus, „ quos ſub *Carolo V.* primum, dein ſub filio *Philippo* in Belgio, „ aula Romana, Regno Neapolitano (cui proregis titulo præ- „ fuit) & Hiſpania geſſit, defunctus; ſed in aſſerenda regia „ majeſtate, ſive inſito erga familiam Auſtriacam favore, ſive „ Proteſtantium odio, multis aſperior creditus, interdum etiam „ minus bona fide in magnis negotiis verſari viſus, ut cum „ cavillatoria unius literulæ captione *Philippo* Haſſorum prin- „ cipi illuſit, & Conſilii de retinendo eo præter fidem datam „ auctor fuit; quod minus honeſtum, etiam Cæſari poſtremo „ damnoſum fuit." De illa una *literula* de qua *Freberus* queritur, vide *Spondan. ad an.* 1547. *n.* 10. Ceterum de Cardinale *Granvellano Ciacconius* conſulendus eſt tom. 3. col. 925. & breviter ejus geſta complectitur *Van Geſtel in hiſt. Archiep. Mechlin. tom.* 1. *p.* 49. Multa ſparſim reperias apud *Spondan. Stradam, Nic. Bur-*

Burgund. Borrium, Thuanum &c. Ejus teſtamentum fide publica Madriti deſcriptum aſſervatur in Archivo palatii archiepiſcopalis Mechliniæ. Obiit autem Madriti in Hiſpania 14. Septemb. 1586. an. ætat. 72.

(4) ABBATIA S. AMANDI] de qua *in Gall. Chriſt. tom.* 3. *col.* 254. ita ſcribitur: „ Regale S. Amandi in Pabula ordinis „ Sancti Benedicti monaſterium, tribus circiter ab urbe Tor„ naco leucis, ad fluvium Elnonem, unde etiam dicitur El„ nonenſe, ipſummet Sanctum Amandum agnoſcit aucto„ rem. &c. " Porro Cardinalis *Granvellanus* ſucceſſit in hac Abatiali dignitate *Georgio Egmondano*, qui & Ultrajectenſis Epiſcopus exiſtebat.

(5) ARCHIEPISCOPATUS MECHLINIENSIS] inſtitutus per *Paulum* IV. anno 1559. Limites diſtincti & dos attributa fuêre per *Pium* IV. anno 1560. Utriuſque diploma exhibet *Miræus in Donat. Belgic. tom.* 1. *novæ edit. a p.* 472. Cui pluribus opus eſt, ſubminiſtrabunt *Havenſ. de erect. novor. Epiſc. Van Geſtel Hiſt. Archiepiſcopat. Mechlin. & Gall. Chriſt. novæ edit. tom.* 5. *ab init.*

(6) AFFLIGENIENSIS ABBATIA] ordinis S. Benedicti in finibus Brabantiæ & Flandriæ, uno circiter milliari Aloſto, Bruxellâ quarto. Hæc eſt totius Brabantiæ facile princeps, & inter Abbates Brabantinos jure primi ſuffragii gaudet in comitiis Ordinum Provinciæ. Porro eſt unita per *Pium* IV. menſæ Archiepiſcopali Mechlinienſi, ejuſque proventus æqualiter ex conventione dividuntur inter Archiepiſcopum & Monaſterium, quod a tempore unionis regitur per præpoſitum. Videri poſſunt auctores proxime citati.

LXXVI. (1) COURTEWILLIUS] *Jodocus*, (juxta *Nicolaum Burgundum*) qui cum *Philippo II.* in Hiſpaniam abiit, futurus Regi a ſecretis. In *Suppl. Butkens tom.* 1. *pag.* ** 191. aliud ei nomen: *Mr. Joſeph de Courtewille, fut Secretaire du Conſeil Privé l'an* 1559. *Signa encore l'an* 1569. *Il etoit Chevalier de l'ordre de Calatrava & Commandeur de Villa-Franca, & elu Greffier de l'ordre de la toiſon d'or l'an* 1561. *Il mourut au mois de Juin* 1572. Recte tamen eum cognominavit *Nic. Burgund.* nam in Catalogo Graphiariorum Aurei Velleris eſt, *Meſſire Joſſe de Courtewille.* Dicitur *electus*: quod aſſumptus fuerit ob abſentiam *Nicolai Nicolaii* ſeu *Grudii*, Graphiarii, qui Venetiis obiit. V. *libell. la Toiſon d'Or tom.* 1. *p.* 198.

(2) BILDIA] ager, & pars Friſiæ. Apud *Pont. Heut. rer. Auſtr. lib.* 7. *cap.* 10. appellatur *provincia*, „ quam Duces Alber„ tus ac Georgius (*Saxones*, *Friſiæ Domini*) e maris tyrannide „ & inundatione in libertatem aſſertam aggeribus circum„ ſepſere, ſementi faciundo ac pecori alendo idoneam reddidere &c.

„ dere &c." Apud *Emmium lib.* 51. ad an. 1522. reperi *Biltanum* agrum æſtimatum fuiſſe ſexaginta millibus aureorum annuis. Porro quæ bona ſeu quæ pars agri illius, & quibus ex cauſis, *Viglio* antea *oppignorata* fuerint, dicam cum cognovero. Vide ſis teſtamentum Viglii inf. n. 29. ubi bona illa dicuntur patrui ſui *Buchonis* ac *Hermanni Conis* fuiſſe, & poſtea ad ſe perveniſſe ab Rege titulo emptionis & donationis in remunerationem ſervitiorum ſuorum, reſervata Regi facultate ea redimendi pretio 25078. flor. & 12. ſtuf.

LXXVII. (1) BARLEMONTIUS] *Carolus* Comes, Dnus. de *Perweys*, *Hierges*, *Hautepenne &c.* Eques ordinis Aurei Velleris, Gubernator Comitatus *Namurcenſis*, Præfectus ærarii Belgici, Conſiliarius Status. Fuit Regi Philippo II. fidus, Cardinalis Granvellani aſſecla. *Geuſium* nomen per contemptum ſupplicantibus apud *Margaretam Parmenſem* fœderatis Nobilibus accommodavit. Ejus geſta tempore tumultuum Belgicorum apud Auctores ſparſim reperias. Obiit Namurci anno 1578. Vide *Stradam* ad hunc annum.

(2) COMES DE BOSSU] imo *Bouſſu Maximilianus*, Eques Aurei Velleris, Belgici maris præfectus &c. de quo vide *Famianum Stradam*, aliosque.

(3) JOANNES COMES FRIS. ORIENT.] Eques Aurei Velleris, Præfectus Limburgi.

(4) DNUS. DE COURIERES] *Joannes* de *Montmorency*, præfectus Flandriæ Gallicanæ, Eques Aurei Velleris. &c.

(5) FRUCTUS SECUTUS FUIT] Poſt hæc verba ſubdit *Adrian. Gaudan.* „ Antea autem ſub finem videlicet anni 1561. „ miſſus fuit ſub alio pretextu *Judocus Courteuillius* Secretarius „ ex Hiſpania ad Duciſſam Parmenſem, ut ſecreto perſcru„ taretur ſtatum adminiſtrationis rerum publicarum, ſimul„ que unde naſceretur odium, quod gliſcere Rex ſenſerat con„ tra Cardinalem *Granvellanum*. Præſes autem *Viglius* conſi„ derans idem contra ſe tendere, nihilque magis deſiderans „ quàm ut aulæ curis, invidiæ, negotiiſque ſe ſubduceret, „ per eundem *Courteuillium* ad Regem ſcripſit, ut id benigne „ concederet. Cui Rex reſpondit ſe conſtituiſſe brevi Belgiam „ reviſere, ac tum Majeſtatem ſuam ejus, quod petebat, ratio„ nem habituram." *Ita codex uterque.*

LXXVIII. (1) MONTIGNEY] Rectius *Montigny Florentius* de *Montmorency*, Eques Aurei Velleris, *Tornaci* ac *Tornaceſii* præfectus. Ejus ſors nota eſt. Vide *Stradam* aliosque.

LXXIX. (1) HÆREDEM, SUCCESSOREMQUE] *Viglius* fuit hæres ſcriptus ex teſtamento *Lucæ Munich* Abbatis S. Bavonis. Teſtamentum conditum fuit ex indulto Apoſtolico ut hic narratur. Supra vero N. LXXI. affirmat *Viglius*, rogatum

rogatum se, ut in illo condendo operam suam interponeret. Accipe igitur testamentum Abbatis ex MS. *Joannis Francisci Foppens* Pœnitentiarii ecclesiæ nostræ Metropolitanæ.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Cum nihil certius sit ipsa morte, & hora ejusdem nihil incertius, Nos Lucas Munich humilis Abbas ecclesiæ Sancti Bavonis Gandensis, Tornacensis diœcesis, Sedi Apostolicæ immediate subjectæ, in sanitate mentis & corporis (gratia Domino Deo) competenter constituti, omnibus melioribus modo, via, jure & forma quibus potuimus, ac debuimus, ultra facultatem juris communis etiam apostolicâ erectionis (Cæsareæ Majestatis Placito approbatâ) qua expresse continetur, quod de quibusvis bonis nostris mobilibus & immobilibus quomodolibet etiam intuitu ecclesiæ acquisitis & acquirendis, libere in vita & in morte testari & disponere valemus, sufficienter muniti & authorisati, fecimus, condidimus & ordinavimus, facimus, condimus & ordinamus per præsentes testamentum, voluntatem & intentionem nostram, quæ jure testamenti aut codicillorum, aut pro alio quolibet dictamine voluntatis nostræ valere & effectum sortiri volumus in hunc qui sequitur modum.

Inprimis desiderantes sacramenta Sanctæ matris Ecclesiæ nobis debito & convenienti tempore administrari, animam nostram de hoc ergastulo corporis migraturam, in manus Dei nostri commendamus, humiliter offerimus & resignamus, deprecantes enixissime ejusdem immensam misericordiam, ut eam oculis clementiæ suæ dignetur intueri, ac meritorum Domini nostri Jesu Christi salvatoris nostri factam participem, cum sanctis suis faciat esse consortem.

2. *Corpus autem animæ nostræ hospitium, confisi de spe beatæ resurrectionis, volumus in terra sancta sepeliri, & condi in templo & loco, prout Coadjutor noster, vel præpositus successor determinabit, atque in memoriam nostri epitaphium apponi ex ipsius beneplacito, nisi ipsimet ante obitum providerimus.*

3. *Exequias vero pro more, ac sicuti pro prædecessoribus nostris Abbatibus olim fieri consueverunt, volumus celebrari, observatis laudabilibus ceremoniis (citra tamen omnem fastum & pompam) usitatis, cum convivio in domo nostra Gandensi, Decano, Capitulo & aliis officiariis nostræ ecclesiæ, aut justiciariis, faciendo pro discretione & arbitrio Coadjutoris nostri, aut futuri Præpositi, ex executorum infra nominandorum, atque eo die pauperibus dari & distribui sex modios bladi sive tritici in panes subacti, valoris unius stupheri, cum duobus stupheris argenteis eisdem impositis, & communibus pauperibus oppidi Gandensis mille florenos distribuendos pro dotatione pauperum filiarum, & alias pro discretione eorumdem.*

4. *Volumus item disponimus & ordinamus, ut Balluvius, Schulteti, Scabini, & Secretarius Collegii temporalis nostræ justitiæ, & dominii Sancti Bavonis, cum Ballivio & Schulteto dominii nostri de Everghem, una cum servitoribus & familiaribus nostris domesticis,*

nec non Pensionariis nostris in Concilio Flandriæ practicantibus, habeat tantum boni nigri panni, quantum cuique opus erit ad togam talarem sive vestem lugubrem cum caputio & pireto, ut bis vestiti exequiis nostris intersint, & sic per octo dies pro memoria & recordatione nostri incedant.

5. *Præterea volumus & ordinamus, ut omnes & singulæ nostri patronatus parochiales ecclesiæ habeant 30 solidos grossorum monetæ Flandriæ, quorum 10 solidi cedent Curato & aliis officiantibus in singulis ecclesiis pro nostris exequiis inibi cantandis & celebrandis, alii vero decem solidi cedent fabricæ ecclesiæ, & reliqui decem pauperibus ejusdem ecclesiæ.*

V. Testament. Viglii N. 7.

6. *Loco vero redditus annui 12 Regalium (quos Præpositi pro memoria sua quotannis post obitum celebrando, juxta statuta ecclesiæ nostræ fundare & relinquere tenentur) damus & legamus reditum 20 librarum 16 solidorum, & 8 denariorum grossorum monetæ Flandriæ nobis debitum per Cæsaream, nunc Regiam Majestatem, quem ex nunc destinamus pro bebdomadali Sancti Spiritus (quamdiu vivimus) & post mortem pro simili missa, certo die pro arbitrio Præpositi successoris nostri pro defunctis cantanda; quem quidem reditum volumus post obitum nostrum annuatim distribui pro anniversario & missa celebrandis, Præposito, Decano, & cæteris in dignitate constitutis, nec non Canonicis, Vicariis, Capellanis, & aliis Officiatis ejusdem ecclesiæ, secundum ordinationem sequentem: Videlicet 30 florenos pro missa hebdomadali per unum ex Vicariis a Præposito eligendum dicenda in capella nostræ sepulturæ, pro 32 præbendatis, qui intererunt duobus servitiis anniversarii nostri, scilicet Vigiliis & summæ missæ, singulis unum florenum, computando pro unoquoque servitio viginti solidos Parisienses, pro duodecim Vicariis & octo Capellanis a nobis ordinatis, pro unoquoque servitio singulis decem solidos Parisienses, pro reliquis autem officiantibus, cereis, & campanatoribus viginti florenos secundum arbitrium Præpositi distribuendos, & in usus pauperum reliquos triginta quatuor * florenos in pane & pecunia pro discretione dicti Præpositi distribuendos.*

* Dicere debuit triginta tres florenos. *Ita in marg. MS.*

7. *Et si contingat inposterum dictum redditum redimi, volumus eamdem summam in similem redditum, & ad eumdem usum converti.*

8. *Dictæ Capellæ nostræ sepulturæ damus & legamus tabulam S. Lucæ, cum altari & reliquis ornamentis per nos assignatis, vel assignandis.*

9. *Insuper ultra prædicta damus & legamus proximis cognatis & consanguineis nostris, videlieet fratrum & sororum nostrorum liberis summam sex millium florenorum, constituentium mille libras grossorum monetæ Flandriæ in singulas stirpes existentes ex nunc numero sex, æqualiter dividendam, ita ut unicuique stirpi mille floreni numerentur.*

10. *Deinde volumus & ordinamus, ut omnia & singula debita nostra,*

ſtra, donationes, promiſſiones & obligationes de quibus legitime conſtiterit, fideliter & integre ſolvantur & adimpleantur per infraſcriptos noſtros Coadjutorem & executores.

11. *Præterea omnibus ſervitoribus noſtris familiaribus, utpote Capellano, Oeconomo, Secretario & aliis famulis noſtris domeſticis ultra mercedem & ſalarium, quæ ipſis debebuntur, duplex ſalarium & ſtipendium ſolvi volumus unius integri anni, quantum eſſent accepturi, ſi duobus annis a die obitus noſtri in ſervitio noſtro permanſiſſent & famulatu.*

12. *Et quia nonnulli dictorum ſervitorum noſtrorum per plures annos nobis fideliter inſervierunt, quemadmodum etiam quidam ex fratrum & ſororum noſtrorum liberis & affinibus ſe erga nos affectuoſos, officioſos, atque obſequioſos præ cæteris exhibuerunt, vel deinceps exhibere poterunt, ultra ea, quæ ſupra ipſis generaliter legavimus ac donavimus, volumus & intendimus ea etiam eisdem ſuppleri & præſtari, quæ per ſcedulam particularem declarabimus, executoribus noſtris committentes, ut juxta contenta ejusdem voluntatem ac diſpoſitionem noſtram fideliter adimpleant.*

13. RELIQUA AUTEM OMNIA RELINQUIMUS PRÆPOSITO SUCCESSORI NOSTRO, EUMDEMQUE IN EISDEM UNIVERSALEM SUCCESSOREM NOSTRUM INSTITUIMUS.

14. *Poſtremo declaramus hoc noſtrum teſtamentum nos velle ab omnibus inviolabiliter adimpleri & obſervari, revocantes quæcumque alia teſtamenta ſive codicillos antehac per nos facta, ſive factos, reſervantes nobis facultatem iſtud idem teſtamentum de novo per codicillos augendi, mutandi vel imminuendi.*

15. *Pro quorum omnium executione atque adimpletione nos rogamus, eligimus atque conſtituimus omnium ſuprædictorum executores Venerabiles ac præclaros viros ac dominos Dominum Coadjutorem, aut alium Præpoſitum ſucceſſorem noſtrum, Dominum præſidem Flandriæ tempore obitus noſtri exiſtentem, Magiſtrum Robertum Cavrel Canonicum dictæ noſtræ Eccleſiæ, & Magiſtrum Franciſcum van Sevecotte primum ſcabinum dicti noſtri dominii S. Bavonis, requirentes, & eorum quemlibet, * ut onus noſtri ejusdem teſtamenti velint ſuſcipere, conſentientes ut pro adimpletione ejus poſſint ſubſtituere perſonam ſive perſonas ad hoc idoneas, dantes cuilibet ipſorum principalium executorum pro ſuis laboribus ſeptuaginta duos florenos (duodecim libras Flandriæ conſtituentes), volentes etiam quod quidquid per prædictos executores, aut majorem eorum partem actum & factum fuerit, id firmum & validum cenſeatur.*

* *Supple*: rogantes.

16. *In quorum noſtrorum executorum manus & poteſtatem poſuimus & tranſtulimus ponimus & transferimus per præſentes omnem pecuniam noſtram penes nos tempore obitus noſtri inveniendam, ſimul & credita noſtra, quæ nobis ex quacumque cauſa debebuntur.*

Et ſi inde tanta ſumma confici non poſſit, ut dictæ donationes & legata perſolvi queant, conſentimus & volumus, ut ex minus noſtris mobilibus & utenſilibus vendendis, & ex redditibus a nobis acquiſitis, & de quibus per nos aliter diſpoſitum non fuerit, ſuppleatur, quantum ſufficiat & ſatis ſit pro adimpletione hujus noſtri teſtamenti & legatorum prædictorum.

17. *In quorum omnium & ſingulorum robur, fidem & teſtimonium hoc noſtrum teſtamentum manu alterius noſtro juſſu deſcriptum, manu noſtra ſubſcripſimus & ſigillo noſtro conſignavimus, rogantes etiam teſtes in dorſo iſtius ſcripti nominatos, ut ad majorem confirmationem & adimpletionem dicti noſtri teſtamenti, velint de hac ultima voluntate notitiam habere & ſignare. Actum in domo noſtra Abbatiali in Loo Chriſti anno Domini* 1560. *die vero quarta menſis Octobris. Ita ſubſcriptum. Ita eſt. Lucas Abbas indignus Gandenſis, manu propria.*

Ende op den dos ſtont geſchreven aldus, op den 1. *December* 1560. *heeft Eerw. Heer ende Vader in Gode, d'Heer Lucas Abt van de Kercke Collegiale van Sinte Baefs binnen Gendt, dit tegenwoordich Quoyer gelevert in handen van de ondergeſchreve perſoonen ſyn Officiers, ende wethouders, verclarende 't ſelve te weſen ſyn teſtament, en uterſten wille by hem gemaeckt ende geordonneert volgende des autoriteyt ende faculyt ſynder Eerw. verleent by onſen alderbylichſten Vaeder den Paus, danof in 't witte van deſen, ende by eene andere acte danof als hedent oock geexpedieert, breeder mentie gemaeckt is, preſent als oirconde en Wethouders Lieven van Laecke Balliu, Joos van Hembyſe Schautete, Mrs. Frans van Zevecote, Jan Sanders, Jooris van der Piet, ende Pauwels van de Velde ſchepenen, ende Jan van Groelſt Secretaris van de Heerlickhede ende Vierſchaere van Sinte Baefs, die in kenniſſen der waerheden deſe preſente (t'ſyne verſoucke) onderteekent, ende ook geſegelt hebben metten gemeenen zegele van den voorſchreve Schependomme ten jaere en daghe als boven. Onderteekent, L. van Lake, Joos van Hembyſe, Zevecotte, J. Sanders, J. Piet, P. van de Velde, en J. van Groelſt, elck met heurlieder gewoonelycke handteekene. Gecollationneert jegens eene copie authentique ondt.* J. CRUCIUS *Notarius.*

Verbis haud nimium aptis *Lucæ Munich* hæres inſtitutus eſt *Viglius*, uti patet attente inſpicienti n. 13. teſtamenti. Hæc inſtitutio hæredis potiſſimum innititur indulto Apoſtolico, quod comprehenditur in Bulla *Pauli III.* erectionis Abbatiæ *S. Bavonis* in eccleſiam Collegiatam, quam vide, ſi lubet, in *Miræi opere diplom. tom.* 2. *p.* 1051. *Luca* defuncto, Capitulum Gandavenſe multa movit contra teſtamentum, quæ ſopita fuerunt per Conventiones duas inter *Viglium* & Capitulum annis 1563 & 1565. initas. Sed hæc proſequi alienum ſit ab inſtituto noſtro.

(2) Pos-

(2) POSSESSIO] præpoſituræ nimirum. *Heuſſenius in Hiſt. Epiſc. Leovard. p.* 51. & ex eo *Joannes Clericus in explic. biſtor. numiſmatum Fæd. Belg. p.* 17. neſciunt, primus an poſtremus præpoſitus dicendus ſit *Viglius*. Non adverterunt illi, Paulum III. in citata ſtatim Bulla, Abbatem S. Bavonis transformaſſe in præpoſitum eccleſiæ Collegiatæ, adeoque *Lucam Munich* (ut ut Abbatis nomen retinuerit, quoad vixit) primum fuiſſe præpoſitum, ſecundum *Viglium*; qui non recte poſtremus dicitur, niſi ratione benedictionis, ex qua & mitra & pedo uſus eſt. Habuit *Viglius* ſucceſſorem nepotem *Buchonem ab Aytta*, qui ſine mitra & pedo præpoſitus factus eſt: ſed non antiqua potitus præpoſitura (quæ Epiſcopo ceſſit) verum novâ, erectâ anno 1570. Tabulas vide *in Gall. Chriſt. tom.* 5. *col.* 350. Igitur præpoſiti ſucceſſores *Viglii*, Capitulo *S. Bavonis* jam cathedrali, præfuerunt, hodieque præſunt; verùm abſque inſigniis Abbatialibus & cum aliis iiſque minoribus proventibus.

(3) SOLEMNIS BENEDICTIO] ex qua jus mitræ & baculi paſtoralis obtinuit *Viglius*, quibus proinde inſigniis ſcutum gentilitium ornavit, uti videre eſt apud *Joan. Clericum cit.* Hanc benedictionem *Viglio* impertitam fuiſſe ignoravit *Heuſſ.* qui proinde non niſi conjectando hoc illi jus tribuit loc. ſup. cit. Nec plura novit ejus gloſſator *Henricus van Ryn.*

LXXX. (1) PHILIPPUS NIGRI] in Morinis natus, J. U. D. & protonotarius apoſtolicus, vir moribus candidus, ingenio & prudentia clariſſimus, multa poſſedit beneficia eccleſiaſtica & ſecularia more illius ævi. V. *Gall. Chriſt. tom.* 5. *col.* 127. *Hiſt. Epiſc. Antverp. Val. Andr. in bibl. Belg. Butkens in ſuppl. tom.* 2. *p.* 417. *Aub. Miræi ſcrip. ſec. XVI. p.* 184. *in edit. Fabric. La toiſon d'or. tom.* 1. *p.* 176. *tomb. des hom. illuſt. p.* 25. *&c.*

(2) NOMINAVERE] ſi archiepiſcopus Cameracenſis, ut *Adr. Gaud.* aſſerit, ab Aurei Velleris equitibus Regi propoſitus fuit pro munere Cancellarii Ordinis, is fuit *Maximilianus de Berghes* ex Comitibus de *Walhaim* primus ejuſdem ſedis archiepiſcopus conſtitutus an. 1559. & qui obiit an. 1570. de quo, ſi lubet, V. *Gall. Chriſt. tom.* 3. *a col.* 51. *Tornacenſis* epiſcopus, quem *Viglius* nominat pro eodem munere ab equitibus deſignatum, eſt *Carolus de Croy Henrici* Comitis *Porceani* filius, qui & Abbas *Affligenienſis*, *Alti montis* & *S. Giſleni* in *Hannonia* exſtitit. Obiit an. 1564. *Gall. Chriſt. cit. col.* 239. Unde videas qualibus quantiſque viris prælatus *Viglius* fuerit.

LXXXI. (1) Quæ *Viglius* hic, (ſcilicet N. 81. 82. 83. 84. & 85. uſque ad hæc verba: *ſub paſchalia feſta Gandavum adiit*)

commemorat, ea omnia *Adr. Gaud.* reſecavit, conſilio nobis incognito.

(2) SCRIBERENT] Quid proceres ad Regem ſcripſerint, & quæ regis ad eos reſponſio, accurate narrat *Nic. Burg. Hiſt. Belg. lib.* 1. *p. mihi* 67. *V. quoque Pont. Heut. lib.* 16. *cap.* 5. *Haræi annal. ad an.* 1563. *& Famian. Stradam. &c.*

(3) MANIPULI SAGITTARUM] Non hic primum confœderationis ſignum fuit. Geſtarant famuli prius atras veſtes, & ſuper pallii latus, aureo internitente filo, morionis cuculum, tamquam ludibrium, quod non obſcure ad *Granvellanum* referebatur. Cùm id Gubernatricem offenderet, loco cuculli repoſitus fuit faſciculus ſagittarum, qui procerum concordiam indicaret. *V. Nic. Burg. cit. & Haræum. Pont. Heut. ſup. cap.* 6. a quorum narratione nonnihil diverſus eſt ſermo *Famiani Stradæ lib.* 4. *in init.*

(4) ARMENTERIUS] *Thomas.* Hiſpanus, vetus aulicus, *Margaretæ Parmenſi* a ſecretis & ab epiſtolis. *Strada. Nic. Burg.*

LXXXIV. (1) CORRASISSE FERTUR PECUNIAM] Non ſolus *Viglius* inſimulat *Armenterium*; etiam *Nicolaus Burgundus* lib. 1. p. mihi. 64. eum avaritiæ accuſat. Et *Pontus Heuterus*, qui ita ſcribit lib. 16. cap. 6. „ Profecto in Burgun„ diam Cardinale, nihilo Belgarum res quietiores fuerunt. „ Aurantius enim cum fœderatis ab una parte, Armenteros „ ab altera, ſacra, profanaque officia venum exponunt, ho„ micidas maleficoſque auro liberant, ſortes varii generis, „ uſuras, ac quicquid gratia Principiſque beneficio egebat, „ interveniente concilianteque auro, permittunt: Armente„ ros avaritiæ cauſa; Aurantius, ut, rebus omnibus pertur„ batis, juſte apud Regem de Gubernatrice conqueri poſſet, „ eamque ut Cardinalem Belgio pelleret ".

LXXXV. (1) MENSE AUGUSTO MORS FERDINANDI IMP. ET PII IV.] Duplex hic anachroniſmus. Ferdinandus I. Imp. obiit 25. Julii 1564. & Pius IV. P. P. 9. Decemb. 1565.

LXXXVI. (1) BUCHO A MONTZIMA] Vide catalogum noſtrum præpoſitorum & decanorum quinque eccleſiarum Ultrajectenſium. Porro ad theologiæ magiſterium promotus fuit die 29. Auguſti 1564. & vivere deſiit Ultrajecti an. 1594. die 6. Februarii, apoplexiâ ſubitâ tactus, dum horas legeret Canonicas. *Faſti Acad. Val. Andr. p.* 79. *Viglius* eum impenſis ſuis aluit tum Lovanii, tum Pariſiis, & ſegnem quandoque his excitavit literis, „ Accepi nepos chariſſime ſuperioribus „ menſibus aliquot abs te literas, ſed breves admodùm, quæ „ nullam aut certe perexiguam ſtudiorum vel tuorum vel „ *Folk-*

„ *Folkhardi* ac *Joannis* commemorationem continebant. Scis „ autem nihil mihi posse contingere gratius, quam ut de pro„ fectu vestro quàm creberrime certior fiam. Nec enim satis „ est te dumtaxat de pecuniis mittendis scribere: nisi etiam „ aliquando utiliter eam impendi ostendas. Jam vero avebam „ audire, te publicum aliquod specimen studiorum tuorum „ isthic exhibuisse. Turpe quippe fuerit Theologiæ Baccalau„ reo & Scholæ Lovaniensis alumno Lutetiæ semper deli„ tuisse, nec in arenam umquam progredi ausum fuisse. „ Certe nisi Theologiæ studio exercitatio aliqua accesserit, „ omnino id frigere censetur, & ut in proverbio est, occul„ tæ Musices nullus respectus. Ego nuper cum adversa vale„ tudine sat graviter ac periculose sum conflictatus, sed opi„ tulante Deo nunc rursus habeo meliuscule. Quum mea „ autem ætas ad senium jam vergat, & morbis quotidie in„ festetur, id vobis sedulo conandum est, ut dum adhuc hac „ vita fruor, aliquam ex vestro profectu voluptatem capere „ possim. Quod ad te potissimum scribo, ut quum cæteris „ nepotibus ætate præeas, non modo exemplum illis, quod „ sequantur, exhibeas, sed tua exhortatione subinde eodem „ excites. . . . . Vale mi nepos. Datum Bruxellæ 28. Au„ gusti 1560". *Ex tomo 4. p. 615.*

(2) RUARDUS] *Tapperus de Encbusia* Batavus, S. T. Doctor Lovaniensis, professor celeberrimus, Decanus S. Petri, Cancellarius Universitatis, supremus fidei Inquisitor, ad Concilium Tridentinum primus evocatus, vir fuit incomparabili doctrina, integritate, auctoritate. De quo vide *Val. Andr. in fast. Acad. & in biblioth. Belg. Miræum in edit. Fabricii p.* 167. *aliosque.*

(3) TILETANUS] *Judocus Ravestein*, qui, quod *Tileto* Flandriæ oriundus esset, *Tiletanus* dictus. Fuit præpositus *Walcurienſis* in dioceſi Namurcensi, doctor Theologus & professor in Academia Lovaniensi, ac privilegiorum ejusdem conservator. Concilio Tridentino, ac *Wormatiensi* colloquio an. 1557. interfuit una cum *Francisco Sonnio*, *Martino Rythovio*, *Bartholomæo Latomo & Petro Canisio* Belgis, hæresesque suo tempore contra Catholicam fidem atque ecclesiam insurgentes doctrina & libris scriptis profligavit. Obiit an. 1570. 7. Febr. Ita *Val. Andr. in bibl. Belg.* Vide *Fast. Acad.* Plura *Miræus in edit. Fabricii p.* 183.

(4) JACOBUS HORSTIUS] „ *Conianus* alias *Coemans*, ab „ *Horst.* Fuit primum Canonicus ad S. Gereonem Coloniæ, „ deinde Canonicus & Scholasticus ad S. Joannem Gandavi, „ a *Viglio Zuichemo* eò evocatus. Scripsit Coloniæ Defensio„ nem pro *Communione sub una specie*, adversus Hamelmanum. „ 1563."

„ 1563." *Faſti Academ.* Non repugnat quod *Val. Andr.* hic eum dicat ſcholaſticum ad S. Joannem, & *Viglius* in vita, ad S. Bavonem; Capitulum namque Canonicorum S. Bavonis ab æde S. Bavonis ad exſtruendam arcem, dirutâ, ad ædem parochialem S. Joannis Gandavi anno 1540. tranſtulit *Paulus* P. P. III. Diploma exſtat apud *Miræum tom.* 2. *novæ edit. p.* 1059. Hodie communiter & Capitulum & templum, S. Bavonis nomine appellantur. Ceterum *Horſtius* ex munificentia *Viglii* doctoralem lauream ſuſcepit, ſi *Adriano Gaudano* fidimus, qui hanc, quam commentamur, narrationem; aliis verbis effert: „ Eodem anno 1564. (*ita ille*) ſub finem menſis „ Auguſti, cum *Bucho a Montzima* ejus ex ſorore nepos, „ poſtquam ſtudio theologiæ apud *Ruardum Tiletanumque* in„ ſignes theologos Lovanii operam dediſſet, atque deinde „ etiam Lutetiæ, eiſdem ſtudiis incumbens, aliquot tempus „ moratus fuiſſet, Doctoralemque lauream Lovanii ſuſcipere „ decreviſſet, *Viglius* avunculus in id ſumptus non illuben„ ter contribuit, ac D. *Jacobum Horſtium* theologiæ Licentia„ tum, quem antea in Canonicum Sancti Gereonis Coloniæ „ recipi curarat, ſocium ejus honoris adjungi, eodem ſuo „ ſumptu curavit, Lovaniumque ad diem præfixum tantus „ curialium honoratorumque virorum numerus confluxit, ut „ non antea frequentiorem in theologia actum habitum Lova„ nienſes meminerint".

(5) MEMINERINT] ſubjungit *Adr. Gaud.* quæ ſequuntur: „ Eodemque pene tempore Illuſtriſſimus Cardinalis *Bo„ romeus* mandato *Pii IV.* pontificis, proprioque ejus motu „ tranſmiſit ad *Viglium* diploma pileumque Prothonotariatus, „ offerens eidem majorem cum tempore beneficentiam, quod „ eum antea in caſtris ante *Ingolſtadium* noverat, ac pleraque „ Sanctitati ſuæ grata obſequia exhibuerat." Hanc vitæ ſuæ circumſtantiam omiſit *Viglius* in *Vita ſua*, uti & alias quaſdam de quibus agemus ad calcem harum notarum. *Protonotariatus Apoſtolicus* quid ſit, accurate invenies explicatum in Dictionario Trivoltiano. Hinc jam intelligitur, unde in Bullis pontificiis appelletur *Viglius*: *Dilectus filius noſter Viglius a Zuichem præpoſitus eccleſiæ Gandavenſis, Notarius noſter.* Dipl. Miræi tom. 2. p. 1105. Porro Cardinalis Boromeus de quo hic, ipſus eſt *Sanctus Carolus Borromeus*, de quo, uti Cardinale, *V. Ciacon. tom.* 3. *col.* 891.

LXXXVII. (1) PRÆPOSITUS BRUGENSIS] *Claudius Carondelet, Joannis* (Archiepiſcopi Panormitani, ac Brugenſis quoque præpoſiti) ex fratre nepos, & ſucceſſor ab anno 1544. En illius epitaphium ex ſacello ſuo in eccleſia Cathedrali S. Donatiani: *Reverendus generoſuſque Dominus Claudius*

dius Carondelet, ecclesiæ hujus Cathedralis ultimus præpositus, perpetuus Flandriæ Cancellarius, Decanus ecclesiæ Metropolitanæ Bizuntinæ, Carolo Quinto semper Augusto a Privatis Consiliis, futuræ corporum resurrectionis memor, sibi & suis testamento fieri jussit. Vixit annos LI. Decessit 3. Idus Augusti MDLXIV. Ex libello cui titulus: *Compendium Chronologicum Episcoporum Brugensium, nec non Præpositorum, Decanorum &c.*

(2) EPISCOPUS] nempe Brugensis, primus fuit *Petrus Curtius*, vulgo *De Corte*, Brugensis, plebanus S. Petri Lovanii. Possessionem præposituræ adiit 31. Septembris 1564. Præfuit annis quinque & mensibus aliquot. Obiit 17. Octob. 1567. V. *Compend. cit. p.* 22. *Gall. Christ. tomo* 5. *col.* 249. Hic obiter notandum, falli *Nicolaum Burgundum* dum historiæ suæ lib. 2. p. (mihi) 84. scribit, *accessionem præposituræ, quamvis pridem destinatæ, Episcopo non ante permissam fuisse, quàm laicæ jurisdictionis insignia ejurasset.* Illam namque veterem præposituræ Brugensis laicam jurisdictionem hodieque possident episcopi Brugenses haud secus quàm Gandavenses obtinent *Bavonianam.*

(3) SCHETZIUS] *Gaspar*, de quo Vide *Stradam* lib. 4. post initium. Erat S. R. I. Comes, Baro de Wesemael, Dominus de Grobbendoncq, Hingene, Heyst, Gestel &c. *Suppl. de Butkens* tom. 1. p. 287. Regii ærarii quæstor seu thesaurarius.

LXXXVIII. (1) CANCELLARIUS BRABANTIÆ] *Joannes Scheyfve*, Dominus de Rode, Ottenbourg, Nethene &c. scabinus & dein Consul Antverpiensis. *A Carolo Quinto* in Angliam legatus missus. Redux Consilio privato adlectus, & an. 1557. Cancellarius constitutus; cui dignitati renuntiavit an. 1579. Obiit Antverpiæ an. 1581. *V. Butkens trophées de Brabant tom. 2. novæ edit. p.* 371. *Tomb. des hom. illust. p.* 35. *Suppl. de Butkens tom. 1. p.* 175. Is Buscum-Ducis ad compescendos ibi motus missus a confœderatis detentus fuit. *V. Flor. Vander Haer de init. tum. Belgic. lib. 2. p.* 442.

(2) MASIUS] *Engelbertus*, Sanctioris Regii Senatus Consiliarius & demum præses anno 1614. Obiit 2. Octobris 1630. ætatis 85. Sepultus in ecclesia Collegiata S. Gudulæ Bruxellis. *V. Tomb. des hom. illust. p.* 21.

(3) LIBERTATEM.... ADIMERE] Huc refer, si lubet, *Josephum de la Pise Tableau des Princes d'Orange p.* 336. ubi hanc Principis Guilielmi orationem coram Margareta & Senatu habitam largis paratibus, & quæsitis ex omni antiquitate coloribus ornavit adeo, ut moveat cornicula risum. Confer utramque, dignoscere si velis, quantum inter puram nudamque narrationem, & phalerata dicta intersit.

XC. (1) CORNELIUS JANSENIUS] Hulstensis. Oppidum est Flandriæ Fœderatis tamen Provinciis subditum. Fuit

Sac. Theol. Doctor & Decanus ad S. Jacobum Lovanii. Ad Sac. Conc. Trid. missus fuit a *Philippo II.* cum *Michaele Bajo* & *Joanne Hessélio*, Vir singulari doctrina præditus, ut ejus opera testantur totius orbis calculis probata, hodieque in omnium manibus ac preconio. Obiit an. 1576. *V. Val. Andr. in bibliotb. Belgica. Miræum in script. sec. XVI. fol.* 203. *in edit. Fabrici. Ant. Sanderum de claris Gandaven. Arnol. Raissium in Belg. Christ. Gall. Christ. tom.* 5. *col.* 161. Ad *Viglii* querelam, quod a Rege, de nominato ad Episcopatum Gandavensem *Jansenio*, *admonitus non fuisset*, addit Adr. Gaudanus hæc verba: *Armenteritque ac Molinæi cujusdam suggestione, qui non exigua ex eo munera expectabant, factum intellexerat, Jansenium benigne amplexus fuit &c.* Quorum verborum cùm intellectum non capiam, ea in medio relinquo.

(2) PROSECUTUSQUE] *ac tandem adjuvit, ut ejus episcopatus possessionem pacificam fovente Duce Albano, successore Ducissæ Parmensis, consequeretur*: Additio Adriani Gaudani.

XCI. (1) NOVEMVIRI] Hos non loquuntur *Pontus Heuterus*, nec *Famianus Strada*, nec *Borrius*, nec *Gerardus Brandt. Nicolaus Burgundus* non nisi octo numerat. *Joachimus Hopperus* in suo commentario Gallico, quem in his collectaneis primi vulgamus part. 2. cap. 4. omnes novem attulit videlicet: *Martinum Ritbovium* Iprensem, *Antonium Havet* Namurcensem, *Gerardum de Hamericourt* Audomarensem, episcopos. *Jacobum Martens* Flandriæ, *Hippolytum Perfyn* Ultrajectensium præsides, & *Antonium Meulenaere* Consiliarium Mechlinien sem. *Judocum Tiletanum* & *Cornelium Jansenium*, theologiæ, ac *Wilmarum Bernaerts*, Canonum, professores.

XCII. (1) PRINCEPS PARMENSIS] *Alexander Farnesius*, de cujus nuptiis vide historicos passim; *Stradam lib.* 4. *Pont. Heut. lib.* 16. *cap.* 8. *&c.*

(2) AB HAMMES] *Nicolaus, Equitum aurei velleris fecialis, vulgo Tosondorus appellatus, præcipuum conjurationis instrumentum*, inquit Strada lib. 5. p. (mihi) 209. In libello: *La Toison d'or &c. a Cologne* 1689. enumerantur armorum reguli seu feciales Ordinis, inter quos septimus pag. 205. his verbis ornatur: *Nicolas batard de Hames, gentilhomme, de l'artillerie, fut elevé Roy d'armes, dit Toison d'or le* 21. *de Septembre de l'an* 1561. *mais s'estant engagé avec les seditieux aux troubles du Pays-bas, & se transportant en Allemaigne, il a delà renvoyé l'esmail de cet office a la Princesse Marguerite de Parme lors Gouvernante du Pays-bas en* 1561. *& fut a la fin occis en une rencontre.* Errat hic auctor in anno, quem citat, non enim nisi anno 1565. insultavit *Viglio*, ejusque fuga & officii dimissio posterior est. Ceterum juverit hic legere *Pontum Heuterum lib.* 16. *cap.* 8 *et* 9.

XCIV.

XCIV. (1) CAROLUS A TYSNACQ] Cujatis fuerit, hactenus quæro. Quis fuerit, docuit me auctor libelli jam citati, *La Toiſon d'or &c.* p. 190. *Fils de Simon Eſcuyer de la Reyne Marie d'Hongrie, & de Marie van Thielt, Conſeiller des Conſeils d'Eſtas & Privé, Garde des Seaux aux affaires de Flandres lez la Royale perſonne de Philippe II. lequel il avoit ſuivy en ſes Royaumes d'Eſpagne, il fut eleu Treſorier de l'ordre le 27 May 1562. & obtint l'eſtat de Chef & Preſident du Conſeil Privé le 9 Septembre 1569. par le depart volontaire que le Preſident Vigile ab Ayta en avoit fait a cauſe de ſon indiſpoſition & grand aage, lequel neanmoins fut retenu en la charge de Preſident du Conſeil d'Eſtas par lettres patentes du 9 d'Octobre de la meſme annee. Il deceda en l'an 1572. laiſſant un fils Charles de Tiſnac Chevalier de l'ordre Militaire de Calatrava, & Lieutenant du Roy en ſa Cour feodale de Brabant, & Catharine Tiſnac eſpouſe de Meſſire Jean de St. Aldegonde, Seigneur de Celles. Ledit Treſorier a ſa ſepulture dans l'Egliſe de noſtre Dame au Sablon en la chapelle fondée par ſes parens, & embelie d'un tableau d'autel contenant ſon pourtrait, & celuy de ſa femme Catharine Boiſot & de ſes enfans avec leurs armes.* Non recte dicitur Regem ſecutus fuiſſe in Hiſpaniam. *Hopperus* enim in Commentario ſuo part. 1. cap. 1. in fine hæc habet: *Sa dicte Majeſté feit venir avecq ſoy Meſſire Charles de Tiſnacq Chevalier, pour conſeiller d'Eſtat & garde de Seaulx des dits Pays.* Scripſit *Commentaria* ſive *Memorias de cauſis & initiis turbarum Belgicarum* quibus in contexenda ſua hiſtoria adjutum ſe fatetur *Nic. Burgundus in præf. ad lectorem.* Ita obſervavit *Val. Andr. in bibliotb. Belg.* Vetus illi cum *Viglio* fuit uſus & conſuetudo, a quo exſtat ad *Tiſnacium* eleganter jocoſa epiſtola, quam exhibeo, ut quo loco apud eum fuerit, aperiam: „ CAROLO TISNACO. Tune quartanam malum „ vocas & vituperare audes? At ego te Philoſophiæ ſtudiis „ apprime antea deditum, putabam non habere in malis quæ „ corpori adverſa accidunt, niſi forte in Epicureorum ſectam „ tranſiliiſti. Sed tamen quid *Phavorino* * reſpondebis, qui „ laudavit etiam tam civilem hoſpitem, qua quarta demum „ luce leviter corpus afficit, ut quod interea eſt temporis „ longe reddatur jucundius? Noſti enim illud ex trivio carmen, *Dulcia non meminit qui non guſtavit amara.* Nam ſi ſerio tecum ageret, haud eſſet ſane otium ut tam ſanas & „ eruditas literas ſcriberes, quarum me elegantia magnopere „ delectavit. Sed extra jocum, valde mihi moleſtum eſt adventus tui exſpectationem in tam longum tempus eſſe rejectam, ut cum tu huc proficiſcêris, nos dé abitu ſimus deliberaturi. Si tamen ad proximum ver venies, nos hic „ invenies. Nam ſub ſequentem hyemem *Florentiæ* & mihi „ de-

* *Favorinus Arelatenſis, philoſophus & orator.*

„ decretum eſt Roma luſtrata patriam repetere. Cum æſtu „ quippe Italico mihi non ſatis convenit. Si ſemel adhuc „ perferre potero, haud ulterius faciam periculum. Rogo te „ mi *Carole*, ut quoad potes, profectionem matures: cupio „ enim te videre antequam ſcholis valedicam, quo iterata „ conſuetudine animos ad mutuam benevolentiam inclinatos, „ in reliquæ vitæ officiis confirmemus. Quantum in *Sucque-* „ *to* * amiſerim non ignoras: hæc jactura aliunde reſarcien- „ da eſt &c. Patavii 6 Calend. Janua. 1532." *Ex tom. 2. p.* 64. *Verſa.* Anno 1536. cum *Tiſnacus Viglio* gratularetur Senatoriam in Imperiali Camera Spirenſi obtentam dignitatem, hoc ab eo reſponſum tulit: „ Tibi mi *Carole* viciſſim dignam tuis „ virtutibus fortunam comprecor, quæ dubio procul melio- „ ribus quoque tibi auſpiciis obtinget, qui illic videlicet non „ modo honeſto loco natus, ſed privatæ inprimis fortunæ, „ tum parentum patronorumque ſuffragio, & iſtius maxime „ non vulgaris eruditionis commendatione adjutus, ad hono- „ res obeundaque Reip. munia, ad quæ te multis annis egre- „ gie compoſuiſti, faciliorem gradum habeas. Quum autem „ tua, mi *Carole*, ætas ſuadeat ut ipſe tandem ad id vitæ „ genus te præpares in quo conſeneſcere voles: danda tibi „ iſthic eſt opera, ut in tempore aliqua tibi ſparta ornanda „ contingat &c." *Ex eod. tomo. p.* 387. Hinc illud unum eruitur, *Tiſnacium* fuiſſe Belgam; qua de re nullum mihi dubium.

* *Carolus Sucquetus, de quo V. Val. Andr. in bibl. Belg.*

(2) AD EJUS CONSILIUM REFUGERE] coacta fuit *Margareta* Gubernatrix. Ejus igitur conſilium reſpuit aliquando: fatente *Viglio*, ſe *in plerisque expeditionibus*, a Gubernatrice imperatis, & *ſcrupuloſum & refractarium* habitum fuiſſe. Hanc confeſſionem ſuſtulit *Adrian. Gaudan.* ejusque loco ſubſtituit encomium intempeſtivum, quod a *Viglii* mente, & ab aperta confeſſione, quod Gubernatrix de ſubſtituto ei Tiſnacio *non parum gaviſa fuerit*, alienum eſt. Loquitur autem his verbis: „ Duciſſa Parmenſis Viglii operam præſentiamque ne- „ ceſſariam ſibi in dirigendis negotiis animadvertens, effe- „ ciſſe creditur ne *Tyſnacii* adventus acceleraretur, ac inte- „ rea operam ſuam in reſtaurandis rebus oppido turbatis *Vi-* „ *glius* impendere pergeret. Cui Duciſſa poſtea ex hac pro- „ vincia decedens in præſentia totius Conſilii teſtata fuit, ſe „ non alterius opera ac conſilio in rebus turbatis adjutam, „ ejusque conſilio Bruxellæ manendo urbem ipſam conſer- „ vaſſe, gratias ei id circo agens, ac numquam ſervitiorum „ ab ipſo impenſorum immemorem ſe futuram promittens „ &c," Ut ut hæc poſterior oratio vera narret, ſerpit humi, nec *Viglii* æquat animum.

V. Vitam Viglii N.XCIX.

XCV.

XCV. (1) ACCEPTIS AUTEM &c.] Quæ hoc numero & ſequentibus exponit *Viglius*, ea ad hiſtoriam Belgicorum tumultuum attinent: ad quæ nihil commentabor, quòd diligenter & anxie atque fideliter conferenda ſint cum tot libris impreſſis auctorum cùm Belgarum tum exterorum, qui de bello Belgico Seculi XVI. ſcripſerunt prout quisque fuit affectus, aut certe inſtructus. Laborem illum inſumat, qui novam unam ex omnibus hiſtoriam turbati ac ſciſſi Belgii adornare audet, & utatur iis quæ *Viglius* prodidit incognita uſque huc, & *Hopperus*.

(2) INQUISITORES] De Inquiſitoribus & Inquiſitione multi multa ſcripſerunt, pauci vera, aut ſaltem accurata. Qui non delectantur fabulis aut invidia, qua eccleſiam Romanam ob Inquiſitionis officium gravarunt nonnulli auctores, conſulant *Hopperi* Commentarium gallicum quem publicamus (part. 2. chap. 9.) adhibito *Nicolao Burgundo Hiſt. Belg. lib. 2. p.* (mihi) 124. Juverit quoque inſpicere Dictionarium *Trivoltianum* Verbo: *Inquiſiteur*. Et in nova editione diplomatum *Miræi tomo* 3. *p.* 469. habes nomina Inquiſitorum eorumque juramentum.

XCVII. (1) SUPPLICATIO] a confœderatis Nobilibus *Margaretæ Parmenſi* oblata & apud AA. obvia, compoſita videtur a *Franciſco Balduino* celebri Juriſconſulto, uti prodidit *Niceronius* tom. 28. p. 262. in fin. his verbis: „ *Baudouin* ſe „ rendit a Bruxelles en 1564. & y ayant communiqué avec „ les Seigneurs qui l'avoient appellé, il dreſſa un diſcours en „ forme d'avis ſur les troubles de Religion, qui fut envoyé „ au Roi d'Eſpagne. Il ſe trouva enſuite aux premieres aſ„ ſemblées que les Mecontens tinrent a Breda, & ce fut lui „ qui dreſſa l'ecrit par lequel ils demanderent le 3. Avril „ 1566. a la Ducheſſe de Parme, le libre exercice de la Re„ ligion Proteſtante." Hanc vitæ circumſtantiam ignoravit *Miræus* in ſcript. Sec. XVI. neque illam lego in *Valerii Andreæ elogiis* nec in *biblioth. Belg.* ſed additum reperi in nova editione tom. 1. p. 284. ubi tamen id non refertur acceptum a *Niceronio*.

CX. (1) PRÆSIDES AC CONSILIARII &c.] Conſilii turbarum, fuerunt duodecim numero, uti hiſtorici concorditer adnotarunt. Miror horum nomina ad poſteros non deveniſſe omnia. Nullos protulit *Strada*, nec *Pontus Heuterus*, nec *Grotius*, nec *Reidanus* &c. *Borrius* octo, *Meteranus* ſeptem, nec plures *Erneſtus Eremundus Friſius*. In ipſis *Viglii* epiſtolis ad Hopperum deſiderantur nonnulli. Conſtat autem hos fuiſſe electos

Carolus Comes Barlemontius & Philippus Noircarmius: sed qui non comparuerunt, prout ipse *Meteranus* advertit.
Adrianus Nicolai Cancellarius Gelriæ.
Jacobus Martens præses Flandriæ.
Petrus Asset præses Arteſiæ.
Joannes de Blasere Consiliarius Mechliniensis.
Jacobus Hesselius Consiliarius Gandavensis.
Ludovicus Del Rio Fiscalis Burgundiæ.
Joannes Vargas Hispanus.

Hos nominat *Viglius* in epistola ad Hopperum data 4. Nov. 1567. Ernestus Eremundus, & auctor supplementi Gallici ad Famianum Stradam, his jungunt

Joannem de la Porte Consiliarium Gandavensem, qui fuerit advocatus Fiscalis Flandriæ quem *Viglius* innominatum adducit in cit. epist. E. Eremundus solus profert

Belinum Biese Consiliarium.

Porro procuratoris generalis officium obivit *Joannes du Bois* Consiliarius & Fiscalis Mechlinienſis. Ceterum Consilium duodecimvirale, post quinque, quatuor, imo triumvirale factum fuisse, contendit *Emmanuel Meteranus in Belg. hist. latina ad an.* 1567. *p.* (*mihi*) 66.

CXIV. (1) SECUM DISPICERE COEPIT &c.] Hic prolixior atque explicatior est *Adr. Gaudan*: „ Tempus esse „ animadvertens ut propediem hinc migraturus de sarcinis „ componendis cogitare inciperet, & abdicata rerum mundanarum temporaliumque solicitudine, animum ad quietem „ tranquillitatemque ac vitæ æternæ beatiorisque meditationem seſe componeret, quo Deum sibi placatiorem redderet. Ne autem de bonis temporalibus cura recurreret, semel de ipsis testamento disponere, matureque, dum vitam „ ei Deus hic concederet, executioni ea mandare, visum „ illi fuit. Inprimis autem censuit, ut id quod ex beneficii „ ecclesiastici Præposituræque *Sancti Bavonis* proventibus comparserat, in pios usus converteret. Singulari autem affectione studiosos homines bonarum sacrarumque literarum „ complexus, in eorum usum Collegium Lovanii fundare „ constituit; ac ut senibus, qui victum suo labore amplius „ quærere non valerent, puerorumque quo in literis ac religione recte formarentur studia promoverat, hospitale sive „ Gerontoconium; adhæc scholam pro aliquot pueris sive „ adolescentibus in primis literis Religioneque formandis, una „ cum ludimagistro in pago *Zuschemensi* cum ædificiis proventibusque necessariis, fundare ei placuit.”

(2) COLLEGIUM] quod *Val. Andr.* in Fastis Academicis studii

studii generalis Lovanienſis, his verbis deſcribit. „ *Viglius ab* „ *Aytta*, Zuichemus, Friſius, juriſconſultus clariſſimus, inge„ nii acumine, dicendi facundia, linguarum peritia, pruden„ tia, eruditione, & humanitate propemodum ſingularis, *Ca„ roli* Quinti Imperatoris in Camera *Spirenſi* aſſeſſor, ejuſdem„ que & *Philippi II.* Regis catholici in Sanctiori apud Belgas „ Senatu Præſes, atque exinde uxore elata presbyter, illuſtriſ„ ſimi ordinis aurei Velleris Cancellarius, ad *D. Bavonem* apud „ Gandavenſes Præpoſitus, inter alia pia opera & grata po„ ſteritati monumenta, anno CIↃ. IↃ. LXIX. celeberrimum „ Lovanii Collegium fundavit ac dotavit pro duodecim (ne„ que enim plures ipſe Fundator admittit) partim ſuæ gen„ tis ſeu Friſiis, partim Gandavenſibus, primo Artium Philo„ ſophiæve, ac deinde theologiæ, juriſve Pontificii ſtudioſis. „ Quamquam ſi a patrono Zuichemenſi intra ſex menſes a die „ vacationis legitime intimatæ, neminem præſentari contin„ gat, poſſit tunc Rector Academiæ Lovanienſis cum Colle„ gii Proviſoribus, ſaltem duobus (tres enim Fundator no„ minavit, ſeniorem S. Theologiæ profeſſorem, eumque ſecu„ larem, SS. Canonum Anteceſſorem primarium, & eccleſiæ „ *D. Quintini* parochum) pro illa vice in ejus locum ſubſti„ tuere Lovanienſem aliquem bonæ ſpei adoleſcentem: ita „ enim habet artic. IX. Statutorum ejuſdem Collegii. Obiit *Vi„ glius* Bruxellis. &c. ”

(3) GERONTOCOMIUM] Ejus fundationis tabulas dedit *Heuſſenius in hiſt. Epiſc. Leovard. p.* 108. quas, cum huc pertineant, dabimus infra poſt *Genealogiam Ayttanam*.

(4) CAPELLA] Hæc Paullo aliter *Adr. Gaudan.* „ Poſtre„ mo capellam in eccleſia Sancti Bavonis eleganti altaris ſtru„ ctura, marmoreoque ſepulturæ monumento condecorari, & „ ſacerdotem ibidem competenter dotari fecit. ”

CXV. (1) FINIS] Expendimus *Viglii* facta dictaque, prout illa ſcripto complexus eſt ipſe. Omiſſas animadvertimus (ſtudio, an memoriæ lapſu?) quaſdam vitæ circumſtantias, quarum duas hic referre viſum eſt.

Ad N. XXXIX. in his notis, docuit nos *Viglius* cauſas ob quas Vice-Cancelliaratûs munus apud *Carolum Quintum* recuſarit poſt mortem *Matthiæ Held*. Huic ſuffectus fuit *Joannes Nevius* Luxemburgenſis anno 1540. de quo Vide *Freherum in theatro*: quo in medio gloriæ curſu e vita excedente, anno 1547. ad id munus altera vice poſtulatus *Viglius*, iterum declinavit, literis tum ad *Nicolaum Perenotum* tum ad *Antonium Granvellanum*, poſtea Cardinalem, datis. Ad hunc ſcribens recuſat aperte, ut ſolet, & ſine ulla circuitione: ſignificans quoque, ſi Cæſar inſiſteret, deprecatorem ſe, pro ſuo periculo præbiturum fuiſſe.

fuiſſe ipſummet Cardinalis parentem. En verba: „ Id quod „ R. D. V. de ſucceſſione in *Navii* locum denuo ſcribit, ſcio „ ex ſumma erga me benevolentia profiſciſci. Verum ego „ haſtenus de eo nihil mecum conſtituere potui, nam neque „ per me in re tanta ſatis ſapio, neque idem omnes ſuadent. „ Et ſunt quidem una ex parte, quæ me antea ab eo munere „ deterruerunt, nec contra alia quæ me eo invitare debeant. „ Interpretis officium inprimis abhorreo, quod neque Germa- „ nicæ neque Gallicæ linguæ is mihi ſit uſus aut ſcientia, ut „ id munus apud tantum Principem ſubire audeam. Tempo- „ ris quoque, quo ei aſtrictus forem, ac loci quo deinceps fe- „ re moram trahere deberem, cæterarumque circumſtantia- „ rum conſideratio, non levem quoque mihi ſcrupulum inji- „ cit. Quod ſi vero id omnino Principis de me eſſet judicium, „ ut me ejusmodi provinciæ parem crederet, ac meam ope- „ ram abſolute expoſceret, in hac ſane perplexitate ad illu- „ ſtrem Dnum. *a Granvella* (cujus in omnibus autoritatem ſem- „ per feci plurimi) velut ad ſacram anchoram confugerem.... „ Bene vale Binchii 9. Julii 1547. " *Ex tomo* 4. *p.* 491. Superavit periculum *Viglius*, & *Navio* ſuffectus fuit *Georgius Sigiſmundus Seldius* Germanus Auguſtæ natus, qui & *Ferdinandi* Imperatoris, poſt *Caroli V.* abdicationem, Vice-Cancellarius fuit, ac tandem privatam vitam vivens, e curru citatis equis abrepto exiliens obiit an. 1565. *V. Freber. in theatr. p.* 850.

Altera Vitæ circumſtantia non levis, eſt *Viglii* captivitas anni 1576. poſt *Requeſenii* obitum; cum, nullo ei ſuccedente, ſumma rerum publicarum eſſet apud Conſilium Status, cujus ille Præſes erat. Rem narrant hiſtorici. V. *Stradam lib.* 8. *Borrium lib.* 9. *Van Meteren lib.* 6. *edit. lat. Thuan. lib.* 62. *p. mihi* 141. Non ſatis conſtat, an ſtatim e cuſtodia dimiſſus, an vero, & quamdiu detentus fuerit *Viglius*. Borrius ſcribit dimiſſos pleroſque Conſiliarios, detentis tamen *Viglio*, *Manſfeldio*, *Barlemontio*, *Aſſonvillio*, ac duobus Secretariis. *Thuanus* vero narrans Conſiliarios comprehenſos, & in Piſtoriam † domum per diverſa conclavia incluſos fuiſſe: ſubdit paulo poſt hæc verba: „ Et cum *Roda* & Hiſpani reliqui conſilio bellico præpoſiti „ omnem ſibi auctoritatem quaſi jure ſuo arrogarent, quod „ collegas ſuos in carcere conjectos dicerent, Conſilii Bruxel- „ lani proceres invidiam veriti, eos, quos illi captivos dice- „ bant, *protinus* dimittunt ac liberos eſſe pronuntiant." Aliquamdiu *Viglium* captivum fuiſſe conficitur ex alia *Thuani* narratione qui eum in cuſtodia inviſit. Hanc, quod egregium viri elogium habeat, hic apponendam duxi. Hunc „ (id eſt, „ *Joannem Morvillerium* anno 1577. ſeculo defunctum) " paucis diebus præceſſit VIII. „ Idus Maii *Huldricus Viglius ab Aytta Zui-*

† *Brootbuys* in foro Bruxellenſi, e regione palatii urbis.

„ *Zuichemus* in Frisia natus, & ob raram juris civilis peritiam „ primum multis dignitatibus a *Carolo V.* ornatus, dein ob ma„ jorem in rebus agendis laudem a Philippo ejus filio consilii „ privati præses, ac postremo Velleris aurei Cancellarius „ creatus; qui cùm initio Belgii libertatem defendere visus „ esset, eoque nomine gratiam suorum promeritus, postea ad „ Hispanorum partes inclinare creditus, in Ordinum odium „ incurrit, & inter suspectos anno superiore captus est, sed „ in liberiore custodia habitus; ubi tum (nam Bruxellis for„ te eram) eum officiose invisi, & multa de conversione Bel„ gii ex his motibus præfagientem audivi, quibus excusari vo„ lebat, quod Hispanorum partibus favere diceretur, cum de „ Regia majestate, quam everti his unionis initiis providebat, „ sarta tecta servanda tantum cogitaret, ceterum ab Hispano„ rum immanitate, superbia, & avaritia, sic enim loqueba„ tur, alienus: vir alioqui omni laude & propter integritatem „ & summam prudentiam dignus. Sed cum in ea tempora in„ cidisset, in quibus nihil medium putabatur inter patriæ sa„ lutem, aut obedientiæ Regi debitæ fidem, haut mirum si „ ille, qui tot beneficiis & honoribus virtuti suæ delatis, Re„ gi devinctus erat, in obsequio & fide, qua salva remp. quo„ que aliquando salvam sperabat, manere elegerit." Ita ille *lib.* 64. *p.* (mihi) 209. *E. Edit. Genev. an.* 1620. Atque ex his conficitur omni dubio vacare, quod *Viglius* custodiæ traditus sit. Sed an e conclavi Consilii atque ex ipsa Curia principis (in qua conclave) an verò e domo propria in custodiam abreptus sit, dubitatione non caret. Constat namque eum, cum *Ludovicus Requesenius* Belgii gubernator in fata concessisset, pedem domo efferre nequivisse, & non valuisse adesse Consiliis publicis; adeo ut solemni deliberationi super literis ad Regem mittendis de necessaria Reip. cura ob præproperam Gubernatoris mortem, adesse non potuerit, easque domi suæ signaverit tamquam Consilii præses, quòd *lecto ac cubiculo affixus esset*, uti testatum reliquit in Epist. CCLXIV. ad Hopperum, quæ data est 29. Martii 1576. Cessavit autem res publicas curare, & de illis ad *Hopperum* scribere, mense Aprili ejusdem anni, & die 14. Septembris subsequentis, Consilium Status in vincula rapiebatur. Ipse vero hujus tumultus nullibi mentionem facit, & obiit an. 1577. 8. die mensis Maii.

Nota est inundatio maris anni 1570. de qua *Borrius lib.* 5. *f.* 238. *Pierius Winsemius in Chron. vernaculo lib.* 17. *& in Rer. Frisicar. hist. lib.* 2. Apud hunc legas quantæ molis quantique impendii fuerit, post diuturnas gravesque ac reipublicæ ibi molestas sane lites, aggerum in Frisia restauratio. Huic quid contulerit *Viglius*, nullibi ipse adnotavit, nec loquitur *Win-*

ſemius, qui de *Viglio* aliàs meminit libenter. Contuliſſe certum eſt ex monumento publico, marino aggeri apud Harlingam impoſito, ubi PATER PATRIÆ apellatus eſt. Quod ex *Winſemii Hiſtoriar. lib.* 3. *p.* 243. *edit. in fol.* hic pro coronide adſcribendum duxi.

CASPARI A ROBLES EQUITI, DOMINO DE BILLI, ETC. FRISIÆ, GRONINGÆ EJUSQUE TERRITORII AC ADJACENTIUM GUBERNATORI, QUOD HANC PROVINCIAM, PRÆTER ARMA, CONSILIIS ET MUNIMENTIS JUVERIT, AC INTER CÆTERA, AGGERE IPSIS KAL. NOV. M. D. LXX. FUNDITUS EVERSO, AMPLISS. D. VIGLII ZUICHEMI, PATRIS PATRIÆ AUXILIARIBUS OPERIS, ET ADHIBITIS IGRAMO AB ACHELEN PR. ADRIANO VASTAERT, PETRO FRITTEMA ET JOANNE CAROLO SENATORIBUS, CONCILIORUM SOCIIS, NOVUM MARIS PROPUGNACULUM SUMMO LABORE, VIGILIA ET CELEBRITATE, DECRETIS QUOQUE, ET DE SUO PERSOLUTIS DILIGENTIÆ PRÆMIIS, TRIBUS PLUS MINUS MENSIBUS A FUNDAMENTIS EREXERIT, ET AD SUMMAM MANUM PERDUXERIT, ATQUE HUNC LAPIDEM SUBLATIS CONTROVERSIARUM LITIBUS, TERMINUM ESSE VOLUIT, GRATUS PROVINCIALIUM ORDO OB REM PRUDENTER, BENE, FIDELITER GESTAM, DE SE AC DE REP. OPTUME MERITO.

TESTA-

TESTAMENTUM VIGLII AB AYTTA ZUICHEMI,

Ex Muſæo Nobiliſſimi Dni.

JOHANNIS DE WITT;

DORDRACO-BATAVI.

Conſiliarii in Senatu Bruxellenſi qui ærario Cæſareo-Belgico curando præeſt.

Cum ſequentibus *Annotationibus* ſuper textu Teſtamenti; nec non ejus *Codicillo.*

TESTAMENTUM VIGLII AB AYTTA ZUICHEMI.

IN *Dei nomine Amen.* Ego *Viglius* dictus *Zuichemus ab Aytta*, presbyter & utriusque juris doctor, Præpositus Cathedralis ecclesiæ Sancti Bavonis Gandavensis, Præses Consilii Status Regiæ Catholicæ Majestatis ac Ordinis aurei Velleris Cancellarius, salubri meditatione humanæ vitæ conditionem finemque mecum perpendens, ac (quantum in me est) præcavere cupiens, ne, cùm Omnipotenti Deo videbitur me ab hac luce evocare, de bonis mihi per ejus benignitatem in hoc seculo concessis discordia ac lis aliqua exoriatur, consulto me facturum sum arbitratus, si juxta facultatem, quam mihi leges publicæ, summique Pontificis ac Imperialis & Regiæ Majestatis Indulta permisere, atque aliàs omni meliori modo & forma quibus de jure seu consuetudine aut secundum æquitatem juris canonici facere possum, testamento de ipsis mature deliberatéque disposuero; Ideo quæcumque alia testamenta quæ ante hoc tempus me feciſſe comperta fuerint, & præsertim anno 76. mensis Martii die vicesima, revocans, eam quæ hoc libello continetur, supremam ultimamque voluntatem meam esse declaro.

I. In primis in manus omnipotentis & misericordis Dei spiritum animamque meam humillime commendo. Corpus verò, si in Frisia moriar, in *Zuichemensi* ecclesia, si verò in Flandria aut Brabantia vitam finiero, in præfata ecclesia S. Bavonis in loco a me vivo ibi jam pridem designato, sepeliri desidero.

II. Funeris autem mei curam executoribus hujus mei Testamenti infra nominandis committo, eosdem rogans ut juxta temporis & loci statusque mei conditionem pro discretione sua sumptus moderentur, & omnibus superfluis & non necessariis expensis abstineant. Singulis autem servitoribus

meis, nec non Præsidi (1) Bursariis ac famulis Collegii mei apud Lovanium, & Hospitalariis ac Scholaribus in *Zuichem*, fratri quoque ac nepotibus qui Gandavi in funere meo aderunt, testamentique mei executoribus, & principalibus officiatis Præposituræ meæ, videlicet Ballivo, & primo Scabino ac Sculteto S. Bavonis, nec non Ballivo Comitatus de Everghem, cùm moriar, vestes lugubres præberi volo. Ad hæc in die exequiarum mearum, centum libras grossorum Flandriæ ex proventibus Præposituræ tempore mortis meæ mihi cessis ac debitis, eleemosynam pauperum juxta discretionem executorum meorum distribui ordino.

III. Reverendissimo vero Antistiti Gandavensi qui tempore mortis meæ erit, & cujus episcopatui post mortem meam bona Præposituræ meæ S. Bavonis juxta Regiæ Majtis. voluntatem ac Apostolicam dispositionem pro dote attributa sunt, fideliter reservari ac tradi volo omnes litteras, documenta, computus & rationes bonorum immobilium, tam communium ecclesiæ ac Capituli, quam propriorum Præposituræ, ornamenta item, clenodia ac vasa argentea juxta annotationem desuper a me factam, mobilia quoque & utensilia supellectiliaque, existentia in domibus dictæ Præposituræ tam Gandavi quam Teneramundæ, Everghem, Loo Christi & Wolffdonck sitis, sive ea prius in iis fuerint, sive postea a me in locum veterum & usu consumptorum adjecta extiterint, juxta inventaria a me ac iis quibus eas incolendas commisi, subscripta, eidem Rmo. Episcopo relinquo, ea tamen conditione, ut ea non alienet, sed fideliter ad suos successores itidem quatenus durare conservarique poterunt, transmittere teneatur. Si vero ante mortem meam præfatæ ecclesiæ Gandensi de Episcopo provisum non fuerit, prædictas litteras, documenta, computus, & rationes, nec non ornamenta, clenodia, ac vasa argentea, una cum inventariis dictorum mobilium, utensilium, supellectiliumque per executores hujus mei testamenti infra nominandos, ad usum futuri Episcopi suorumque successorum, ut prædictum est, conservari volo. Ita tamen quod si infra annum * a morte mea, eidem ecclesiæ de Episcopo non provideatur, dicti executores omnia præfata Præposito futuro tradent sub inventariis, donec aliter per sedem Apostolicam ac Regiam Majtem.

* *Sedes episcopalis Gandavensis anno*

Majtem. de Episcopatu ordinatum fuerit, absque eo quod Capitulum de iis se aliter intromittere poterit.

IV. Quod vero ad libros tam manuscriptos quam impressos, qui ab prædecessore meo ad me pervenerunt, & quos undique recolligi diligenter, & in ordinem catalogosque redigi curavi, & in ædibus Gandavensibus disposui, pertinet; eos secundum catalogos in loco capitulari ad hoc apto, ad usum ipsius episcopi, & ministrorum ecclesiæ conservari volo. Et si qui reperientur Sancti Bavonis in meâ bibliothecâ, ii cæteris libris Sancti Bavonis jungentur.

V. Eidem quoque episcopo ac successori suo lego jus dominii & jurisdictionis, quod in pago *Zellekin* * ab regiâ majestate comparavi, ac partem horti ædibus Sancti Bavonis contiguam (1) & ab civitate Bruxellensi mihi concessam, una cum muro iisdem ædibus remanere, intendo.

VI. Nolo etiam ei quicquam imputari eorum quæ pro perfectione ædium Gandavensium aliarumque melioratione aut redemptione censuum aliorumve onerum, quibus bona dictæ præposituræ gravata fuerunt, expendi.

VII. Præterea ut ecclesiæ Sancti Bavonis statutis plene satisfaciam, loco redditus duodecim regalium, quem juxta ea pro memoriâ mei relinquere teneor, id quod in vitâ jam facere cepi, post mortem continuari desiderans, confratribus meis in dignitate constitutis, atque aliis canonicis, qui vigiliis, missæque sacrificio in die anniversarii mei celebrandis interesse dignabuntur, annuatim sexaginta lego florenos carolinos. Ad hæc pastoribus, vicariis, capellanis, cantoribus, choraulis, & aliis ejusdem ecclesiæ ministris, nec non pro cereis & campanarum pulsatione, juxta capituli discretionem distribuendos triginta quinque similes florenos carolinos & alios quoque triginta florenos carolinos lego sive canonico, sive altari in eadem ecclesiâ Sancti Bavonis sacerdoti residenti, quem præpositus (post cessum aut discessum tamen ejus, quem ego in vitâ meâ ad hoc constitui) delegerit, qui singulis septimanis bis, diebus & horâ per eum ordinandis, in capellâ sepulturæ meæ missam dicet, animamque meam Deo commendabit: qui quidem prædicti centum viginti quinque floreni carolini annuatim percipientur ex bonis dotis episcopalis sub dominio ac territorio Tenera-

dumtaxat post Vigilii obitum undecimo impleta fuit per Wilhelmum Lindanum, anno nimirum 1588.

* *Zellick* pagus ad primum a Bruxella lapidem Alostum versus.

neramundano ſitis, juxta conventionem, inter præfatum Reverendiſſimum epiſcopum (piæ memoriæ) ac me, de conſenſu Decani & capituli prædictæ eccleſiæ, in permutatione ædium Teneramundanarum (quæ ad me proprio jure pertinuerunt) menſe Julio anno milleſimo quigenteſimo ſexageſimo nono initam. Porro pro luminaribus reliquiſq. neceſſariis capellæ, & ut in decenti ſtatu ea futuris temporibus conſerventur, lego membro (ut vocant) obituum eccleſiæ Sancti Bavonis duas partes annui redditûs irredimibilis octodecim halſterorum ſiliginis menſuræ Gandavenſis, per me a *Livino van Laecke* comparati, quæ in uſum prædictum, cùm opus fuerit, & ſecundum conſilium futurorum præpoſitorum, & canonici ſeu alterius miſſas hebdomadales pro tempore celebrantis, bona fide impendentur. Quarum quidem expenſarum, & reparationum ratio & computus per receptorem membri obituum capituli reddi debebit, voloque ut inde receptor prædicti membri obituum adinſtar aliarum fundationum viceſimum denarium percipiat. Tertia autem prædicti redditûs pars pauperibus Gandavenſibus diſtribuetur in panibus, in die anniverſarii mei juxta diſcretionem præpoſiti & eleemoſynarii Sancti Bavonis.

VIII. Et quoniam apud regiam majeſtatem ac ſedem apoſtolicam procuravi, ut præpoſituræ dignitas (1) in eccleſia Sancti Bavonis, non obſtante ſuppreſſione antea facta, retineretur perpetuareturque, aſſignatis eidem in dotem duabus præbendis ex quatuor quæ per erectionem Smi. Dni. Nri. *Pauli tertii* præpoſitis fuere attributæ, ultra eam, quam uti canonicus antea habebat, vice verſa a futuris præpoſitis enixe peto, ut tam prædictæ capellæ, quàm ceterorum, quæ in hac vita aut per hoc teſtamentum in utilitatem ac decorem prædictæ eccleſiæ & pro anniverſario diſpoſui, memores hujus beneficii curam diligentiamque in iis conſervandis adhibere non graventur. Commendo autem capitulo eccleſiæ Sancti Bavonis, ut fideliter obſervet ac exequatur concordiam noſtram, præſertim de comparatione ædium pro iis qui in dignitate ſunt conſtituti, cæterisque ejusdem eccleſiæ canonicis, qui videlicet in propinquiore eccleſiæ loco degentes, familiarius inter ſe converſari, & divinis officiis commodius una intereſſe poſſint.

IX. Quo-

IX. Quoniam autem patruus quondam meus (piæ & recolendæ memoriæ) Dominus *Bernardus Bucho ab Aytta* dum viveret in votis habebat piam aliquam fundationem in pago noſtro *Zuichemenſi* erigere, cujus facultatem longa bella magnique ſumptus quos in me, aliisque ei ſanguine junctis educandis faciebat, ipſi præcluſerint, atque ego potiſſimum ex benignâ ejus directione ad eam fortunam Deo propitio pervenerim, ut quod ille in animo habebat complere aliquatenus queam, hinc ob gratam ipſius memoriam, & inprimis ad Dei laudem, atque ut ex Chriſtianâ charitate ætati, quæ amplius victum labore ſuo comparare ſibi nequit, ſuccurram, pariterque puerorum, quò in litteris ac religione recte inſtituantur, ſtudia ibidem promoveam, hoſpitale ſenum in pago *Zuichemenſi* erigendum duxi, ſcholamque ac anniverſarium in eccleſiâ *Zuichemenſi* fundavi, uti per litteras ac inſtrumenta deſuper confecta plenius conſtare poterit. *

X. Nepotes autem meos eorumque ſucceſſores & hæredes in bonis *Zuichemenſibus* rogo atque obteſtor, ut has fundationes meas fideliter in perpetuum conſervare ſtudeant, nec ſuis lucris aliquid ullo tempore decidant, aut ſibi applicent, quibus etiam ea fretus fiducia jus patronatus collationemque præbendarum, ejusque hoſpitalis & ſcholarium, relinquo; ſub ſuperintendentia tamen Reverendiſſimi Epiſc. *Leovardienſis*, quem harum fundationum conſervatorem conſtituo, ut, ſi forte intra ſex menſes in defuncti locum alius ſurrogatus ab ipſis non fuerit, pro ea vice, jus providendi ad ipſum Epiſcopum devolvatur.

* *Vide infra poſt Genealogiam Ayttanam.*

XI. Præterea mecum conſiderans quanta hiſce temporibus idonearum ad eccleſiaſtica miniſteria obeunda perſonarum penuria laboretur, convenireque exiſtimans ut ſoboles quædam a primâ ætate ad ea formetur, aptaque reddatur præſertim cum ob diſſenſiones ac diverſas hæreſes erroresque quibus Chriſtianus orbis hodie (proh dolor!) miſere agitatur, odiumque ac contemptum, quo populus clerum inſectatur, opulentiorum liberi ab ſtatu eccleſiaſtico abhorrent, tenuioribus vero ad ſumptus, quo ſe idoneos miniſterio eccleſiæ reddant, ſubſidia deſunt; hinc pro facultatum mearum modulo aliquantum huic neceſſitati ſubvenire debitam-

que gratitudinem erga ſtudia litterarum (quibus fortunam meam lubenter acceptam fero) exhibere cupiens, proprium collegium Lovanii pro ſeminario miniſtrorum eccleſiæ erexi, ad cujus uſum domum meam cum hortis & omnibus inde dependentibus in parochiâ *Sancti Quintini* ſitam, cumque omni ſupellectile & mobilibus tempore mortis meæ in ea repertis, pro habitatione Rectoris ſeu Præſidis ac duodecim ſcholarium famulique ac famularum attribui, & pro eorum alimentatione, ædiumque neceſſaria, ubi opus erit, reparatione, ac aliis in collegii mei ſtatutis contentis, relinquo mille quingentos florenos carolinos annuos. In quorum ſolutionem do prædium meum in *Ruysbroeck* prope Bruxellas cum omnibus ſuis pertinentiis, item aliud prædium appellatum *Huynhoven* ſitum in parochia *Pirck* prope Vilvordiam, cum decimis, pratis, agris, ſylvis, & omnibus pertinentiis. Quorum duorum prædiorum cum ſuis pertinentiis proventus ex nunc ad minus aſcendunt ad ſexcentos florenos annuos. Reliqua vero ad complementum mille quingentorum florenorum in diverſis redditibus, uti conſtabit per particularem ſchedulam, collegio attribui & aſſignavi. Et ut dotem præfati collegii mei magis conſtabiliam, ne occaſione alicujus caſûs adverſi, ſolutionem dictorum proventuum & reddituum deficere aut differri contingat, receptori dicti collegii numerari curavi ſummam mille quingentorum florenorum ſemel, quam volo in ciſtam ejusdem collegii reponi, ac ibidem conſervari, nec inde aliquid deſumi, niſi neceſſitate cogente, injungens idcirco præſidi, & proviſoribus, ut ſedulo Receptorem pro tempore exiſtentem moneant, ut prædictos Redditus & proventus tempeſtivè recipiat, ne ſemper ad ciſtam recurrere neceſſe ſit. Sin autem aliquem redditum redimi contigerit, pecuniam rurſus in ſimiles, aut ſtabiliores ad collegii utilitatem converti Præſidem & ejus proviſores fideliter curare velim. Quod ſi autem a me relicta ſupportandis collegii oneribus non ſufficere contigerit, expenſas reſtringi, vel numerum alumnorum ad tempus diminui volo, vendi vero, alienari, aut gravari quidquam eorum, quæ collegio reliqui vel relinquam, in perpetuum veto.

XII. Libros vero meos impreſſos in quacumque facultate do-

do ac lego eidem collegio meo apud Lovanium, ibidemque ad communem alumnorum meorum usum fideliter ac diligenter asservari volo. Manuscriptos vero, & quæcumque alia collectanea variarum rerum & materiarum, cum omnibus chartis geographicis cunctaque papyracea supellectile lego nepotibus. (1) meis *D. Buchoni*, *M. Folcardo*, & Doctori *Vibrando ab Aytta* fratribus, serioque iisdem injungo, ut quæcumque secreta in iis erunt, aut inutilia judicabunt, flammis committant; cæteris conservatis quæ ipsis ac successoribus aliquando in servitio Reipublicæ (si quo pacto ad id se idoneos reddiderint) usui esse poterunt. Et quatenus iidem fratres desuper inter se convenire nequiverint, committentur Dno *Igramo ab Acchelem* * Præsidi consilii Frisiæ, & alteri qui de familia aut cognatione mea in eodem concilio erit. Libros verò familiarium epistolarum, cæterasq. minutas litterarum mearum latinarum, juxta inventarium desuper confectum, fasciculum (2) quoque litterarum mearum latinarum ad *Ludovicum Schoranum* præsidem secreti consilii prædecessorem meum, nec non exempla quoque litterarum latinarum ad Illmum. Dominum Cardinalem *Granvellanum* & Dominum *Joachimum Hopperum* (piæ memoriæ) scriptarum, unà cum epistolis latinis doctorum virorum ad me scriptis selectisque, lego eidem collegio meo apud Lovanium sub custodia Præsidis ibidem, ex quibus alumni mei studia, actionesque privatas & publicas, vitæque totius meæ cursum, percipere valebunt. Ceteras quoque lucubrationes meas scholasticas, atque alias sub custodia & inventario ejusdem Præsidis asservari mando: quarum inspiciendarum transcribendarumve copia nulli omnino dabitur; ac in eadem custodia reponentur relinquenturque, si quæ ex cæteris collectaneis meis asservatu digna dicti *D. Bucho*, *M. Folcardus*, & *D. Vibrandus* nepotes mei compererint.

* V. Not. ad N. LXXII. *Vitæ.*

XIII. Sex autem dictorum scholarium desumi volo per Præpositum & Scholasticum Sti. Bavonis ex choraulis ejusdem ecclesiæ, qui ob vocis mutationem ad cantum ac musicam ecclesiasticam idonei amplius non erunt, & tamen ad divinum officium continuandum, studiumque litterarum prosequendum, indolem ac voluntatem præ se ferunt, & spem

ad ſacerdotium progrediendi, eccleſiaſticisque muneribus inſcribendi, præbere videbuntur.

XIV. Cùm autem fere pauperes ſint qui in collegium recipientur, fruentur pauperes choraulæ redditu triginta ſex florenorum ſuper Statibus Flandriæ comparato ex pecunia per abbatem Sancti Bavonis defunctum pauperibus relictâ, pro candelis ac aliis neceſſariis, quatenus ſe extendere poterit. Triginta ſimiliter quatuor floreni ſingulis annis diſtribuentur inter Burſarios tenuioris fortunæ, qui ex Friſia in illud aſſumpti fuerint ſecundum diſcretionem ipſius Præſidis inter eos qui magis indigebunt: ad quem uſum lego Redditum triginta quatuor florenorum Redimibilem denario decimo octavo ſuper Begiunagio Bruxellenſi, veſtem quoque talarem ſingulis, quibus facultas non ſuppetit ut ipſimet comparent, in ingreſſu ſumptibus collegii præberi volo; & cùm ad magiſterium artium pervenerint quatenus (1) inter *Lineales* fuerint, novam quoque veſtem talarem ac biretum præſtari illis ordino, cupiens, ut Burſarii mei ad eccleſias & ſcholas publicas non progrediantur niſi in decenti habitu.

XV. Reliqua vero quæ ad meliorem fœlicioremque prædicti collegii adminiſtrationem pertinebunt, ad ſtatuta quæ ipſe eis præſcripſi, vel proviſores & viſitatores collegii mei pro temporum ratione eis præſcribent, remitto. Proviſores autem ordino ſcholaſticum modernum * eccleſiæ cathedralis Gandavenſis, Theologumque † ſeniorem ſecularem in academia Lovanienſi, una cum paſtore Sti. Quintini. Et poſt dicti moderni ſcholaſtici obitum, ſive eo non comparente, primarium juris canonici profeſſorem ibidem, in ejus locum conſtituo, qui occurrentibus difficultatibus cum aliis duobus proviſoribus viſitatoribusque, præſens promptiusque conſilium, cumque minore ſumptu collegii, impartiri poterit; honorario ipſis aſſignato, unius regalis aurei ſingulis vicibus, quibus collegium bis in anno viſitabunt.

XVI. Si qui autem ſupernumerarii, aut non ejus qualitatis, quam exigit ſupradicta mea inſtitutio, me vivo admiſſi fuerint, eos manere volo usque ad tempus aliis in ſtatutis præſcriptum. In locum verò eorum diſcedentium, nulli ſurroga-

* *Is erat* Jacobus Horſtius *de quo vide not. ad N. LXXXVI. Vitæ Viglii quarto loco.*

† *Intelligo Sac. Theol. doctorem ſive de ſtricta ſive de lata*

rogabuntur niſi Friſii, aut choraulæ Gandavenſes, juxta numerum & qualitatem ſupra ſcriptam. *Facultate, modo ſenior doctorum ſit.*

XVII. Conſervatores autem collegii conſtituo Rmos. pro tempore exiſtentes Epiſcopos Gandavenſem & Leovardienſem, eosque enixe per viſcera miſericordiæ Dei rogo, ut hanc fundationem meam pio animo & ad eccleſiæ utilitatem factam, ſi aliquando opus erit, ab injuria ac damno tueri dignentur, & ut fidelius meliusque bona dicti collegii adminiſtrentur ac conſerventur, ordino ut ſingulis annis rationum exemplar capitulo Sti. Bavonis exhibeatur, ut ipſi diſpiciant an omnia bene ſe habeant.

XVIII. Et quoniam non omnes qui choraularum officio dictæ eccleſiæ Sti. Bavonis inſervière, & ob vocis mutationem dimiſſi ad litterarum ſtudia continuanda idonei erunt, vel eccleſiaſtico miniſterio ſe dedere vòlent, nec etiam, cùm dimittentur, locus forſitan in collegio vacabit, ubi recipi ſtatim poterunt; lego pro duobus choraulis, cùm dimiſſi a capitulo fuerint, quatenus bonæ indolis fœlicisque ingenii & ad litteras apti videbuntur, mille ſexcentos florenos ad comparandum annuum redditum, qui interea, dum locus aliquis in collegio vacabit, in ſeminario Gandavenſi inſtitui ac erudiri poterunt, ex quibus deinde, cùm locus vacabit, deligi poterit, qui ad eum aſſumatur. Præferri autem illum cupio, qui judicio Præpoſiti ac ſcholaſtici ejusdem eccleſiæ, atque ſeminarii ejusdem Rectoris examine præhabito, magis idoneus comperietur, quem ſic electum Præpoſitus prædictus & ſcholaſticus Præſidi collegii mei, & viſitatoribus ejusdem per me ordinatis, præſentabunt, præſentatumque collegii Præſes in locum vacantem recipiet. Eundem autem redditum, ſi egomet vitâ comite non emero, executores ex proventibus præpoſituræ meæ, tempore mortis meæ mihi debitis, illum recipi & perſolvi curabunt. Receptionem autem & diſtributionem dicti Redditûs habebit ſcholaſticus, qui viceſimo denario ejus gaudebit, & rationem, uti cæterorum membrorum Receptor, ſingulis annis Præpoſito & capitulo eccleſiæ Sti. Bavonis reddet.

XIX. Progrediendo autem ulterius ad reliquorum meorum patrimonialium ac acquiſitorum diſpoſitionem; & in primis,

nepotibus neptibuſque meis ex fratribus ſororibuſque germanis, ex iiſdem parentibus *Folcardo ab Aytta & Ida ab Hanya* procreatis, qui mihi de jure, ſine teſtamento defuncto, ſuccedere deberent, benigne providere cupiens; cùm tantum ex duobus fratribus meis videlicet *Serapione* & *Gerbrando*, atque ex ſororibus *Rintzia*, *Popkonis a Montzima* (piæ memoriæ) olim conjuge, ac *Mintzia* ſive *Clementia, Gelkii ab Hoytema* dum viveret, uxore, liberi legitimi extent, qui ſimul quatuor ſtirpes conſtituunt, eorum earumque ſingulis prælegata, quæ ſequuntur, aſſignavi, attribuique.

XX. In primis Doctori *Bucboni ab Aytta Serapionis* filio relinquo legoque villam antiquam ac avitam in *Roerdebuyſum* quæ vocatur *Aytta* cum omnibus pertinentiis ad me ſpectantibus, quam partim ab ipſo, partim ab conſortibus ejus comparavi Item poſſeſſionem *Helvardera* in eodem pago *Roerdebuyſum* ſitam, quæ etiam olim pertinuit ad majores meos, cum eo jure quod in eo, tempore mortis meæ, mihi competet. Deinde eidem relinquo viginti ſeptem (1) pondemata quæ in eodem pago ab *Eminganis* comparavi, & ſi quid præterea mihi juris in eodem pago *Roerdebuyſum* competet, id totum prædicto Doctori *Bucboni* relinquo.

XXI. *M* autem *Folcardo ab Aytta* filio quoque *Serapionis*, lego omnia bona mea immobilia, quæ ad me in pago *Wirdum* ſita, tempore mortis pertinebunt, & in primis poſſeſſionem *Ritzma*. Ad hæc duas poſſeſſiones ſitas in *Wirdum* in loco *Oppebem* quas comparavi ab *Renico a Camminga*, una cum quinque pondematis ſitis in poſſeſſione pertinente ad Presbyteros *Wirdumenſes*.

XXII. Doctori *Vibrando ab Aytta* ejuſdem *Serapionis* filio, Do ac lego villam majorem *Hemrikeyn* in pago *Verragae* ſitam, unà cum altera a me comparata ab *Dotbia Fockonis* & conſortibus, quæ dicitur Parva *Hemrikeyn*.

XXIII. Domum autem meam Leovardiæ ſitam dictam *Mintzima* cum omnibus dependentibus & annexis, nec non mobilibus ad me, tempore mortis meæ, in eadem domo exiſtentibus, relinquo ſupradictis fratribus, & *Viglio Hectoris* fratris eorumdem filio, eamque in familia manere volo, ut qui in *Zuichem*, *Aytta*, *Hemrikeyn*, vel in *Wirdum* morabuntur,

buntur, in eam tempore dubio ac periculoſo refugium habeant, ita tamen quod ipſis abſentibus & extra patriam agentibus, is qui ex eis Leovardiæ morabitur, gratis eam inhabitare poſſit, conſervando eandem in debita ac neceſſaria reparatione, ſartiſque ac tectis, & nemo prædictorum partem ſuam alienare neque gravare poterit, ſed unà pars accreſcet alteris, ac noviſſimo eorum moriente, ſuccedet in eadem domo major natu ex filiis maſculis de familia *Ayttana* exiſtentibus, eiſque deficientibus volo ut ad majorem natu filium ex cognatione meâ eadem domus devolvatur, ita tamen quod ipſemet Leovardiæ quoque eam inhabitare teneatur, relinquens deinceps liberam ipſi ejuſdem domûs diſpoſitionem; commendans tamen, ut quatenus fieri poterit, eadem domus in familia agnatorum aut cognatorum meorum maneat, & conſervetur.

XXIV. Et quoniam morte *Hectoris* nepotis mei ſupradicti, Legatum omnium bonorum meorum in *Zuichem* extinctum ac caducum factum eſt, eorumdem bonorum proprietatem ac uſumfructum repartiendum duxi, uti ſequitur.

XXV. *Petro Teetlumio* ac conjugi ejus *Judocæ* nepti meæ lego habitationem & uſumfructum domûs meæ principalis in *Zuichem* cum omnibus pertinentiis & annexis, quemadmodum in vita mea tenuerunt, ea conditione, ut domum, hortum, & ſupellectilem in ea exiſtentem, diligenter conſervent, ac in debitâ neceſſariaque reparatione ſartiſque ac tectis, juxta arbitrium Præſidis & procuratoris generalis conſilii Regiæ Majeſtatis in Friſia pro tempore exiſtentium, interteneant; ac fratres, cùm iſtuc aliquando venire volent, humaniter in ea excipiant: eccleſiam quoque & hoſpitale ſcholamque a me ibidem erectam, interteneri curent, proprietate nihilominus remanente apud *Viglium* pronepotem meum filium doctoris quondam *Hectoris*.

XXVI. Doctori quoque *Bucboni* lego uſumfructum poſſeſſionis meæ in *Spyck* in pago *Zuichem* ſitæ, & dimidiam coloniam viginti pondematorum, communem cum patrono eccleſiæ.

XXVII. *M. Folcardo* quoque coloniarum mearum dictarum *Minnie*, *Loinge* & in *Oltlandt*, ſimiliter uſumfructum lego.

XXVIII. Doctori autem *Vibrando* lego uſumfructum poſſeſſi-

ſeſſionis meæ in *Doitzima* & *Merſual*; proprietate cunctorum prædictorum bonorum in *Zuichem* retentâ *Viglio* pronepoti meo, filio doctoris quondam *Hectoris*, quem in eis hæredem inſtituo: ſi tamen illum ſine liberis maſculis decedere contingat, fratres ſuperſtites ita de ipſis diſponent, ut omnia bona *Zuichemenſia* unita ac in familia noſtra *Ayttana* permaneant.

XXIX. Fratris quoque *Serapionis* filiabus earumque liberis, loco matrum præmortuarum, prælego dimidiam partem earum terrarum prædiorumque ſitorum in parochia *Stæ. Annæ*, *in Bildia*, quæ cancellario ſive *Bernardo Buchoni* patruo meo (piæ memoriæ) & cuidam *Hermanno Conis* in queſtorum Regiſtris adſcribuntur, ac poſtea ad me ab Regia Majeſtate titulo emptionis & donationis in remunerationem ſervitiorum meorum pervenerunt; cum facultate tamen redimendi & pretio viginti quinque millium ſeptuaginta octo florenorum carolinorum duodecim ſtuferorum prout ex litteris conſtabit. *Idæ* quoque & *Judocæ* remitto redditum, quem ſuper bonis ipſarum in poſſeſſione ad ipſas pertinente in *Wirdum*, ab Domino *Igramo* ejuſque conjuge *Mintzia* olim comparavi.

XXX. *Idæ* autem & *Jaquelinæ* fratris mei *Gerbrandi* filiabus prælego alteram dimidiam æqualibus partibus inter eas dividendam, cum onere ex eadem dimidietate quotannis ſolvendi *M. Joanni* filio naturali *Rintzii Ayttæ* fratris mei (piæ memoriæ) ſancti Petri apud Ariam canonico, centum florenos carolinos quoad vixerit, ſi eidem equivalentem Redditum vita comite non aſſignavero, uti pro *Ferrico* filio naturali *Gerbrandi* fratris mei a me factum jam eſt.

XXXI. Doctori *Buchoni a Montzima* Præpoſito Sti. Joannis Trajectenſis, fratribuſq. ejus Doctori *Folcardo* canonico Sti. Salvatoris ibidem, ac *Takoni a Montzima*, ſororique eorum *Baukiæ* uxori *Pauli Brecker* lego ſeptem redditus, quos habeo ſuper oppido Amſterodamenſi, conſtituentes ſimul ſummam ſexcentorum triginta unius Florenorum & quinque ſtuferorum annuorum, ſingulos eorum comparatos denario decimo ſexto, æqualiter inter eos dividendos, abſque aliqua defalcatione pecuniæ, quam pro redemptione *Takonis* olim erogavi, duorum videlicet millium & quadringentorum florenorum.

XXXII.

XXXII. Filiabus quoque quondam *Gellii ab Hoyttema*, & *Mintziæ* fororis meæ videlicet *Thediti* uxori quondam *Geroldi* Oldermanni in Dockum; *Jetziæ*, quæ fuit uxor Domini *Jacobi Heſſelii* Regii conſiliarii in Senatu Flandriæ; *Mintziæ* ſeu *Clementiæ* conjugi Domini *Igrami ab Achelen* Præſidis Regiæ Majeſtatis in Senatu Friſiæ; & *Galliæ* uxori *M. Cornelii Oem* conſiliarii Regiæ Majeſtatis in Senatu Hollandiæ conjugi, lego domum meam Bruxellæ ſitam, & duos redditus ducentorum quinquaginta florenorum, quos comparavi ſuper Statibus Hollandiæ, æqualiter inter eos dividendos. Quod ſi autem aliqua prædictarum ſororum ſine liberis deceſſerit, partem ipſius ad reliquas devolvi volo.

XXXIII. Quæ quidem prælegata ſingulos de quatuor ſtirpibus prædictis recipere volo, ac de ipſis alios ſe immiſcere veto, & ultra ea, eaſdem quatuor ſtirpes hæredes quoque æqualiter inſtituo in omnibus immobilibus ſupra non nominatis, ſi quæ ultra prædicta forſitan reliquero: nec non mobilibus, ſupellectilibus, argenteis quoque vaſis, & deauratis, debitis quoque & actionibus, quæ me relinquere continget, ultra ea, quæ vel in vita eis dedi ac dabo, vel ſupra ſpecialiter, vel per codicillos diſtribui, ac in eis prædictas ſtirpes hæredes meos inſtituo, ſolutis tamen prius legatis omnibus, juxta ordinationem, diſcretionemque executorum hujus teſtamenti. In quorum executorum manus & poteſtatem poſui & tranſtuli, pono & transfero per hoc teſtamentum meum, omnem pecuniam quæ tempore obitus mei penes me reperietur; ſimulque omnia mobilia, ſupellectilia, argentea quoque vaſa & deaurata, cum debitis & exactionibus, quæ me relinquere continget, ita quod præfatis hæredibus meis prohibitum velim, quidquam eorum attingere, priuſquam teſtamentum meum, juxta ordinationem & intentionem meam, executioni mandatum fuerit. Et ne controverſia aliqua inter eos ſuboriatur, quælibet ſtirps unum duntaxat nominabit, qui unà cum executoribus meis controverſias quomodocumque incidentes determinabit.

XXXIV. Porro ſi prædictorum nepotum aut neptium aliquem ante me relictis liberis mori contigerit, eoſdem in parentum locum ſuccedere, illis vero deficientibus, cæteris de eadem ſtirpe accreſcere, quæcumque ipſis legavi, volo.

XXXV. Omnibus quoque nepotibus & neptibus meis, cuncta quæ pro ipsis expendi in vita, remitto, nisi aliud speciatim declaravero, ita tamen quod nihil eorum quæ ratione fructuum ex beneficiis & aliunde nomine eorum forsitan percepi, exigere vicissim poterunt, cùm ea quæ pro ipsis expendi, longe a me percepta excesserint.

XXXVI. *M.* autem *Folcardo ab Aytta* fratri meo præposito Bethunienſi ac canonico Sti. Bavonis, & *Idæ*, *Mariæ* ſororis ejus filiæ lego ſimul ſummam trium milium ducentorum florenorum, per executores meos convertendam in annuum redditum, ſi ipſemet, vita comite, eundem ipſis non aſſignavero. Quodſi autem, ſive me vivo ſive mortuo, ante *Idam*, *M. Folcardum* decedere contigerit, ſupradictam ſummam trium milium & ducentorum florenorum aut redditum æquivalentem volo pervenire ad *Idam* ejus neptem, quemadmodum ſi *Ida* vice verſa ſine liberis prædeceſſerit, eandem ſummam trium milium & ducentorum florenorum aut Redditum æquivalentem, ad ipſum Præpoſitum devolvi volo.

XXXVII. Rogo autem enixe eosdem, quos ego propriorum liberorum loco ſemper habui, ut amorem benevolentiamque fraternam inter ſe colere ac conſervare ſtudeant, mutuoque ſibi (ubi opus erit) aſſiſtant, ac unusquisque honoris promotionisque alterius curam eam, me mortuo, gerat, quam ego vivens erga ipſos ſemper exhibui; hoc ipſis præciputum teſtamentum ac mnemoſynon relinquens.

XXXVIII. Cùm vero *Jacobæ Damant* chariſſimæ quondam conjugis meæ hæredibus poſt mortem meam medietas bonorum immobilium, conſtante matrimonio per nos acquiſitorum, cedere debuerit, ſuper eo inter præfatos hæredes ac me pro certâ pecuniæ ſumma tranſactum, ac poſtea quoque eandem illis a me perſolutam fuiſſe, executores mei ſciant.

XXXIX. Servitoribus quoque omnibus ultra mercedem ac ſtipendium quod ipſis tempore mortis meæ debebitur, præſtari volo duo millia florenorum reparienda uti per ſchedulam particularem aut codicillos declaravero.

XL. *Auguſtinæ* quoque *Henrici* filiæ Roterodamenſis, in remunerationem ſervitiorum mihi impenſorum lego ſexcentos florenos

florenos carolinos in parata pecunia confestim a morte mea per executores meos ipsi præstandos. Adhæc etiam quoad vivet lego ipsi habitationem domunculæ juxta ædes meas Bruxellis sitæ, in qua olim *Dnus. Joannes metten gheldc* morari solet cum usu supellectilis in ea existentis.

XLI. Receptionem autem omnium prædictorum exactionemque debitorum, sive ea ex Præposituræ bonis, sive ex bonis patrimonialibus, pensionibus, honorariisque, sive ex quocumque alio titulo procedent, unà cum iis quæ ex venditione mobilium meorum, aliis specialiter non attributorum, conficientur, secretario meo *Cornelio Breydelio* sub auctoritate aliorum coexecutorum, majorisve partis eorum, singulariter committo, qui ea diligenter annotabit, debita & legata persolvet, *& in fine anni rationes ea reliqua omnium prædictorum executoribus & deputatis heredum fideliter reddet, eidem autem* BREYDELIO *pro suo labore & administratione, servitiisque aliis mihi fideliter impensis*, decimum inde denarium ad suam utilitatem defalcare ac sibi retinere concedo.

XLII. Omnia autem supradicta pro testificatione ultimæ voluntatis meæ, ita ut supra descriptum est, disposui, Rogoque omnes & singulos, quos ea concernunt, ut grato æquoque animo accipiant, volens, ut si aliquis legatariorum meorum, iis quæ a me disposita aut relicta sunt, contentus esse nolit, aut ex bonis meis mobilibus aliquid privata auctoritate, me mortuo, subtraxerit, aut litem controversiamque aliquam movere tentaverit, omnibus iis, quæ ex hoc testamento meo percipere posset, careat, ac privatus habeatur, cæterisque hæredibus, quos in residuo institui, & quorum sumptibus lis forsitan sustineri debebit, applicentur: atque ideo ab omnibus & singulis, quibus in testamento aliquid erit relictum, executores mei, priusquam eorum traditionem faciant, * remunerationem omnis actionis & præsensionis, plenamque quittantiam ac liberationem exigere volo, ac contra eos reservo omnia jura, actiones ac prætentiones, quæ quacumque ratione mihi hæredibusque (ceu ingratos indignosque mea beneficentia) quocumque modo & titulo competere poterunt.

* *Ita vitiose scriptum reperi. Patet*, renuntiationem *esse legendum.*

XLIII. Porro quod pertinet ad officia a me administrata, & in primis Cancellarii ordinis aurei Velleris, sciant

executores mei, nulla munimenta ad me perveniſſe ad dictum ordinem ſpectantia, de quibus reſpondere obliger, præter librum ſtatutorum & alterum armorum ſeu inſignium equitum ordinis aurei Velleris, ac ſigilla duo, quæ reſtitui debebunt ſucceſſori in officio, aut ei cui Rex jubebit.

XLIV. Scripta vero alicujus momenti, quæ tempore quo Præſidatus conſilii imperialis & Regiæ Majeſtatis officium exercui, ad manus meas pervenerunt, ea fideliter eorum, qui archivis publicis præſunt, cuſtodiæ jam antea tradidi, vel in poteſtate ſecretariorum reliqui, prout hoc ex diverſis chirographis liquido apparebit: ceteris collectaneis meis apud illos remanentibus, quibus ſupra legavi, de quibus Commiſſarios curiæ ſe intromittere nolo, Præter paucula quæ in ciſtas proprias cum inventariis repoſui, quæ iis, qui ad hoc ab curia commiſſi erunt, per executores meos ſimiliter tradi volo.

XLV. Quod autem ad officium M. Regiſtrorum Hollandiæ ac cuſtodis archivi ejusdem attinet, cum licentia & conſenſu Serenmæ. Reginæ *Mariæ* Gubernatricis, Clariſſimus vir Dnus *Cornelius Suys** Præſes conſilii Hollandiæ, vice mea ejus adminiſtrationem ac cuſtodiam habuerit, idem (ut confido) ſi mihi ſupervixerit, & è rebellium poteſtate ſalva ac integra prædicti archivi munimenta, in arce Gaudana conſervata, recuperari valebunt, de iis ſufficientem rationem reddet.

* *De Cornelio Suys V. van Leeuwen Bat. illuſtr. fol.* IIII.

XLVI. Et quoniam quoque Regiæ Catholicæ Maj. ſuæ me bibliothecæ præficere placuit; curabunt executores mei eam, ſecundum inventaria deſuper confecta, ei cui Majs. ſua mandabit, tradi; ad quod uti poterunt opera librarii mei qui plenam ipſis declarationem dabit. Si quid vero pecuniæ reperietur apud me reſtare, quod in novorum librorum emptionem a me nondum ſit converſum, aut alias impenſum juxta memorialia quæ deſuper a me confecta reperientur, ad manus ejus cui Majs. Regia juſſerit, fideliter tradi ac reſtitui volo.

XLVII. Executores autem hujus teſtamenti mei conſtituo Rdum. Dnum. *Maximilianum Morillon* Præpoſitum Arienſem, Dnum. *Cornelium Sfolders*, & Dnum. *Henricum des Maretz* eccleſiæ Sti. Bavonis Gandenſis Canonicos, Clariſſimum virum Dnum.

Dnum. *Elbertum Leoninum* utriusque juris Doctorem & Primarium Professorem juris civilis in academia Lovaniensi, & cum his secretarium meum *Cornelium Breydel*, sic tamen quod uno alterove dictorum meorum executorum defuncto aut aliter impedito, reliqui possint executionem hujus meæ voluntatis adimplere, legoque eo nomine singulis ultra rationabilem taxam salarii, pro iis diebus quibus in negotiis executionem testamenti mei concernentibus, vacabunt, scyphum deauratum valoris centum florenorum, eosque rogo, ut me mortuo testamentum hoc meum quamprimum publicari, omniaque in eo contenta executioni mandare non graventur, *in his vero quæ pertinent ad ecclesiam & Capitulum Sti. Bavonis*, dicti Dnus. *Cornelius Sfolders* & *Henricus des Maretz* præfatos Doctorem *Buchonem* Archidiaconum Iprensem, & *M. Folcardum* Præpositum Bethunien sem nepotem & fratrem meos, dictæque ecclesiæ Sti. Bavonis Gandensis Canonicos, requirere poterunt, ut ipsis omnem assistentiam præbeant, quod eos fideliter libenterque facturos confido.

XLVIII. Postremo reservo mihi potestatem tam hæredum institutionem, quam cetera in hoc testamento dispositа per aliud solenne testamentum revocandi, mutandive, adhæc per codicillos, aut sub simplici manus meæ subscriptione, quædam leviora in his contenta declarandi, & amicis servitoribusque nonnulla mnemosyna elargiendi, quæ per executores meos non minus quàm si in hoc testamento meo expressa essent, præstari volo. *Actum Bruxellæ anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, mensis Martii die decima quarta.*

Et ego VIGLIUS ZUICHEMUS AB AYTTA manus meæ subscriptione & sigilli mei appensione declaro, hoc libello mandato meo per *Joannem Kersmaker* de Ordeghem amanuensem meum conscripto contineri testamentum & ultimam voluntatem meam. In cujus rei fidem rogo testes infra scriptos, ut prædictum testamentum suis quoque una subscriptionibus sigillisque communire dignentur. Sic subscriptum: VIGLIUS ZUICHEMUS *subscripsi*. Et adhuc subscriptum erat ut sequitur:

Nos *Nicolaus Micault* Dnus. temporalis loci de Indevelde, Privati: *Christophorus d'Assonleville* Dnus. temporalis de Haulteville ejusdem Privati, & rerum Status consiliorum Sacræ Cathcæ. Regiæ Majtis. consiliarii, Equites aurati &c. *Petrus de Overloepe* ejusdem suæ Majtis. primus secretarius & audientiarius; *Anthonius van Ofs* Dnus. temporalis de Heembeecke, Amptmannus hujus oppidi Bruxellensis: *Cornelius van Pottelsberghe* dictæ Regiæ Majtis. etiam secretarius: *Dionisius Vitzius* utriusque juris licentiatus secretarius & Graphearius Curiæ feudalis Ducatus Brabantiæ & *Guilielmus van der Haeghen* etiam utriusque juris licentiatus: attestamur & notum facimus, nos uno & eodem tempore vocatos, rogatos, & præsentes fuisse, ubi Rdus. & Clarissimus Dnus. Dnus. VIGLIUS A ZUICHEM Præpositus ecclesiæ cathedralis Sti. Bavonis Gandavensis, Præses dicti consilii rerum Status, ac cancellarius ordinis aurei Velleris supradictæ suæ Majtis. Catholicæ, declaravit in præsenti libello manu sua subscripto & sigillo suo munito, contineri testamentum & ultimam suam voluntatem, quam post mortem suam desiderat & vult suum plenum & debitum sortiri effectum, tam in iis quæ concernunt institutionem hæredum quàm prælegata & legata, executorum deputationem, & alia quæcumque in eo dispositа. In cujus rei testimonium & fidem ac ad ipsius Rdi. Dni. testatoris expressam petitionem, nos testes infrascripti quoque subscripsimus, & sigilla nostra appendi fecimus. Acta fuerunt hæc Bruxellæ in ædibus ejusdem Rdi. Dni. testatoris, anno Dni. Millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, indictione quinta, mensis Martii die decima quarta, Pontificis Smi. in Christo patris & Dni. nostri Dni. GREGORII divina providentia Papæ decimi tertii anno quinto. Subscriptum erat: *N. Micault. C. Dassonleville. D'Overloepe. Anthonius van Ofs. Pottelsberghen. Vitsius. Verhaegen.* Deinde subscriptum erat:

IN NOMINE DOMINE, AMEN.

Tenore præsentis publici instrumenti cunctis evidenter pateat & sit notum. Quod anno Dni. millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, indictione quinta, mensis Martii die decima quarta, Pontificatus Smi. in Christo patris & Dni nostri

Dni

Dni Gazconii divina providentia ejus nominis Papæ decimi tertii, anno quinto, Nobiles & præclari Dni *Nicolaus Micault* Dnus temporalis loci de Indevelde, Privati; *Chriſtophorus Daſſonleville*, Dnus temporalis de Hautteville, ejusdem Privati & rerum Status conſiliorum Sa. & Cathol. Regiæ Majtis. conſiliarii, Equites aurati &c. *Petrus D'Overloepe* ejusdem ſuæ Majtis. primus Secretarius & Audientiarius: *Anthonius van Oſs* Dnus temporalis de Heembeke, Amptmannus hujus oppidi Bruxellenſis: *Cornelius van Pottelsberghe* dictæ Regiæ Majtis. etiam Secretarius: *Dionyſius Vitſius* utriusque Juris Licentiatus, Secretarius & Graphearius Curiæ feudalis Ducatus Brabantiæ: & *Guillielmus Vander Haegben* etiam utriusque Juris Licentiatus, retro diſignati, conſeſſi ſunt, ſe hodie ad petitionem Rdi. & Clariſſimi Dni. Dni. VIGLII A ZUICHEM Præpoſiti & teſtatoris in præſenti libello denominati, hic quoque præſentis, præfatum illius teſtamentum ac ultimam voluntatem in duobus exemplaribus ejusdem tenoris (uti præfatus Rdus. Dnus. teſtator in præſentia prædictorum Dnorum. teſtium declaravit) ſcriptis, uno & eodem tempore manibus ſuis ſubſcripſiſſe, nec non eidem ſua ſigilla appendiſſe. Et pro pleniore ejus rei approbatione, ſinguli a me Notario infraſcripto interrogati, manus ſeu ſignaturas ſuas, & ſigilla ſua, & ſuorum conteſtium reſpective bona fide recognoverunt & agnoverunt. Super qua quidem recognitione & confeſſione Dictus Dnus. Præpoſitus teſtator petiit ſibi a me Notario publico fieri & exhiberi hoc præſens publicum unum aut plura inſtrumenta. Acta fuerunt hæc Bruxellæ Mechlinienſis Diœceſis, in ædibus habitationis Dicti Reverendi Dni. teſtatoris, præſentibus ibidem egregiis & diſcretis viris & Dnis. *Petro Laſne* dictæ Regiæ Majtis. Secretario, Mgro. *Joanne Ghindertaele* U. J. Licentiato, & *Joanne Kersmaker* clerico, teſtibus ad præmiſſa vocatis & requiſitis. Sic ſcriptum:

ET ego *Joannes Goeſſens* civis Bruxellenſis publicus ſacris Aplica. & Impli. auctoritatibus & per Conſilium Brabantiæ admiſſus Notarius, ac Illmi. & Rmi. Dni. Cardinalis *Granvellani* Archiepi. Mechlinienſis, in vicariatu ſuo Bruxellæ

xellæ ordinarius Secretarius juratus, quia prædictis ſubſcriptionibus, Sigillationibus, & recognitionibus, ceterisque præmiſſis pns. interfui: idcirco hoc pns. publicum inſtrumentum manu propria fideliter ſcriptum exinde confeci, ſubſcripſi & ſignavi, in fidem & teſtimonium eorumdem præmiſſorum ſimiliter rogatus & requiſitus.

Collationata eſt pns. copia cum originali teſtamento in domo mortuariâ B. M. Dni Viglii a Zuichem *teſtatoris reperto, & inventa cum eo concordare*

Quod atteſtor

J. GOOSENS,
Not. Pub. ma. pro.

NOTAE

NOTAE
IN
TESTAMENTUM VIGLII.

N. II. (1) PRÆSIDI... COLLEGII MEI] Primus Collegii præses *Joannes Carrius* J. U. L. ab ipso Viglio designatus fuit, factus deinde Canonicus graduatus & Archipresbyter Iprensis. Abdicavit se munere præsidis anno 1582. ultima Aprilis, impatiens militaris insolentiæ, qua Collegium eo tempore turbabatur & infestabatur. Mox a morte Viglii turpi conflagratione fœdatum cum fuisset, *Carrius* ad ejus restaurationem contulit bis mille florenos. In *Sanderi Flandria illustr. tom. 2. fol.* 328. dicitur fuisse nobilis Batavus, & obiisse 21 Maii 1601.

Huic successit *Petrus a Fine* (van den Eynden) Lyropius, pastor ad S. Quintinum & S. T. D. qui sibi vixit Collegio relicto a 3 Aprilis 1614. Obiit ultima Decembris 1616.

Tertius præses fuit *Joannes Buterne* Montensis J. U. L. dein Canonicus Tornacensis. Discessit anno 1620.

Quartus *Guilielmus ab Angelis* Sylvæducensis S. T. D. & professor Regius. Philosophiam docuit in pædagogio Porci, Theologiam in suburbana Parcensi Abbatia ordinis Præmonstratensis. Anno 1648. Creatus fuit episcopus Ruræmundensis, ut est in *Gall. Christ. tom. 5. novæ edit. col.* 382. Sed antè acceptam sedis Apostolicæ confirmationem obiit tertio Non. Feb. 1649. cui jam anno 1643. successit.

Quintus præses *Jacobus Pontanus* Hermaliensis S. T. D. privilegiorum Universitatis Conservator, decanus S. Petri, Regiusque & Apostolicus librorum Censor. Fuit quartus in scholis artium anno 1621. philosophiæ dein professor in pædagogio Falconis. Porro anno 1665: transiit ad Collegium dictum *Cranendonck*, & obiit anno 1667.

Sextus *Lambertus Vincent* Gravensis S. T. D. sexta Novembris 1665. successit. Fuerat anno 1648. declaratus primus in artibus, alumnus pædagogii Falconensis, in quo postea philosophiam docuit. Obiit 15 Junii 1684.

Septimus *Joannes Libertus Hennebel* Wavrienſis S. T. D. & Sacræ Facultatis Regens, præfuit a menſe Junio 1684. uſque ad tertium diem menſis Auguſti anni 1720. quo die obiit ætatis circiter 70. annorum.

Octavus *Guilielmus Delvaulx* ex Blehen prope Hannutum dioceſis Leodienſis S. T. D. profeſſor ordinarius & Sac. Fac. Regens, oppidi & Diſtrictus Lovanienſis archipresbyter. Antea lector theologiæ ad S. Gertrudim Lovanii, dein ibidem quoque paſtor. Demum epiſcopus Iprenſis creatus 17 Aprilis 1730. conſecratus 25. Aprilis 1732. Ipras ingreſſus eſt 13 Julii 1732.

Nonus *Petrus Ludovicus Danes* Caſletanus, S. T. D. & profeſſor Regius ac Regens, electus 14 Junii 1732. in veram realemque poſſeſſionem Collegii inductus fuit die quarta menſis Auguſti ejusdem anni 1732. Fuerat primus in artibus renuntiatus anno 1701. e padagogio Lilienſi, ubi dein philoſophiam docuit a menſe Decembri anni 1707. uſque ad finem Martii 1714. Deinde Canonicus & paſtor S. Jacobi Antverpiæ uſque ad menſem Junium 1718. poſtea Canonicus graduatus, Pœnitentiarius & Seminarii Iprenſis præſes uſque ad annum 1632. Porro S. T. Doctor creatus eſt die duodecima Novembris 1726. tempore Jubilæi Academici ob tertium ejusdem annum ſecularem, diſputationibus publicis decennio ante peractis. Profeſſor Regius a Sereniſſima Archiduce Maria Eliſabetha Belgii gubernatrice deſignatus fuit die decimo ſexto Januarii 1732. Regens Sacræ Facultatis evaſit ultima Septembris 1732. Obiit vigeſimo octavo die menſis Maii 1736. præmatura morte juxta ſenſum hominum, ſed matura apud Deum, cui placita fuit anima viri in Deo ſuo tranquilliſſimi. Procero fuit corpore, humili mente, magnus ſcientia, pietate major. Hebraice, Græce & Latine doctus auditorum animos ſibi devinxit, deſiderium ſecum tulit. Variis ſcriptis prelo excuſis vigebit ejus memoria. Ceterum amiſſi eximii viri damnum etiam nunc ſentit Univerſitas Lovanienſis, ſatentibus probis omnibus. Atque hæc in memoriam amici hominis a me dicta, tu, lector, boni conſule.

Decimus *Franciſcus Engelgrave* Antverpienſis & J. U. L. die 28 Maii 1736. electus eſt præſes, nihil ſimile cogitans: quem, ut inexſpectatam provinciam acceptaret, permovere debuerant magni in eccleſia viri. Præeſt hodie, & prodeſt tantum exemplo, quantum verbo.

V. (1) ÆDES SANCTI BAVONIS] in oppido Bruxellenſi prope Beghinaſium ſitæ, ſunt *Refugium epiſcopi Gandavenſis*, quo nomine, ex uſu patrio, appellamus epiſcoporum, abba-

abbatum & insignium monasteriorum peregre positorum domos, in quas cùm publicorum tum privatorum negotiorum causâ in urbem adventantes episcopi, abbates, provisores monasteriorum ac procuratores, se recipiunt. Cujusmodi ibi multæ ædes. Veluti, *Refugium Antverpiense*, *Villariense*, *S. Bernardi*, *Grimbergense*, *Parchense*, *Majoris Bigardiæ*, *Forestanum* &c. quod sint quasi portus & receptaculum episcopi Antverpiensis, Abbatum Villarii, S. Bernardi ad Schaldim, Parchi prope Lovanium, & Grimbergæ: nec non illorum presbyterorum, qui curant rem temporalem Abbatissarum Majoris Bigardiæ, Foresti &c. Non absimili ratione qua Deputati Civitatum Hollandiæ ad Conventum Ordinum Hagam adventantes, ad propria singuli refugia divertunt, quæ ibi aliud nomen obtinent pro re prorsus eadem. *Logement van Dordrecht*, *van Haarlem*, *van Delft*, *van Leyden*, *van Amsterdam*, &c.

VIII. (1) PRÆPOSITURÆ DIGNITAS) novæ scilicet. Quam Viglius obtinebat, illa episcopo cessit, uti in ejus *Vita*, atque in notis ad eam observavimus. Ad intelligentiam porro eorum quæ hic in testamento suo commemorat, juvabit attendere ad certæ conventionis tabulas inter *Cornelium Jansenium* episcopum, & *Viglium* præpositum sub S. Sedis beneplacito initæ: „ Visa bulla dotationis episcopatus „ Gandavensis, nonnulla occurrunt non satis animadversa, „ & quæ merito emendationem, si apostolicæ sedi suggeran„ tur, accipere possent; Nam quantum ad eam partem attinet, quæ ex decem affectis canonicatibus & præbendis ec„ clesiæ divi Bavonis, unum & unam episcopo tribuunt, ra„ tione quorum capitularis esset, itaque locum & vocem su„ per Decanum & reliquos canonicos confratres suos, etiam „ in Capitulo, habiturus esset, certum est, Sanctissimum Do„ minum nostrum felicis recordationis *Pium* IV. & deputatos „ in præfata bulla memoratos, ignorasse abbati sive præposi„ to ecclesiæ per *Paulum* III. in prima erectione ecclesiæ D. „ Bavonis ex regulari & monachali in secularem & Collegia„ tam assignatas fuisse *quatuor* præbendas, quarum ratione „ præpositus capitularis esset, ac duas voces haberet: alio„ quin esset absurdum quod supra quatuor episcopus *quintum* „ Canonicatum & præbendam consequeretur, præsertim cum „ bene dotatum habiturus sit episcopatum.

„ Itaque salvo meliori judicio, videretur rationi & æqui„ tati magis congruum, si loco decem canonicatuum & præ„ bendarum, novem tantum Graduatis afficerentur; Episco„ pus ex quatuor in prima erectione abbati sive præposito „ assignatis, *duas* præbendas post moderni decessum præpo-

„ ſiti obtineat, quarum vigore canonicus Capitularis eſſet, „ & vocem ſuper Decanum & reliquos canonicos haberet.

„ Deinde videretur omnino conſultum, *ut præpoſiti digni-* „ *tas* pro temporalium conſervatione, quemadmodum in ple- „ riſque aliis Cathedralibus eccleſiis, atque etiam ante dictam „ erectionem in abbatia S. Bavonis uſitatum fuit, *maneat*, ea- „ que poſt Pontificalem major habeatur, ad quam aliquis de „ gremio Capituli, & qualificatus, ab Regia majeſtate, re- „ tentâ præbendâ ſive affectâ, ſive non, quam antea habuit, „ pro ſuſtinenda dicta Dignitate nominaretur, ſed *prædicta* „ *Dignitas in primævo ſuo honore quodammodo conſervaretur*: nihil „ tamen præpoſitus adminiſtrabit, niſi ab epiſcopo juſſus & „ requiſitus, neque jus aliquod prætendet in juriſdictione, „ vel bonis, ac collatione beneficiorum, ac officiorum mo- „ derno præpoſito competentibus, quæ poſt ejus deceſſum „ dicto epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus cedent". Horum articulorum conceptum ad preces Regis Philippi II. approbavit & auctoritate apoſtolica inviolabiliter obſervari præcepit *S. Pius P. P. V.* die 7. Septembris an. 1570. Diploma habes apud *Miræum nov. edit. tom.* 2. *pag.* 1105. Atque id eſt ipſum quod *Viglius* hic a ſe *apud Regiam majeſtatem ac ſedem apoſtolicam procuratum*, ait.

XII. (1) NEPOTES MEI &c.] nimirum ex fratre *Serapione*. *Bucho Aytta* fuit Sac. Theol. Doctor, Canonicus S. Bavonis Gandavi, & Archidiaconus Iprenſis. *Folcardus Aytta* U. J. Licentiatus, canonicus & officialis Atrebatenſis, ac dein Canonicus majoris eccleſiæ Ultrajectenſis. Et *Vibrandus ab Aytta* J. U. Doctor, & Profeſſor ordinarius ac Rector fuit academiæ Dolanæ. Diſtinguendi proinde ab ejuſdem nepotibus ex ſorore *Rintzia*, *Buchone Mentzima* & *Folcardo Montzima*.

(2) FASCICULUS LITTERARUM MEARUM] Dolemus non reperiri, & forte periiſſe litteras ad *Ludovicum Schoranum* & ad *Cardinalem Granvellanum*, e quibus certe multa & utilia peti poſſent. Epiſtolas latinas doctorum virorum ad *Viglium* datas & a ſe ſelectas, in Collegio Lovanienſi non invenias. Solæ, quæ hoc loco commemorantur, exſtant litteræ ad *Hopperum*, quas inter analecta noſtra damus.

XIV. (1) INTER LINEALES] Qui Lovanii liberalibus artibus ac philoſophiæ operam dederunt, aut altioribus ibi ſcientiis exculti ſunt nullo negotio *lineales* qui ſint, intelligent, ceteri vero id difficulter aſſequentur, aut omnino non. In horum itaque gratiam paucis damus rationem ſtudii ac promotionis, ut ajunt, in artibus. Curſus ſtudii philoſophici ſpatio biennii decurritur, idque in ædibus ac ſcholis propriis, quas vulgo *pædagogia* vocant, & nomina ſua a pri-

ſcis

ſcis ædium inſignibus hodieque retinent, videlicet *Lilium*, *Porcus*, *Caſtrum*, *Falco*. Finito curſu, in ſingulis pædagogiis inſtituitur examen particulare omnium alumnorum promoveri volentium, & ex profeſſorum calculo ſeliguntur novem, quorum tres doctiores & aptiores reſervantur pro prima linea ſeu claſſe; tres pro altera; atque demum tres reliqui pro tertia. Pòſt ſuccedit examen generale per octo profeſſores primarios quatuor pædagogiorum, ex ſingulis duos, qui præſentibus ibi pædagogiorum Regentibus, in loco ad ejuſmodi actum deſtinato, quem *Ficum* appellant, tentant & examinant duodecim philoſophos illos, qui ex ſingulis pædagogiis tres ſelecti ac deſignati fuere pro *prima linea*: duodecim ſequentes pro *ſecunda linea*: & reliquos duodecim pro *tertia linea*. Qui ex votis profeſſorum per ſcedulas ſecretas datis & a quatuor Regentibus aſſervatis reperitur eſſe primus primæ lineæ ſeu claſſis, is appellatur *Primus Lovanienſis*. Similiter, primus ſecundæ lineæ, primus tertiæ lineæ. Ceteri pro meritis, & ex profeſſorum judicio habent loca ſeu præmia ſua. Nempe, ſecundus, tertius, quartus &c. primæ lineæ; ſecundus, tertius &c. ſecundæ lineæ; ſecundus, tertius &c. tertiæ lineæ. Quia vero duodecim electi & promoti in prima linea, præhabendi ſunt aliis omnibus, quòd certarint pro primo loco primæ lineæ, pro quo reliqui viginti quatuor conſtituentes duas poſteriores lineas, certare non potuere, hinc ſecundus primæ lineæ vocatur vulgò, *ſecundus Lovanienſis*; & tertius, quartus, quintus, non dicuntur eſſe: tertius, quartus, quintus primæ lineæ; ſed in partem ſupremi honoris venientes, appellantur: *tertius Lovanienſis*, &c. Atque hi ſunt *lineales* illi, quibus *Viglius* in teſtamento ſuo bene fecit.

XX. (1) PONDEMATA] Denotari hic menſuram agrorum, patet ex contextu: ſed quanta ea ſit ab amico Friſio didici his verbis: „ In Vrieſland worden de landeryen niet „ by *morgens* (200 als in Holland) maar by *Pondematen*, be„ groot: zynde een *morgen* lants ſoo groot als twee *pondema„ ten* en een half, gelyk twee guldens en een half, een ryks„ daalder uytmaken. *Jugerum* wort heedendaags voor een „ *morgen* gebruykt, hoewel het eygentlyk in oude tyden een „ andere bepalinge had. Exſcribo verba gymnaſiarchæ Leo„ vardienſis Valkenaar. *Jugerum habet longitudine* 240 *pedes*, „ *latitudine* 120. *adeoque tota ejus area eſt* 28800 *pedum. Maakt* „ 8. *pondematen en* 80 *vierkante roeden*, *of* 3 *morgen en* 200. „ *vierkante roeden* ".

ANNOTATIONES

Super textu testamenti Dni Viglii Zuichemi &c. conditi anno 1577. mensis Martii die XIIII. pro meliore declaratione ac instructione executorum ipsius, ab Dno. VIGLIO DICTATÆ.

Super præfatione.

FAcultates istæ reperientur in cista F. nominatim vero bulla Pontificis Pii quarti, Data Romæ anno 1563. cal. Maji. Et diploma sub sigillo Brabantiæ Datum anno 1564. XI. Februarii. Et aliud quarta Aprilis anno 1554. Et sub sigillo Curiæ anno 1570. Xma. Martii.

Super Artclo. 3.

Hæc reperientur in cista signata (E) quæ Epo. integra consignabitur, vel eo non existente, secundum eundem 3.um artclum.

Super Artclo. 6.

Ea si opus fuerit per rationes & originales litteras Secretarius *Breydelius* ostendere poterit.

Super Artclo. 7.

Litteræ hujus permutationis Caplo. custodiendæ tradentur, una cum litteris Redditus empti a *Livino Van Laecke.*

Super Artclo. 8.

Originalem hanc bullam perpetuatæ Præposituræ expeditam 7. Idus Septembris 1570. in cistella testamentaria repositam ad archivum Ecclesiæ Executores reponent, & plures copias authenticas ex ea conficient, atque ad alias Capli. & Ecclesiæ Lras registrari facient.

Super Artclo. 9.

Regula ista ex Lris fundationis intelligetur.

Sup

Super Artclo. 12.

Papyracea hæc ſupellex reperietur partim incluſa ciſtæ 7.mæ ſignatæ (G) in layetta prima & ſecunda, ſignata A. & A. A. partim vero in ciſta 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 27. Segregabuntur autem ex ciſta 17. & 19. ea quæ de lucubrationibus & Eplis latinis ſpecialiter ordinavi.

Super eodem Artclo.

Literæ omnes ad fundationem ſupra dicti Collegii ſpectantes comperientur in arca Collegii, cum ceteris ejuſdem munimentis.

Super Artclo. 20.

Lræ concernentes prælegata Doctori *Buchoni* comperientur in capſula C. incluſa ciſtæ (G).

Super Artclo. 21.

Bona immobilia in Wirdum comperientur ibidem in capſula C.

Super Artclo. 22.

Lræ iſtæ reperientur in capſula C. dictæ ciſtæ (G).

Super Artclo. 24. *& ſequentibus.*

Bona ad Zuichem pertinentia diligenter annotata reperientur ſub Lra B. in capſula dictæ ciſtæ (G).

Super Artclo. 29.

Lræ ſuper terris in Bildia reperientur ſimul junctæ in capſula D. ciſtæ (G).

Super Artclo. 31.

Lræ ſeptem reddituum reperientur in capſula E. ciſtæ (G) & ſunt qui ſequuntur: Unus redditus ducentorum viginti quin-

quinque florenorum cedens & quotannis ſolvendus XVI. Julii. Alius triginta & unius florenorum & quinque ſtuferorum itidem quoque cedens & quotannis ſolvendus XVI. Julii. Tertius ſexaginta duorum florenorum & decem ſtuferorum cedens ſingulis annis & ſolvendus XX. Julii. Quartus totidem cedens & ſolvendus ultima Julii. Quintus quinquaginta florenorum cedens & ſolvendus 8 Novembris, quem antea aſſignatum *Idæ* Doctoris *Godefridi a Moesyenbruck* uxori, itidem ab eadem redemi. Sextus centum florenorum cedens & ſolvendus XV. Novembris. Septimus ſimiliter centum florenorum cedens ſolvendusque quotannis XX. Novembris.

Super Artclo. 32.

Læ redditus iſtos & domum Bruxellenſ. concernentes; invenientur in capſula ciſtæ (G).

Super Artclo. 38.

L'Appoinctement avecq les quietances & papieres concernans la pretenſion de mes beau-freres *Damant*, pour la moictie des biens moeubles acqueſtes conſtant nre mariage, ſe trouvera au coffret teſtamentaire ſigné D. & F.

Super Artclo. 41.

Pro hujus arli declaratione, conveniet inprimis diligenter videre, quidnam pecuniæ paratæ apud me reperietur, cujus cum *Auguſtina Henrici* adminiſtrationem habuerit, ac de ipſis ſingulis annis mihi rationem reddiderit, ex quietantia illi data apparebit, quid in ultimo computu argenteæ pecuniæ in burſa mea remanſerit. Deinde vero eadem ipſis declarabit, quid anno currente de novo receperit, ac vice verſa expenderit. Porro pecunia in auro ab ipſa non requiretur, ſed eam ipſe ſepoſui, comperieturque ex particularibus ſchedulis per me ſubſcriptis, diſtribuenda in uſus legatariorum & debitorum, prout in teſtamento diſpoſui. Quæ autem annuatim mihi ex bonis patrimonialibus, ſalariis, penſionibusque debeantur, in ſchedis annotata reperientur, & quietantiæ ac rationes poſtremæ facile oſtendent, quid adhuc mihi

hîc percipiendum reſtet : De iis autem, quæ mihi ratione Præpoſituræ adhuc debebuntur, *Breydelius* plenam cognitionem habet, informareque coexecutores poterit. Reliqua vero conſiſtunt in vaſis & poculis argenteis & deauratis, veſtibus, tapetis, lineis, aliisque varii generis mobilibus in domo mea Bruxellenſi, aut alibi exiſtentibus, quæ per executores meos divendi, & pecunia inde procedens, hæreditati meæ applicari debebit juxta Articulum. 33.

Super Artclo. 44.

Scripta hæc comperientur in quatuor ciſtis ſeu coffris ſignatis per (A) (B) (C) (D).

Super Artclo. 45.

Comperient executores in ciſta ſignata (1) copias diverſarum Lrarum ſuper theſauraria Hollandiæ, quæ ſucceſſori in officio fideliter tradentur.

Super Artclo. 46.

Rationes pecuniæ pro librorum emptione a me perceptæ annotatas a me reperient, & quod ſupererit, dabitur ad manus ejus qui ſufficientem facultatem ab Regia Majte. quietandi habebit, librariique diligentiam ac fidelitatem commendo, quo illi condigna recompenſa ac remuneratio aliqua detur, cum id quod a me percepit, Regi imputatum non ſit, ſed de meo illi exolutum fuerit. Inventaria autem Bibliothecæ reperient repoſita in prædicta ciſta ſignata (1).

Super Artclo. 47.

Debebunt autem executores a ſingulis quibus aliquid vigore teſtamenti tradituri ſunt, apochas accipere, per quas in redditione rationum de ſatisfactione complementoque doceri poſſit, quas apochas poſtea in arca ſecreta collegii mei

Lovanienſis reponent. Sic ſubſcriptum: VIGLIUS ZUICHEMUS.

Collationata eſt pns. copia cum originalibus annotationibus in domo mortuaria repertis & inventa cum eis concordare.

Quod atteſtor.

J. GOOSSENS.

Notarius publicus ad præmiſſa requiſitus.

CODICILLUS

Quondam Clariſſimi Domini Præſidis VIGLII AYTTA DE ZWYCHEM *mortui Bruxellæ Octavo die Maji* 1577.

Ego VIGLIUS ZUICHEMUS Præpoſitus Cathedralis eccleſiæ Sti. Bavonis Gandavenſis hac ſchedula ſeu codicillis atteſtor ac declaro, ultra ea quæ ordinavi per teſtamentum meum nonnullis patronis, propinquis, amicis ac ſervitoribus meis, hæc, quæ ſequuntur legata ac mnemoſyna, me relinquere.

In primis Illmo. ac Rmo. Dno Cardinali *Granvellano* do & lego poculum ſerpentinum cum operculo, mihi teſtamento relictum a ſocero meo *Petro Damant.*

Caplo Cathedralis eccleſiæ Sti. Bavonis duas effigies prædeceſſoris mei *Lucæ Munich*, lego unam ex argento & alteram ex auro, & itidem unam ex auro meam & duas ex argento, quas in memoriam utriuſque noſtrum conſervari ab eis peto.

Relinquo ad uſum capellæ meæ Gandavi, caſulas, albas, & reliqua indumenta ornamentaque, *quibus ego ac Sacellanus meus in domeſtico oratorio* uti ſolemus ſecundum *ſpecificationem mea manu* ſignatam, quæ committo ejus cuſtodiæ qui miſſas hebdomadales in ea dicturus eſt, eidem commendans, ut ea fideliter, ac *quoad durare poterunt ad honorem ſervitiumque Dei*, ac miniſterium ſucceſſorum diligenter conſervet.

Collegio quoque meo apud Lovanium ultra ornamenta quæ ipſi antea dedi, lego crucem deauratam, cui incluſa eſt altera aurea crux continens particulam de vera cruce Dni.

Dno *Maximiliano Morillon* Præpoſito Arienſi duo pocula cryſtallina ejuſdem formæ, & crucem ex ligno nigro cum pede, cui Salvator ex argento affixus eſt.

Clariſſimo viro Dno *Elberto Leonino* lego effigiem meam majuſculam ex auro poſtremò expreſſam.

M. Folcardo Folcardi fratri meo, Bethunienſi Præpoſito & Canonico Sti. Bavonis, lego precarium, quod vulgo vocant

Pater noſter, conſtans ex duodecim globulis argenteis deauratis, & decem aliis cryſtallinis.

Doctori *Buchoni a Montzima* Præpoſito Sti. Joannis Trajectenſis lego tapeti ſeptem partes, quæ fuerunt Dnorum de *Gaesbeeck*, & parvum calicem deauratum cum patina factum ad formam calicis Divi *Bonificii*, qui eſt in Dockum.

Doctori *Buchoni Ayttano*, lego picturam Beatæ Mariæ proficiſcentis in Egyptum, ad hæc tapetum melius Turcicum pro menſæ uſu.

M. Folcardo Ayttano Serapionis, lego annulum cum capite mortui, & *Agnum Dei* dono mihi miſſum ab Cardinale *Auguſtano* *, cum effigie mea depicta per *Franciſcum Pourbus*, & annulum cum dyamante.

* *Is Otho eſt Truchſes, Civis & Epiſcopus Auguſtanus, a Paulo III. creatus Cardinalis An. 1544. vir magnus undequaque. Obiit an. 1583. Vide Ciacon. tom. 3. col. 692.*

Doctori *Folcardo a Montzima* lego annulum cum tourquoiſio, & parvum meum horologium arenarium, item ſcriptorium & nolam ac ſcutellam arenariam ex argento.

Doctori *Vibrando Ayttano* lego annulos meos ſignatorios omnes, cum annulo cui amethyſtus incluſus eſt, & parvum tapetum Turcicum, ac magnum cornu paternum.

Takoni a Montzima lego effigiem Salvatoris per *Ticianum* inſignem pictorem depictam, cum annulo continente ameraudam ſive parvum ſmaragdum.

Folcardo ab Acchelen pronepoti meo cathenam meam auream, quam juvenis geſtare conſuevi.

M. Joanni Rintzy faciem Salvatoris quam *Veronicam* vocant, lecto meo affigi ſolitam, cum tabulis ſive pictura extremi judicii.

Judoco Bavio do poculum cereviſiarium deauratum quod elegerit cum operculo. Dno *Jacobo Horſtio* ſcholaſtico Sti. Bavonis lego crucem deauratam quam conjunx *Dni Hopperi* mihi donavit, cum parva mea effigie ex auro.

Dno *Cornélio Sfolders* canonico Sti. Bavonis crucem cryſtallinam, cui effigies deaurata argentea affixa eſt, & Salvatorem lecto meo apponi ſolitum, ſimilemque effigiem meam ex auro, ac unum ex cabinetis meis ligneis.

Odoto Viron lego precarium continens decem globulos corallinos, cum ſimili effigie mea ex auro.

Renico a Camminga lego poculum deauratum, mihi olim a matre ejus donatum cum effigie mea ex auro.

Urbano Scharenberger Secretario Regio lego vitrum viride, ha-

habens pedem argenteum, una cum marca argenti in quinquaginta calculis numeralibus, & effigie mea ex auro.

Baptiſtæ Bertii ſimiliter vitrum cum marca argenti in totidem calculis numeralibus cum effigie mea ex auro.

Petro Laſne ſimiliter marcam argenti in totidem calculis numeralibus cum effigie mea ex auro.

Cernelio Breydelio duas marcas argenti in calculis numeralibus cum effigie mea ex auro, & altero meo cabineto ex ligno.

Auguſtinæ Henrici minus poculum cereviſiarium ex argento, ex quo bibere ſoleo, & effigiem meam ex auro, ac tabellam ſive picturam Chriſti ex cruce depoſiti.

Elizabetæ Bertrams ſimile poculum cereviſiarium.

Arnoldo Denneterio effigiem auream Regis *Philippi.*

Nicolao Heller aureum Portugalenſ. decem ducatorum, & melius *Pater noſter* corallinum, quod olim ipſe mihi donavit.

Virgilio Gheys duo nobilia anglica cum Roſa.

Adriano de Gruninghen ultra ea quæ eidem in vita præſtiti, centum florenos lego.

Alardo le Bouchier' aliud poculum argenteum cereviſiarium, ex quo itidem bibere ſoleo.

Fr quoque *Gaſpari Ballynck*, antiquo Priori prædicatorum Bruxellæ ac confeſſario meo, ſingulis annis, quoad vivet, lego viginti quinque florenos, ut ſenectutem ſuam commodius ſuſtentet.

Catharinæ autem *M. Buchonis filiæ* naturali, moniali olim in Schagen monaſterio apud Leidam, lego quadringentos florenos carolinos ſemel, vel quatenus ad monaſterium ſuum redire commode non valebit, legatum prædictum applicabitur alteri monaſterio, in quod de conſilio Præpoſiti Sti. Joannis Trajectenſ. eam migrare contigerit, cui illam diligenter & fideliter commendo.

Joest Aytta. Nono Jodocam sive Josinam uxorem Petri a Tetlum: quorum pater Serip Aytta annō 1531. cum præfata Barbara Hettema, matrimonium per dispensationem Apostolicam contraxit, erant enim conjuncti invicem in tertio & quarto gradu, cùm Barbara proneptis esset Ritziæ Aytta, & Serip nepos Gerbrandi Aytta fratris ipsius Rintzii. Barbaræ autem mater nata fuit ex Tzerck Roerda filio Popkonis Roerda, cujus Tzerck Roerda frater fuit Liouwe Popkonis & Riourdt Popkonis, quorum alter Liouwe Romæ obiit, Pontifici *Leoni* imprimis gratus ob vocis excellentiam, filiumque reliquit Bascantorem Capellæ Cesareæ Decanum in Anderlecht prope Bruxellam, D. Matthiam. Ricurd autem filium Popkonem reliquit tempore regiminis Geldrorum Gritmannum in Wimbriseradeel. Hackiæ autem mater vocabatur Jodoca & post primum maritum mortuum Hackia secundo nupsit Lolcke a Rheen patri Hette Lolckesz, & Thiet uxoris Gerbrandi Aytta filii Folcardi Aytta, & fratris Serip Aytta mariti Barbaræ.

Rintz Montzima & quinque ejus liberi. Rintz quinta proles Folcardi ac Idæ anno 1539. 19 Aprilis celebravit nuptias cum Popkone a Montzima in Bly ex quo procreavit filium Buchonem sacræ theologiæ Doctorem Canonicum majoris Ecclesiæ & Præpositum Sti. Joannis Trajectensis.

Buchо Montzima. *Bauckia Montzima. Obiit in Bly ac in paterno sepulcro sepulta.* Bauckiam filiam uxorem Jelger Feitsma ex quo filiam habuit Rintziam Leovardiæ in ædibus Pauli Brecker mortuam & in ecclesia Zuichemensi sepultam, ac eo defuncto Pauli Brecker Gritmanni in Dongerdeel occidentali ex quo habuit filiam Rintz & filium Popkonem qui in pueritia obiit.

Tako Montzima. Tertio Takonem qui uxorem duxit filiam Graphiarii Trajectensis Gisleni Scribæ ex qua inter cæteros habuit filios Serapionem postea societati Jesu ascriptum, Cornelium, Popkonem & filias Rintz, Barbaram, Elizabetham, Viglium, Giselenum.

Ida Montzima. Quarto Idam nuptam Liouwe Vatnia quæ liberos non reliquit, quæ in Zuichem mortua & sepulta.

D. Folcardus Montzima. Quinto Folcardum U. J. Doctorem & Canonicum Sti. Salvatoris natum anno 1546. quorum parentes ambo diem extre-

extremum clauſerunt anno 1547. menſe Decembri. Ipſorum autem habitatio erat in Bly, ubi ſita eſt poſſeſſio Montzima, pertinetque ibidem ad Dukonem a Martena poſſeſſio Vuama quæ anno 1585. vendita eſt, & ad Vlke Alua poſſeſſio Ebinga.

Mintz Hoytema filia Folcardi & ejus liberi quinque.

Sexta proles Folcardi & Idæ vocata fuit Mintz juncta matrimonio Jelle Hoytema alias Wolfarda filio Bouuonis, qui liberos reliquere Tieth nuptam Geroldo dicto Montzima ſive Gerritſma Oldermanno in Dockum, ac deinde cuidam medicinæ Doctori Andreæ Doccomenſi.

Tieth Hoytema.

Secunda filia dicta Jetz primo matrimonio juncta fuit M. Franckoni a monte Delphenſi Regio Conſiliario in Senatu Hollandiæ, ac poſt in magno Conſilio Mechlinienſi, a cujus morte nupſit M. Jacobo Heſſel Conſiliario Regio in Flandria, ex quo reliquit Folcardum & Mariam filium & filiam.

Jetz Hoytema.

Mintz Hoytema.

Mintz tertia filia nupta fuit Igramo ab Acchelen Conſiliario & poſt Præſidi Regio in Senatu Phriſiæ, qui quoque reliquit ex ea Folcardum.

Ida Hoytema.

Quarta filia vocata Ida, nupſit M. Guilielmo Cripio Penſionario Delphenſi, ac poſt Regio Conſiliario in Hollandia, ex quo unicum habuit filium ſed ante matrem mortuum.

Jel Hoytema.

Quinta mutato nomine a patre nominata Jel nupſit M. Cornelio Oom * Conſiliario in Hollandia ex quo filios habuit duos Folcardum & Hermannum, ac filias Mintziam & Idam &c. mater autem earum Mintz obiit ex partu anno 1549. quam maritus paulo poſt ſecutus fuit.

Gerbrandus Aytta filius Folcardi.

Gerbrandus minor natu filius Folcardi & Idæ natus anno 1519. fuit Gritmannus in Wimbrisderadeel, ac uxorem habuit Thetam filiam Folcke ab Rheen, ex qua aliquot habuit filias, ſed duas duntaxat conjugatas, videlicet Idam nuptam Feickoni Fritema Quæſtori Regio in Groninga, natam anno 1544. quæ plures reliquit liberos, videlicet Buchonem, Eduard & Thiet. &c,

Jaquelina autem altera filia ejuſdem Gerbrandi nata anno 1554. matrimonio juncta fuit Petro Buygers filio M. Joan-

* Lege: Oem. Porro hic Cornelius eſt fil: Hermanni, cujus frater Joannes genuit alium Hermannum, e quo nata eſt Maria Cornelii Oem quæ nupſit an. 1645. Cornelio Hoynck avo meo, Domino de Papendrecht & Matena. Proinde avus meus & Gellia Hoytema fuerunt affines in 2. & 3. gradu mixto.

Joannis Buygers Gritmanni Leovardienſis. Petrus autem ſocero Griteniam ſupradictam reſignante in ea illi ſucceſſit. Filiæ autem aliæ duæ Hack, Joeſt & Barbara in pueritia mortuæ ſunt. Genuit autem ex Thiet Gerbrandus anno 1546. filium Folcardum qui in florenti ætate Madriti in Hiſpania anno 1571. menſe Septembri obiit. Poſt Thetæ autem mortem Gerbrandus ex concubina Catherina Petri filium reliquit Ferck quatuor annorum cum ipſe Gerbrandus moreretur in Zuichem anno 1573. die . . . Aprilis rediens ex Brabantia ubi fratrem Viglium Præſidem viſitaret, qui prædictum ejus filium legitimari curavit.

Folcardus Aytta filius Gerbrandi junioris.

Folcardus autem conjuge defuncta in viduitate ex Vobelia concubina genuit duas proles Mariam quæ unicam reliquit filiam Idam, & filium poſthumum M. Folcardum Præpoſitum Bethunienſem & Canonicum Sti. Bavonis apud Gandavum.

Mintz Aytta filia Gerbrandi & ſex ejus liberi.

Inter filias autem Gerbrandi & Jetz ſenior fuiſſe videtur Mintz Aytta quæ obiit anno 1515. prima Octobris. Et ex Doytſe Bayarda reliquit duos filios artium magiſtros, ſacerdotes Tzalingum & Dothiam antea dictum Pibonem qui poſt paſtoratus ab ipſis adminiſtratos, poſſederunt liberum beneficium in Zuichem, ubi & mortui ſunt. Reliquit eadem Mintz filium quoque Bokonem qui ex prima conjuge Vitz generavit Jorrit Bokoſoen, qui ex N. De Ringia reliquit filium M. Haringum Vyarda, Paſtorem in Zuichem & Bockonem. Ex ſecunda autem uxore Renia cognata ſua filia Liouwe Tyepnia cum licentia Apoſtolica, progenuit Doitſe & Vytz uxorem Joannis Memartſoen Hillema & Buchonem.

M. Tzalingus & Dothias.

Boko.

Edo & octo ejus liberi.

Edo autem quartus ex Gees filios habuit quatuor totidemq. filias, videlicet Doitſe Pibe, qui duxit filiam Kemponis Vuya. Bouwo & Edo, nec non filias Annam, Ulck, Mintz & Sydts uxorem coloni in Hemrichein.

Ael.

Ael filia Dothiæ, & Mintziæ Aytta nupta fuit Folie Eyskis in Aldeborn, ex quibus deſcendunt Yeske in Aldeborn, Doitze habitans in parva poſſeſſione de Hemrichein. Ael nupta Douwe Piebis in Grouw, Sep nupta Vytze Pibis in Grouw. Et N. filia nupta Segero in Iruſum. Habuit & Mintz alteram filiam dictam Catharinam, cujus liberi mihi non ſatis cogniti.

Catharina

Swob

Swob altera filia Gerbrandi, & Jetz, quæ habitavit cum M. Buchone fratre paſtore tum in Grouw, nupta fuit Ulbae Hilleſoen in Eeſchem, & præfata Swob obiit anno 1494. relicto filio & filia. *Swob Aytta filia Gerbrandi.*

Filius dictus Hille duxit Reynſch Doukonis Leovardiæ, qui non reliquit ex ea liberos, & Ebel uxorem Idts Lilchlis ex Geeſterland filium reliquit Hille, & Mariam uxorem Siche Eſges, ex quo habuit duos filios & unam filiam nuptam M. Sabino Bomelio Burgimagiſtro in Snekis.

Sydtz tertia filia Gerbe & Jetz nupta Renich Sjourtz Camſtra, qui nullum filium reliquit, ſed multas filias videlicet Rintz nuptam Gerloff Ephis quæ filiam Bauch reliquit monialem in Smalingerée, & Sydtz uxorem Wibe Gerritſoen in Beers, & filios duos Auche Geloffoen in Werragae, & Reynicum Gerloffoen, qui hæreditavit poſſeſſionem Bolle in Egum confiſcatam ob factionem geuſianam. Altera filia Renich Jouwſoen vocata ſimiler Sydtz, nupta fuit Hette Gerritſoen Frieſma qui inter cæteros reliquit filium Romke Hetteſoen Gritmannum in Stellincwarf, Saep uxor Jan Brunſſoen, Jet uxor Teke Donneſoen, & Vuytz uxor Vitze Heranſoen. *Sydtz Aytta filia Gerbrandi & ejus liberi jex.* *Rintz.* *Sydtz.* *Saep.*

Ferrica ſive Fercku quarta filia Gerbrandi & Jetz, fuit in primo matrimonio conjuncta Saecke Sipkeſoen, qui obiit anno Dni. 1498. Reliquit autem ex eo filium unum & tres filias. Filius vocatus Gerbe Sakeſoen habitans in Freins, duxit Jel filiam Bone Boerſoen ex Ulck filia Saecke Popkema in Weydum, ex quo natus eſt Saecke Gritmannus in Idarderadeel pater Sibrandi burſarii in Collegio Vigliano Lovanii, & alias ſex filias, Saeck, Thietz, Ulck, Jetz, Anna, & Rixt. Aet autem ejuſdem Fercu filia nupta Aette Ritſartſoen, filios reliquit Ritzardum, qui habitavit in Zuichem, reliquitque filios Rintze, Folcardum & Attonem Canonicos, & aliquot filias. Reliquit & Aet Buchonem habitantem in poſſeſſione paterna in Zuichem, & Rintzium ſine liberis mortuum. Swob altera filia Fercu ex Boite Bougeſoen reliquit Bouwe & fratres & ſorores ejus. Sipk tertia filia Fercu ex Saeck monialis mortua eſt in monaſterio Foſwert. Ex altero autem matrimonio Sydtſe Ateſoen prædicta Fercu, habuit filium unum, & duas filias. Filius Sakas ex Anna Alua habuit filium Adolphum ſive Aloff habitantem in poſſeſſione *Ferrica Aytta filia Gerbrandi & ejus liberi* *Gerbe Saekeſoen.* *Aet Fercu filia.* *Swob filia Fercu.* *Sipk. Fercu filia.*

Aytta in Roerdehuyſum, & præter hos Saecke, Fercu, Lutz, & Bauch, & poſt obitum Saecke, Anna ejus vidua commigravit in Egum in poſſeſſionem Idſinga. Saeck prima filia Fercu ex Sydtze juncta fuit matrimonio Idtz Idtſoen de Roerda, qui habitavit inter Irſmazil & Egum in Niedam parochiæ de Grouw. Altera Fercu filia & Sydtze dicta Sydtz, qui obiit anno 1554. uxor Pier Fokes reliquit filiam nuptam Hette Vibeſoen, qua mortua proles eam mox ſecuta, hæreditatem tranſmiſit ad patrem Hette Vibeſoen. Reliquit & Sydtz filium Buchonem ſimplicem, ſed tamen conjugatum, qui & ipſe liberos reliquit.

Sake.

Saek.

Sydtz.

Auck Aytta filia Gerbrandi.

Auck quinta filia Gerbrandi & Jetz habitavit cum M. Ferck fratre & nupſit, matre ineonſulta, Riourt Vobbeſoen habitanti in Weydum patrueli Feke Jugels vicini Zuichemenſis, quæ matrem viſitando in Zuichem ibi obiit ex prole, qua poſtea defuncta, hæreditatem marito quæſitam, Jetz mater redemit.

Saep.

Poſtrema filia Gerbrandi & Jetz, dicta Saep, non reperitur fuiſſe nupta. Habuit autem Gerbrandus filium naturalem aut baſtardum dictum Jouw qui anno . . . . periit. Qui & ipſe filium reliquit Gerbe in Grouw & Aet filiam ex qua natus eſt Auche & Jouw qui habitaverunt cum Folcardo Aytta ipſius Jouw fratre legitimo.

Jouw baſtardus Gerbrandi.

Rintzius Aytta Ferrici filius & ejus liberi.

Rintzius Ferrici Aytta tertius filius ex diviſione paternæ hæreditatis poſſedit Hemrichein & coloniam juxta lacum in Verragae in Douvier. Uxorem habuit Swob Heringa ex qua filius ei natus fuit, dictus Haye Blynxſtra a poſſeſſione Blynxſtra in Achrum, quam occupavêre Douvemani, de qua longa lis Rintzio ejuſque liberis cum ipſis fuit. Liberos autem legitimos Haye non reliquit, ſed unicam tantummodo filiam naturalem dictam Feich. Habuit & Rintzius alterum filium dictum Bane, qui, uxore de Jelmerſma mortua, filio hæres exiſtens poſſeſſionem Oppehem ad ſe devolutam presbiteris in Wirdum teſtamento reliquit. Fuit & prædicto Rintzio alter filius Bucho in pueritia mortuus. Filiam vero unicam reliquit a matris nomine dictam Sydtz nuptam in primo matrimonio Feiche Hettema, qui obiit anno Domini 1492. filio unico relicto ex Sydtz Hette Hettema, qui ex hac Roerda genuit Barbaram uxorem Serapionis Aytta cognati

Haye

Bane.

Bucho.

Sydtz filia Rintzii Aytta & ejus liberi.

Hette Hettema.

nati fui. Genuit itidem Hette filiam Aet nuptam Liouwe Mellema Burgimagiſtro Leovardienſi patri Magdalenæ &c. Item & filiam Tzerck nuptam Petro Tzalingi, ex qua proceſſit Tzerck Pieters, & Hach nuptam Thaddaeo Hoppers &c. Item Feitch quæ olim monialis in Foſwert in ſeculum rediit. Reliquit & filium unicum prædictus Hette dictum Wibe Hetteſoen, ex quo natus Hette Wibeſoen, Sydtze Haye & Wibe & mater Vibrandi burſarii in Collegio Vigliano. Secundus maritus ſupradictæ Sydtz filiæ Rintzii fuit Ivo Byarda Tzalingi filius, ex quo liberos non habuit.

Siouck Aytta filia Ferrici.

Siouck unica filia Ferrici & Sydtz duos habuit maritos Jarichum in Achrum de Metslawier, unde filium unicum procreavit Vibe Jarichſoen famoſum capitaneum & filiam Sydtz. Vibe autem ex Thiet vidua Agge Donya filium & filiam. Filius Jarich qui unicam duntaxat filiam Siouck dictam reliquit, quæ in monaſterium a propinquis detruſa poſtea ad ſeculum reverſa eſt, nupſitque cuidam Focx, litemque movit de Helvardera poſſeſſione in Roerdehuyſum vicina coloniæ Aytta, quæ patri Jaricho obvenerat ex teſtamento aviæ Siouck, eratque occupata per amitam Jel uxorem Heſſeli Abinga, & ad filias ejus Vick & Thiet nuptas Douve filio Tackonis Douma & Geffoni Douvema devoluta, in qua tamen lite ſuccubuit. Jarici ſoror prædicta Jel, nupſit Heſſe Abinga in Huyſum, unde habuit filium Kemponem & filiam Thiet nuptam Jelle Harſma, ex quo habuit filium Sirck Harſma & filiam Focke Harſma nuptam N. Boitzima. Et in ſecundo matrimonio Douwe Douvema, cujus pater fuit *Jancke Douvema mortuus in arce Vilvordienſi*, ex qua reliquit unicam filiam Tetke Douvema quæ conjuncta fuit matrimonio Sydtz Botnya, cui obtigit Helvardera in Roerdehuyſum quam vendidit *Dno. Viglio Aytta* a cujus proavo Ferrico ea proceſſerat. Et alteram filiam Vick uxorem Goffonis Douvema filii Eponis Douvema. Sydtz autem filia Jarichi nupſit Haye Albadae filio naturali Renici Albadae vitrici ſui, ex qua proceſſit Helick uxor prima Tziepke Tziartz. & in ſecundo matrimonio Tziepke Broerſoen. Porro ex Tziepke Tziaertſſoen reliquit filium Haye & filiam dictam Sydtz Iges. Secundus maritus dictæ Siouck fuit Renich Doitziſſoen Albada, ex qua unicam duntaxat reliquit filiam dictam Jel Albada quæ

in primo matrimonio ex Heſſel Jougema habuit duos filios, Renick & Kempo Jougema mortuos ſine liberis, & Annam uxorem Douve Douvema in Iruſum, quæ filium reliquit Eponem Douvema juniorem maritum Catharinæ Fritema ex qua reliquit duas filias: Anna autem poſt mortem Douvonis rurſus nupſit Haringo Genitz qua mortua duxit viduam doctoris Renici.

In ſecundo matrimonio Jel prædicta nupſit Othoni Petri, ex Gaſtarlandt, unde nata eſt Siouck uxor Sirck Donya Gritmanni in Hennarderadeel.

Vytze avus maternus Folcardi

Vytze avus maternus Folcart Aytta filiam unicam reliquit dictam Jetz Vytzis Bukama, alias a marito Jetz Gerbis matrem Folcardi Aytta. Habuit autem Vytze fratrem D. Bernardum paſtorem in Zuichem, qui in Literis nominatur Her Bernart Siourdſoen ſive Gifridi Boukama.

Mintz avia materna. Folcardi.

Uxor autem prædicti Vytze avia materna Folcardi ab Aytta, nominata fuit Mintz Schutsma, pia & ſancta matrona, filia Jetze Schutsma, cuique uxor erat ex familia de Jornahuyſum in Verragae. Habuit autem Jetze pater Mintz fratrem Brunonem Schutzma, qui duos habuit filios Jetze Schutzma & N. patrem Riviert, qui filium reliquit Bouke Schutzma poſſeſſorem coloniæ Schutzma in Verrage & Thietz matrem Catharinæ filiæ naturalis Buchenis Aytta.

De Idæ ab Hanya parentibus paternis ac maternis.

Avi & aviæ Idæ Hanya

Idæ ab Hanya uxoris Folcardi Ayttæ avus paternus fuit de familia Hanya, avia paterna ex familia de Camſtra, avus vero maternus ex familia de Bommanga, avia materna ex familia de Renarda.

Hanyana familia.

Hanyana familia late ſe diſpergit, variiſque poſſeſſionibus nomen dedit, ac M. Hieronimus ab Hanya Conſiliarius Regius in Senatu Friſiæ aliquando ſcriptum vidit, quo continebatur quemdam ex ea familia olim habitaſſe in Pyngium, multaſque ibidem habuiſſe contentiones cum Præpoſito ac religioſis Præmonſtratenſibus in Zandt, qui poſtea migravere Bolſuardiam, & cujus Præpoſituræ bona, extincto monaſterio, nuper incorporata ſunt Epiſcopatui Leovardienſi. Præfatus autem de Hanya complures reliquiſſe dicitur filios, quorum

rum unus retinuit poſſeſſionem Hanya in Pingium, alter migravit in Holwert. Tertius in Weydum. Quartus in Wielsrip, multaque alia paſſim in Phriſia reperiuntur poſſeſſiones ab illis denominatæ.

Poſſeſſionem autem Hanyanam in Pingium poſſedit noſtro tempore Watze Hanya filius Douwe Donya, qui Watze fuit pater naturalis dicti M. Hieronimi, & ex legitima conjuge filia Gicke Gretinga & N. Dekama alios quoque reliquit liberos. *Hanya in Pingium.*

Sypt Hanya ex Holwert habitavit in Brouwert prope Dockum ſubmerſus ex caſu domum rediens, filium reliquit Jeltziae Hanya qui ex Germania, quam ſtudiorum cauſa acceſſerat, rediens, obiit nullis relictis liberis. Hæredem, relinquens ſororem matrimonio junctam Sydtze Harſma ac poſtea Idzardo in Grouvenſtins, quæ ex Sydtze unicam tantum reliquit filiam nuptam Julio a Dekama conſiliario Regio in Friſia, & altera filia Syxt nupta fuit Serip Adla in Gexbirum. Bernart autem frater Sipt ex Ida Herema filia Vigle Herema filium reliquit, cui defuncto mater ſucceſſit, eaque ſecundo nubens unicam ſimiliter reliquit filiam, quæ ad tres filias hereditatem tranſmiſit, quarum unam duxit filius Franciſci ab Alua ſive Malda, ac ita familia Hanyana in Holwert extincta fuit. *Hanya in Holwert.*

Hanya in Weydum ex qua ſtirpe Serapio ab Hanya & ejus liberi tres.

Ex familia Hanyana in Weydum deſcendit Serapio ab Hanya avus paternus ſupradictæ Idæ, qui ex Eeck de Camſtra reliquit filios Tziaert, Geke, & Vigle Hanya patrem dictæ Idæ.

Tziaert Hanya filius Serapionis & ejus filiæ duæ.

Ex Tziaert filio Serapionis ab Hanya, nulla maſculina deſcendit generatio, ſed duas duntaxat reliquit filias ex Bauk Burmania, videlicet Eek & Jauck. Eek nupta fuit Renick Oepkeſz. Gratinga, ex quibus deſcenderunt filii a Burmania cognominati Tziaert, Douve, Bocke, & Upke, ac filia Bauck nupta Haring Harinsma, mater Douve Harſma.

Eek Hanya ſive Burmania & quinque ejus liberi.

Tziaert filius Renici a Gratinga cognominatus a materna poſſeſſione ſita Leovardiæ Bourmarſia, nepos ex filia Tziaert Hanya, eques capitaneus & conſiliarius Caroli Quinti in Friſia, ex Tyetz Vuya, filios habuit Watzonem, Kemponem, & Renicum Droſſatum in Covordia, qui ſine liberis omnes mortui ſunt, & Judocum filium ſeniorem Gritmannum

Tziaert Bourmania.

num Leovardienſem, qui ex nobilis Groningenſis de Katers Domini in Fisliet genuit Nicolaum a Burmania, cui nupta fuit N. ab Ouſta, & Annam conjugem Johannis ab Euſum.

Douve Burmania. Douve ab Burmania itidem capitaneus ſub Carolo Quinto in Friſia, ex prima conjuge dicta At filia Pier Foppeſoen Ziarda vidua Laez Harſma, quæ filio ex eo nato ſucceſſerat, reliquit ex Douvone in Langewaer, nec non Petrum, Eraſmum, Renicum, ac Heronem dictum Marcellum, qui ducta privigna patris filia Saep ſatis numeroſam prolem reliquit. Et in ſecundo matrimonio ex eadem Saep Douve progenuit Gemmam Burmania, qui in primis nuptiis duxit ſobrinam ſuam, filiam Fedde Harde, ex qua habuit filium Douvonem, Upkonem & Takonem, & ex ſecundis nuptiis ex Jel Alua vidua Siouckonis Mellama ex qua ſimiliter multos liberos procreavit.

Boko Burmania. Tertius frater Boko Burmania ex filia de Camſtra filium reliquit Doctorem Renicum a Burmania Gritmannum Leovardienſem, cui nupta fuit una ex filiabus Jaucke Onoma in Bly.

D. Upke Burmania. Upke quartus frater, doctor fuit J. U. ſacerdos & præbendarius in primaria Eccleſia Leovardienſi, & conſiliarius Cæſareæ Majeſtatis in Friſia.

Bauck Burmania. Bauck eorum ſoror, ut ſupra meminimus, nupta fuit Haring Harſma Gritmanno in Wimbritſeradeel patri Douve Harſma.

Jouuck Hanya alias Burmania ſive Harda. Secunda autem filia ſupradicti Tziaert Hanya, fuit Jouck nupta Pibe Harda, ex qua progenuit filium Fedde Harde, qui ex Saeck ab Herwey in Tannaert filium habuit Pibonem Harda juniorum, uxorem quoque Vatze Camminga & Gemme Burmania, & Renici Camminga vocatam Beits.

Gale Hanya filius Serapionis. Secundus filius Serp Hanya frater Tziaert Hanya dictus Gale, uxorem habuit Rintz Ekinga, neptem Saep Pinge in Zuichem, quæ ipſius cum ſororibus hæres fuit, duosque reliquit liberos M. Watze Hanya celebrem medicum ac chirurgum Leovardiæ habitantem in loco ubi nunc eſt caſtrum, & Eek Hanya nuptam Sicke Siourdze fratri Doctoris Haringi Sinnema, aſſeſſoris cameræ imperialis, Secretario Ducis Alberti, quæ mala fortuna ſubmerſa fuit anno 1499.

Viglius Hanya fi- Tertius filius Serapionis Viglius Hanya, ex Rintzia de

Bom-

Bomminga, ſuſtulit quatuor filios & quatuor filias ſcilicet Broer, Die, Serip, & Tziaert, nec non Eek, Tziedt, At, & Idam minimam natu, uxorem Folcart Aytta.

lius Serapionis & liberi ejus alio.

Broer autem Hanya filius ſenior Vigle Hanya, & Eke Camſtra dictus Eekna ab poſſeſſione Eekna in Roerdehuyſum, quam jure retractus comparavit ab hæredibus Gelle Hanya patrui. Reliquit ex ſorore Dni. Riouert præbendarii in Roerdehuyſum, liberos Serip, Vigle, Tyedtz, Ydtz, & Liebk, alias Barbaram matrem in Aelſum.

Broer Hanya filius Viglii & liberi ejus quinque.

Serip ex N. de Andringa habuit filios duos, Jorrit & Vigle.

Serip filius Broer.

Vigle Broerſoen reliquit duos filios & unam filiam.

Vigle filius Broer.

Indtz filia Broer inter cæteras proles reliquit Broer fratrem Laicum in Thabor.

Indtz filia Broer.

Tyets filia Broer ex ſecundo marito Sydtze Heſſelſſoen van Rheen patruo Hetto Loickes reliquit duos filios unum Rintze habitantem in Slota, & alterum Heſſelt in Lutzowirum.

Tyedtz filia Broer.

Barbara filia Broer ante dicta Liebk monialis & mater in monaſterio Aelſum.

Barbara filia Broer.

Die Hanya ſecundus filius Vigle Hanya, ex uxore nata in Aaron habuit tres filios, Vigle, Doctor Serip, & Gele, & filiam Catharinam.

Die Hanya filius Viglii & liberi ejus.

Vigle Hanya ex prima uxore Rema ex Tziemmarum genuit Die Hanya poſſidentem ſtatum Hanya in Weydum, & ex ſecunda conjuge dicta Idtz reliquit Gele & Vigle.

Vigle Hanya filius Die.

Doctor Serapio ab Hanya celebris medicus & Burgimagiſter Leovardienſis unicam tantum ex poſteriore matrimonio filiam reliquit.

D. Serapio filius Die.

Gale Hanya obiit ſine liberis.

Gale Hanya filius Die.

Tryntke ſive Catharina filia Die Hanya complures reliquit liberos ex Fedde Hetteſoen Jelgerſma.

Catharina Hanya filia Die.

Tertius filius Vigle Hanya Serip dictus, nomen referens avi paterni, obiit ſine uxore & liberis anno 1500. in prelio prope Franicker.

Serip Hanya filius Viglii.

Quartus filius Vigle Hanya & Rintz Bomminga nominatus Tziarta patruo Tziart Hanya ſive Burmania ex Reynsk vidua Dukonis Gralda nullos reliquit liberos obiitque anno 1515. Sepultus Leovardiæ in eccleſia Sti. Viti in Oldenhove.

Tziart Hanya filius Viglii.

Re-

Reliquit tamen filium naturalem nominatum Tziart.

Eek Hanya filia Viglii & liberi ejus ſex.

Eek ſenior filia Vigle Hanya juncta ſuit matrimonio Liouve Tyepma in Roerdehuyſum filio Gibe Tyepma conſobrino Gerbe Aytta, ac Siourdt Wibbeſſoen in Groveſtins ſorore Scharnewibe. Reliquêre autem dictus Liouwe & Eek tres filios & tres filias videlicet Siourt, Sybe, & Vincentium Tyetz, Rema & At.

Siourt filius Eek.

Siourt ſenior filius Eek Hanya, uxorem habuit Aelke Galama, ex qua generavit tres filios videlicet Liouwe, Jarich & Vincentium, ac filiam Atke monialem in Betlem.

Sibe filius Eek.

Sibe puſillus ſtatura ſine liberis obiit, ſepultus in monaſterio de Groetaduert.

Vincentius filius Eek.

Vincentius mortuus eſt in adoleſcentia Leovardiæ in ædibus Idæ Hanyæ materteræ.

Tzyetz & ejus liberi quatuor.

Tſyetz ſenior filia Eek Hanya nupta fuit Hette Hettesoen Jelgerſma, & habuit filium Vigle, cui nupta fuit filia Tſietz filia Takonis Montzima.

Liouwe.

Liouwe Jelgerſma Gritmannus in Achterſpel, pater M. Leonis Jelgerſma burſarii olim in Collegio Vigliano, & complures filias.

Sydtze.

Sydtze liberos non habuit quod ſcitur.

Catharina.

Catharina uxor in primo matrimonio Pibonis Gekinga, & in ſecundo Jorrit Bockeſoen Vyarda, ex quo filium reliquit Pibonem.

Rema.

Rema uxor Bockonis Vyarda cujus liberi ſupra memorantur ſub titulo Mintz Aytta matris dicti Bockonis.

At.

At monialis & poſtea mater in monaſterio Tſiemmarum.

Tzietz.

Tzietz altera filia Viglii Hanya & Rintz Bomminga nupta fuit Ambroſio Takonis habitantis prope Oldeclooſter, quæ filios habuit tres & totidem filias.

Ambroſius filius Tzietz Hanya.

Ambroſius ſenior filius Tſietz Hanya ex Catharina uxore, ex Gela prope Sloten habuit filium Viglium &c.

Sipke filius Tietz Hanya.

Sipke alter filius Tſyetz Hanya uxorem & liberos reliquit.

Viglius filius Tſyetz.

Viglius tertius filius Tſietz Hanya deſtinatus Sacerdotio præmature obiit.

Hylck filia Tzietz Hanya.

Hylck filia prima uxor Sirck Hanckema, & poſt nupta Douvoni in Hennart, reliquit quoque aliquot liberos.

Lou filia Tzietz Hanya.

Lou altera filia Tſyetz conjuncta fuit Bouve Sinckema in Menaldum.

Rintz

Rintz tertia filia monialis in Nieclooster, ac postea ibidem electa in priorissam. *Rintz filia Tsietz Hanya.*

At quarta filia Vigle Hanya & Rintz Bomminga nomen referens ab At sorore avi materni & uxore Tsommo Vyarda, monialis fuit in Oegeclooster, ac ibi vitam terminavit anno 1548. *At filia Viglii Hanya.*

Ida minima natu filia dicti Vigle Hanya & Rintz Bomminga, post ejusdem Viglii mortem, tradita fuit nuptui ab matre Rintzia ac fratre Broer anno 1503. Folcardo ab Aytta, cujus generatio suo loco explicata est. *Ida filia Viglii Hanya, uxor Folcardi Ayttæ cujus generatio supra posita est.*

Avia paterna supradictæ Idæ fuit Eek Camstra, nupta Serapioni Hanya, quæ filia fuit Viglii vulgariter dicti Vigle Camstra, viri primariæ nobilitatis authoritatisque. Qui cum Frisii conventum celebrarent apud Bolsuardiam incidit in contentionem contra Edonem Albadam *Potestatis* munere in Frisia tum fungentem, exortaque inter famulos rixa, Viglius ibi occisus fuit, in cujus vindictam Bolsuardia a factione *Schiringorum* occupata, multi adversæ partis illic cæsi fuerunt, ac Edo numquam postea pristinam dignitatem sustinere potuit. Reliquit autem dictus Viglius Camstra duos filios, atque unam filiam videlicet Renick & Abbe Camstra & filiam Eek Camstra. Cujus generatio liberorum ex Serip Hanya procreatorum supra descripta fuit. Frater autem ejusdem ac filius Viglius, Renick Camstra in obsidione arcis Jouck Jalama in Ackmaryp periit circa annum Dni. 1459. Is autem quatuor reliquit filios, Feicke, Petrum, Viglium & Sydtze Camstra. *Eek Camstra avia paterna Idæ.* *Viglius Camstra & ejus liberi tres.* *Renick filius Viglii senior, frater Eek Camstræ cum liberis quatuor.*

Ex Feickone & Sydtz Tziarda natus Renick Homme & Foppe Camstra. Renico uxor fuit His Ockinga qui habitavit in domo Camstra in Wirdum, & filios reliquit Vigle, uxorem habuit Tryn Harsma sororem Watze Harsma, ex qua nonnullos sustulit liberos. Eademque in secundo matrimonio nupta fuit Goffoni Tziarda ex qua unicam habuit prolem nuptam Doctori Petro Fritzima consiliario Regio in Leovardia. Vitze autem frater Vigle uxorem habuit Reniam Hermanam viduam antea prænominati Watze Harsma. Ac in tertio matrimonio, mortuis prioribus maritis sine liberis, nupsit in tertio matrimonio Hermanno a Galama mortuo Bruxellæ, & in quarto M. Hieronimo, *Feicke Camstra & tres ejus liberi.*

ronimo Hanya. Habuit & Renicus & His filiam nuptam Liouwe Beyama quæ juncta fuit matrimonio Gabbe Esgema in Oisterdietens., ex qua reliquit duas filias unam nuptam Renick Gratinga Consiliario Leovardiensi, quæ in secundo matrimonio nupsit Doctori Hesselo Aylima. Et alteram filiam nuptam. . . . Boitzima habitanti in Collum. Prædictus autem Gabbe Eysinga relinquens Frisiam patriam suam, Basileam commigravit, ubi duxisse fertur filiam David Jorissoen.

Habuit quoque prædictus Renicus Camstra & His Ockinga alteram filiam monialem in Aelsum, quæ ibi vitam finivit. Homme Camstra ex filia Edonis Eysinga reliquit duos filios & duas filias Tzalingum & Fopponem, & Annam uxorem Gerboldi Feitzima & N. Douvema.

Tzalingus masculum non reliquit. Foppe habitans in Gautem prope Snekam, in exilio propter geusiorum factionem mortuus, filium quoque Fopponem reliquisse fertur: qui conjunctus matrimonio filiæ Scheltonis a Leaukema.

Anna Camstra. Ex Anna Camstra sive Fietzma plures descendunt filii & filiæ.

Foppe filius Festonis. Foppe senior Renici & Hummonis frater obiit anno 1525. nullis relictis liberis.

Petrus Camstra filius Renici senioris. Secundus filius Renick Camstra fuit Peter Camstra habitans in Jelsum, qui Ulmæ mortuus esse dicitur, relicto filio Renick Camstra consiliario Ducis Saxoniæ, qui ex Gerloff Hoxvier filias duas reliquit, unam nuptam Hettoni a Dekama, unde prognatus fuit Petrus a Dekama, eques & consiliarius in Frisia sub Cæsare ac Rege Philippo, qui uxorem habuit filiam M. Gerardi a Loo quæstoris generalis Frisiæ, & frater Petri Hetto qui celibem vitam agit, nec non tres filiæ quarum prima nupta fuit Riouert Ebinga patri Hettonis, altera Tziaert Jonghema. Tertia Jouw Botnya, & altera Renici filia juncta fuit matrimonio Jaricho a Dekama, Hettonis fratri, ex qua habuit filium Juw Dekama consiliarium regium & N. conjugem Schel Leaukema.

Viglius Camstra filius Renici senioris. Tertius filius Renici Camstra senioris Viglius, qui obiit anno Dni. 1501. Liberos non reliquisse fertur.

Sydtze Camstra filius Renici senioris frater Eek. Sydtze quartus filius Renici senioris ex filia Schermewise. Reliquit filium Renick Camstra alias Andla, ex quo natu-

tus Ziourt Andla in Weydum, maritus Rintz Roxda. Reliquit quoque Sydtze Camſtra filiam primo matrimonio nuptam Sibrando Herema, unde deſcendit Vigle Herema, & uxor Schonenberger Gritmanni in Collum. In ſecundis autem Boko Burmania, unde natus eſt Doctor Renick Burmania Gritmannus Leovardienſis.

Secundus filius Viglii ſenioris dictus Abbe Camſtra in Oiſtervierum filium reliquit itidem Viglium Camſtra cui nupta fuit Eelick Heringa, unde deſcendit Sasker Heringa, qui ex N. de Jausma filios tres reliquit, Abbe, Sasker & Haring Heringa. Ex Abbe Saskers capti in Iruſum deſcendit Bauck mater Dekonis Martena & Sydtz Botnya.

Abbe Camſtra filius Viglii ſenioris, frater Eek Camſtra.

BOMMINGA.

Idæ ab Hanya uxoris Folcardi Aytta maternus avus fuit Broer Bomminga. Matrem autem habuit N. Albadam, filiam Hille Albadae. Fuit autem Pier conſanguineus Feiconi Sickinga, cujus filiam in matrimonio habuit *Renicus Bokema fundator monaſterii in Thabor*, unde adhuc jus ſepulturæ Bommingani ibidem retinent. Habuit autem Broer Bomminga fratrem unicum Hille Bomminga, & ſororem At Bomminga, conjugem Tzommo Wyarda, qui ſua tempeſtate vir magnæ potentiæ & authoritatis fuit, & cujus hæredes fuere Emingani in Gouthum prope Leovardiam, qui obiit anno 1473., atque At ejus conjux anno 1471. ſepulta in monaſterio antiquæ Galileæ prope Leovardiam, & inde tranſlata a fratribus Franciſcanis in novum monaſterium extructum in ipſa urbe Leovardienſi.

Broer Bomminga avus maternus Idæ ab Hanya.

At Bomminga ſoror Broer Bomminga.

Hille autem frater ex filia Vibonis Minnema procreavit filium Minne dictum Oppeherg qui prolem legitimam non reliquit, ſed tantum filium baſtardum Hille, patrem Heſſel Hilleſoen in Roerdehuyſum, habuit idem Hille Bomminga duas filias ſorores Minne, videlicet Pierck & Rixt Bomminga.

Hille frater Broer Bomminga & ejus generatio.

Pierck juncta fuit matrimonio Foppe Ziarda patri Pier Foppes Ziarda, alias Bomminga, & Zidtz uxoris Feicke Camſtra, cujus generationem videre licet in præcedenti declaratione liberorum Feicke Camſtra. Quorum pater Foppe

Pierck Bomminga filia Hille.

Ziarda habitavit in Morra in Abbagae & obiit anno 1490, multas in vita controverſias & contentiones ſuſtinens cum Douvone Harſma in Hega marito Rixt itidem ſororis & cohæredis dicti Minne. Pier autem Foppis, filium reliquit Goffe Pierſz. patrem Pier Ziarda, & At nuptam in primo matrimonio Laez Harſma & in ſecundo Douve Burmania cujus generatio ſupra habetur in familia Hanyana, & alteram filiam nuptam N. de Capella, ac poſtea Franciſco a Roerda Gritmanno in Wimbritſeradeel, qui ex ea ſuſcepit filium Douve Roerde maritum Catharinæ a Leaukema.

Rixt filia Gilis Bomminga.

Rixt autem uxor Douve Harſma filiam ex eo habuit nuptam Ononi Jouſma ſeniori, ex quibus Jou & Douve Jousma ac uxor Saskar Heringa deſcendunt. Videntur & alii ex Douve Harſma & ipſa Hyllick deſcendiſſe, videlicet Laez Harſma cui nupta fuit At filia ſupradicti Pier Foppes ac Haring Harſma, qui duxit Bauck Burmania, & Douve Harſma juniorem, patrem N. Harsma matrem Jaucke Douwema, & Idzart in Groveſtins, unde colligitur ex his duabus filiabus Hille Bomminga patruelibus liberorum Broer Bomminga deſcendiſſe duas nobiliſſimas familias Friſiæ Ziarda & Harſma.

Broer Bomminga liberi ex Tzietz Reynarda.

Ipſe autem Broer Bomminga ex Tzietz filios duos reliquit Lou Broerſſoen, & Oege Broerſſoen a Bomminga.

Lou. Bomminga.

Lou filios non reliquit, verum aliquot filias, quarum una nupta fuit Zirck Harſma Inder Elst, qui reliquit ex ea Zydtze & Jelle Harſma ac Mariam uxorem Heſſel Boitzma. Zydtze autem ex prima uxore vidua Renici Camſtra dicta His Ockinga nullos liberos habuit, & ex ſecunda filia Syxt Hanya in Brouwert, unicam tantum filiam reliquit nuptam Dno. Julio a Dekama conſiliario Regio in Friſia. Jelle autem aliquot liberos reliquit ex filia Heſſel Abinga in Huyſum. Habuit & Lou alteram filiam nuptam Jelmer Otteſoen, qui reliquit filium Otto, & ex eo Geke Otteſoen in Weydum. Oege autem frater Lou ſine liberis obiit. Filias autem Broer Bomminga maritatas reliquit duas videlicet Rintziam nuptam Vigle Hanya matrem Idæ Hanyæ. Alteram dictam Jauck nuptam Heſſel Eſges Albadae, ex qua progenuit At, quæ nupta fuit Thomæ van Heyden Secretario ſeu ſcribæ Ducis Saxoniæ, qui filium reliquit commorantem Lipſiæ M. Joachimum van Heyden

Oege Bomminga.

Rintz Bomminga uxor Vigle Hanya.

Jauck Bomminga.

ſimili-

ſimiliter Secretarium Ducis Georgii. Idem Broer Bominga reliquit & filias, ex Tyetz ejus conjuge quæ Deo & monaſteriis in Nieclooſter & Oegeclooſter dedicatæ fuere.

Tyetz Reynarda avia materna Idæ Hanya.

Avia materna Idæ fuit Tyetz Reynarda uxor Broer Bominga, ac filia Oege Reynarda qui ex priore matrimonio eam ſolam ſuſtulit. Habitavit autem Oege in Oppenhuyſum prope Snekam, ubi poſſeſſio Reynarda ſita eſt, multaſque dum viveret ſuſtinuit contentiones cum Douvemanis propter conventum in Haska, ubi prius habitavêre moniales, in quarum locum ſubſtituti intruſique fuere monachi regulares. Ipſe autem Oege monialibus in vita monaſtica perſiſtere volentibus novum extruxit monaſterium in fundo Abbatiæ Oldeclooſter, quod ab eo denominatum eſt Oegeclooſter. Oriundus autem fuit ex Stauria, cùm ea urbs adhuc floreret. Et ex familia Renarda referunt deſcendiſſe Brederodanæ familiæ authorem. Filium autem ex ſecundo matrimonio reliquit Sicke Reynarda qui vixit anno 1461. Filias quoque multas reliquit inter quas una appellata fuit Siouck nupta N. Bouckema, qui ex ea filiam ſuſcepit dictam Geel matrem Renici Reynarda paſtoris in Goentryp viri apprime docti & jurisconſulti qui filiam naturalem reliquit dictam quoque Gele, quæ nupſit Goffoni Andringa. M. autem Renicus poſſeſſionem Renarda in multas diviſam partes reduxit in unam, pretio cohæredibus ſoluto. Habuit & Siouck filium Oege Bouckema cujus filia nupta Abbe Idzkis Sickinga ex quo ſuſtulit filium M. Idzardum Zickinga conſiliarium in Friſia & M. Oegonem Sickinga advocatum in Snekis. Habuit quoque Siouck filiam dictam Beyts, matrem Vibe Beytz, cujus filia nupta fuit Sipke Teke Ambroſiſſone ex Tyets Hanya.

Siouck ſoror Tyetz Reynarda.

M Renicus Renarda.

INSTRUMENTUM

Fundationis Domûs Dei Ab Aytta in pago Zuychem.

Ex Heussenii hist. Episc. Leovard. p. 108.

Omnibus hasce literas aut instrumentum publicum visuris aut lecturis, *Viglius Aytta ex Zuychem*, utriusque juris Doctor, Cathedralis ecclesiæ S. Bavonis Gandavi in Comitatu Flandriæ Præpositus, Concili Status Catholicæ Majestatis Præses, nec non Cancellarius Ordinis Aurei Velleris &c. salutem. In nomine Domini Dei omnipotentis. Cum expressa veritatis rerum infrascriptarum notitia notum facimus, piæ memoriæ Reverendum, Doctissimumque Dominum Magistrum *Bernardum Bucho Aytta* ex *Zuychem* *avunculum nostrum charissimum, cujus animæ propitietur Deus, in vita Decanum Colegiatæ Ecclesiæ S. M. Virginis in sacello aulæ Hagæ-Comitis, & Cæsareæ Majestatis piæ memoriæ Consiliarium &c. alio tempore intentionis fuisse fundare & erigere bonam & laudabilem fundationem in pago Zuychem nativitatis suæ loco, quod divinum propositum prædictus Dominus & Magister *Bernardus Bucho*, morte præoccupatus in vita sua perficere non potuit. Hinc partim ut compleamus bonam intentionem, & optimam Avunculi nostri charissimi voluntatem, atque in gratiarum actionem pro beneficiis nobis præstitis, eo quod multis nos annis scholas frequentare fecerit; cum in, tum extra patriam, & principalis promotionis nostræ occasio fuerit: partim etiam in servitium, illustrationem & felix patriæ nostræ charæ auspicium, omni meliori forma & modo nobis possibili ereximus & fundavimus, erigimus hisce & fundamus, cum prædictæ Regiæ

Maj.

Non uno ex capite suspecta mihi fit hujus instrumenti lectio. Totum sane sordido & indisserto conceptum est sermone. Secundum patrui prænomen, cur in proœmio non exprimitur in casu accusativo, ut primum? Curavunculus appellatur, qui patruus? Quid sibi vult DIVINUM PROPOSITUM *pro pio, laudabili? Hæc & similia multa Viglio tribuas? Cùm aliud nullum Fundationis Instrumentum occureret, Heussenii fide hoc dedimus, postquam frustra rogavimus, ut descriptum ad fidem Autographi, in Castro Zuichemensi asservati, exemplar ad nos mitteretur.*

Maj. Domini nostri Clementissimi consensu, ut patet ex litteris suæ Majestatis desuper acceptis, datis Madriti in Regno Castiliæ mense Majo Ao. millesimo quingentesimo septuagesimo secundo. Et cum venia ac permissione Illustrissimi Dom. & patris in Christo Episcopi Leovardiensis, Hospitale in pago Zuichem pro septem personis senioribus, similiter & Ludimagistrum cum sex scholasticis etiam cum anniversario in solamen animarum nostrarum annuatim in templo *Zuychemensi* celebrando, ea ratione & modo, ut hic latius declaratum & specificatum est; revocantes, cassantes, & annihilantes, ex rationibus ad hoc nos moventibus, alias nostras fundationis epistolas, & ordinationes huc concernentes, ante datas, desuper factas.

Primo in hunc finem & in eodem pago *Zuychem*, in parva vicinia ibidem, alias *op den kleynen Buyren*, fundari & erigi jussimus Hospitale in agro pastoris cum ejus ædituorumque consensu, cum certa pro eo recognitione &c. quod petimus & ordinamus nominandum *Hospitale Ayttæ*, * in quo prædictæ septem personæ (virorum vita annos excedet sexaginta, mulierum quinquaginta) sustentabuntur & hospitabuntur: attamen viri tres aut quatuor tantum erunt, reliquæ mulieres, quæ ex pago *Zuychem* aut ex proxime adjacentibus pagis, aut ex urbe Leovardia, ex sincera misericordia, ab illis, ad quos ex familia nostra, primaria Domus *van Zuychem* pertinebit, eligentur, ut ibidem permanere possint ad vitam, & sustentari ex bonis prædicti Hospitalis a nobis in hunc finem relictis & datis; scilicet cuique dabuntur viginti floreni aurei, viginti octo st. Brabantinorum annuatim, quorum fl. quarta pars cuique solvetur singulis quatuor temporibus: præterea dabitur cuique navis nigris cespitibus plena ad comburendum; quibuscumque autem ulterius indiguerint, in cujusque ea cedent onus.

Exstat etiam hodie. Non admittuntur nisi senes Catholici, viri quatuor, mulieres tres. Adest facetium satis elegans. Præbendarum Collatio ad proximos spectat fundatoris consanguineos hodiernos.

Secun-

Secundo, quilibet vir ſive mulier, in Hoſpitali prædicto admittendi, conferet bonum lectum cum requiſitis, & præterea omnia ſupellectilia, prout quisque pro perſona ſua habere voluerit, & poſt mortem cujusdam licitum erit amicis eadem ſibi mobilia appropriare ſolvendo defuncti exequias, quæque ad eas requirentur, niſi forte de his teſtamento aliter diſpoſuiſſet.

Tertio, prædictæ perſonæ liberæ eſſe debebunt a matrimonio, & præſertim a prolibus junioribus, prætereaque ab omni onere, ex quo prædictum Hoſpitale aliqua ratione gravari poſſet, quæ etiam oſtiatim mendicare non conſueverunt; eſſe debebunt & vivere, ut bonos decet Catholicos Chriſtianos, juxta regulas & præcepta S. Rom. Eccleſiæ, boni nominis & famæ, quæ per vitam malam ad pauperiem non devenerint; ſed propter ſenectutem diuturnumque laborem corpore & membris factæ impotentes, nullos alios reditus habent ad vivendum: pacificè, honeſtè & moratè viventes & converſantes; nemini dantes ullam offenſionem percutiendo, columniando, aut turpiloquia effutiendo, ſed pacificè, ut decet, inter ſe viventes, absque ulla inhoneſtate aut ſcandalo, ſub pœna, in contrarium facientes, caſtigationis atque expulſionis ex præd. Hoſpitali, prout juxta rei exigentiam viſum fuerit: neque perſonæ hæ ullas frequentabunt tabernas aut ſympoſia, neque ulli amicorum aut cognatorum apud eos ad pernoctandum hoſpitabuntur; neque viri ullas feminas neque feminæ ullos viros ad pernoctandum admittent.

Quarto, ſi quando Miſſa, aut alia quædam divina fiant officia in templo *Zuichemenſi*; iisdem quotidie diligenterque aſſiſtent; attamen omiſſis hiſce in Eccleſia, dum porta patuerit, preces ſuas fundere tenebuntur, quatuorque feſtis ſolemnioribus ad minus Sacram Confeſſionem & S. S. Euchariſtiæ

riſtiæ Sacramentum frequentabunt: quod ſi evenerit quemdam eorum infirmari, alii aut aliqui eorum ad hoc ab infraſcriptis Inſpectoribus deputati, ægrotanti fraternè, fideliter & non gravatè aſſiſtent, ſub ſpe, ſi opera ea indiguerint, eandem recipiendi.

Quinto, eædem perſonæ omnia opera aliquo modo in præd. Hoſpitali facienda ſingulis ſeptimanis per vices perficient: quæ tamen per morbum aut alias rationes ad hoc ineptæ aut impotentes fuerint, præd. Inſpectorum judicio juſſioneque excuſabuntur.

Sexto, præter alias preces quotidie in Eccleſia faciendas, priusquam vadant ad menſam, & ſimiliter poſt menſam ante gratias, legent ad minus unum *Pater noſter* & *Ave Maria:* item veſperi maturè domum revertentur, ſcil. in æſtate intra horam ſeptimam & octavam: hyeme hora quinta. Priusquam vadant cubitum, congregabuntur ad laudandum Deum; unusque eorum dicet; „ Chariſſime Domine Deus omnipo„ tens, creator cœli & terræ, lauderis, glorificeris & be„ nedicaris pro omnibus bonis nobis impenſis atque conceſ„ ſis, rogamus te ut miſerearis noſtri & liberes nos ab om„ nibus peccatis:" ad quod alii reſpondebunt *Amen:* poſt hæc alius rurſum dicet; „ Oremus pro Clementiſſimo Do„ mino noſtro Friſiæ, pro Conſiliariis ejus, pro Reveren„ do Domino *Viglio van Zuychem* fundatore noſtro, pro pa„ rentibus ejus & amicis, pro Inſpectoribus & Coädjutori„ bus, qui Hoſpitale hoc poſt fundationem ejus conſer„ vant, & pro omnibus aliis noſtris benefactoribus præte„ ritis atque præſentibus, & pro omnibus animabus mun„ do defunctis, ut Dominus Deus harum miſereatur, & „ quisque noſtrum legat pro eis unum *Pater noſter* & *Ave* „ *Maria;*" quibus lectis precibus quisque diſcedet.

Septimo, utque hæc noſtra fundatio & Hoſpitale melius conſervetur, & cum bono regimine decentiaque regatur, in hunc finem Inſpectores ſeu Curatores conſtituimus, & hiſce ordinamus Poſſeſſorem & Proprietarium domus noſtræ in *Zuychem* illo tempore exiſtentem Patronum, una & Paſtorem & Præbendarium in Zuychem illo tempore exiſtentem, qui conſtituent Quæſtorem ſuper adminiſtratione bonorum a nobis huic Hoſpitali relictorum, talem ei aſſignantes mercedem, qualem rationabilem judicaverint, annisque ſingulis rationem ejus in præſentia Ludimagiſtri, patrisque Hoſpitalis excipient ſeu audient, deque ſuperfluis pecuniis in bonum præd. Hoſpitalis & ſcholæ ordinabunt, prout optimè expedire judicaverint: bonam inſuper ſument inſpectionem reflectionemque, ut bonum ſervetur regimen & regula, eodem quo dictum eſt modo: iidem quoque Inſpectores unum ex prædictis viris ſenioribus eorum inſigniſſimum eligent, vocarique facient *patrem* aliorum fratrum; ſimiliter unam ex feminis nominari facient *matrem* ſuper alias feminas ſorores, qui *Pater* & *Mater* curabunt ut domus ſuo tempore claudatur aperiaturque, jubereque poterunt aliis in omnibus rebus ad communem pacem & bonum ejusdem Hoſpitalis ſervientibus, cum conſilio tamen Curati. Poteſtatem damus & auctoritatem tribus præd. Curatis ad comprimendos refractarios, qui ſe aliter geſſerit quam decuerit, privandi a proventibus & eleëmoſynis, atque ex eodem Hoſpitali ejiciendi, aliumque ejus loco eligendi, aliamque regulam, ſi neceſſitas requirit, ordinandi, prout juxta temporis occaſionem, conſervationem, bonumque præd. Hoſpitalis expedire judicaverint.

Octavo, Qui Inſpectores advigilabunt apud ædituos, ut bonum aptumque aſſumant Ludimagiſtrum bonæ, ſinceræ, Catholicæ fidei & doctrinæ profeſſorem: dantes ei annuè in ſubſidium, præter id quod ab Eccleſia conſtitutum fuerit,

rit, viginti quatuor florenos aureos viginti quinque st. Brabantinorum, præterea habitationis domum sitam *op de cleyne buyren*; Et in usum scholæ ubi præd. sex scholastici, aliique pueri, ibidem scholas frequentare volentes, relinquimus & designamus cubiculum prædictæ domui annexum, prædictaque domus & cubiculum bene prius reparabuntur absque ullis Patroni sumptibus, deinceps ab eodem Patrono in *Zuychem* conservanda, quoniam eadem cedunt in honorem Ecclesiæ & bonum communitatis in *Zuychem*: quisque scholasticus habebit annuatim duodecim similes flor. aureos, & Possessor ac Proprietarius domus in *Zuychem* prædict. scholasticorum donationem concedit, qui tamen donatione hac aut Præbenda non ultra quinque aut sex annos gaudebunt, nisi ob rationes notabiles; dumque hi desistent, Possessor præd. ut Patronus alios loco horum subrogabit: scholasticis hisce Quæstor præd. convenienti tempore quotam suam distribuet, omnibus quatuor temporibus tres flor. aureos, hac conditione Ludimagister adolescentes suosque discipulos cæremonialia Ecclesiæ benè docebit, ut aliis adolescentibus ibidem scholas frequentaturis sint in exemplum, ad quod Pastor in *Zuychem* existens specialiter invigilabit: quod si quem defectum invenerit, cum consensu præd. Curatorum emendabit, prout expedierit. Tenebitur item Ludimagister discipulos suos omnes congregatim omnibus Dominicis & festivis diebus ducere ad Ecclesiam Parochialem in *Zuychem*, qui scholastici illo tempore superpelliceis induti venient, summum sacrum & verbum divinum audituri, idemque sacrum, aliaque divina officia cantaturi, finitoque summo sacro simul lecturi Psalmum: *Miserere mei Domine*, & *De profundis*: post quæ Ludimagister leget collectam pro fundatore nostro, ac omnibus amicis nostris, omnibusq animabus fidelium defunctorum.

Nono, In conservationem supra dictæ fundationis nostræ,

ſtræ, & Hoſpitalis, ſuſtentationemque ſeptem perſonarum ſeniorum, Ludimagiſtri, ſexque ſcholaſticorum, ſimul & anniverſarii noſtri in *Zuychem* ſervandi & celebrandi, notum facimus, quod, quandoquidem aſſignaverimus duodecim millia florenorum viginti ſt. Brabantinorum in diverſis reditibus Ordinibus Hollandiæ, Civitatique Amſtelodamenſi aſſignatis, aſſignationem eandem mutaverimus, & in majorem ſecuritatem dederimus & reliquerimus, damus & relinquimus hiſce certos reditus ſexcentorum quinquaginta florenorum annuatim nummo duodenario redimendos, nuperrimè a Majeſtate ſua acceptos, in certis agris in Friſia, ſitis in Parochia S. Jacobi, in ſortitione aut rata portione, dictæ ſortitio *Theodori van Wyngarden*, prætereaque alios reditus trecentorum quinquaginta flor. annuè ſolubiles nummo decimoſexto a Majeſtate ſua impetratos, oppignoratos Dominiis ejus in Friſia; ſic ut duo hi reditus annuè efficiant mille florenos, ut patet ex duabus Maj. ſuæ litteris conſignatis, prima data decima ſexta die menſis Jan. Anno Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto ſecundum ſtylum novum, ſecunda data, ultimo Decembris Anno Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto. Præd. hos reditus relinquimus & damus in perpetuum uſum & neceſſitatem fundationis noſtræ, reſervato nobis, vitâ noſtrâ durante, jure eadem bona mutandi. Quod ſi viventibus nobis, aut etiam poſt mortem præd. reditus a Maj. ſua ſolvantur, tunc volumus & ordinamus, ut ſolutæ pecuniæ inde provenientes rurſum adhibeantur, & applicentur in aliorum bonorum & redituum emptionem, ſicuti licitum & conceſſum eſt in litteris a Majeſtate ſua deſuper impetratis.

Decimo. Et de fructibus ex præd. reditibus proventibus, relinquimus & ordinamus pro anniverſario noſtro duodecim fl. aureos annuatim, ex quibus Paſtor Eccleſiæ in *Zuychem*, tum in remunerationem pro agro paſtorali, ubi præd.

præd. Hoſpitale ædificatum eſt, tum pro ſacro annuè faciendo in Eccleſia *Zuychemenſi* tempore fundati anniverſarii noſtri, cum obligatione id antea ſubditis ſuis indicandi, participabit tres flor. aureos ſt. viginti octo. Præbendarius *Zuychemenſis*, qui etiam tempore anniverſarii noſtri in ſacro & Eccleſia præſens eſſe tenebitur, pro mercede ſua annua accipiet florenum aureum. Item quando anniverſarium noſtrum poſt obitum noſtrum in templo *Zuychem.* ſervabitur, & *requiem* cantabitur, tunc Ludimagiſtro, a nobis fundato pro adjutorio cantati ſacri, dabitur medius flor. aureus, & ſex ſcholaſticis a nobis ſimiliter fundatis, qui etiam ad idem ſacrum venire tenebuntur, dabitur cuique ſimilago * duorum aſſium, & duo aſſes in parata pecunia, communibus aliis ſcholariis numero viginti ad anniverſarium noſtrum venientibus, cuique diſtribuetur ſimilago unius aſſis: Similiter eodem tempore ſeptem ſenioribus in Hoſpitali noſtro fundatis, in eodem ſacro præſentibus, dabitur cuique ſimilago duorum aſſium, duoque aſſes in parata pecunia: & reliquum duodecim florenorum aur. annuatim ſuperfluorum diſtribuetur pauperibus in *Zuychem* pro calceis aut aliis neceſſariis juxta Curatorum judicium.

Witte-brood.

Undecimo. Et ad præcavendum, ne per malam aut dilatam Hoſpitalis noſtri proventuum ſolutionem, fundatio noſtra & diſtributio ſenioribus viris & feminis, Ludimagiſtro & Clericis facienda, ſicut & cætera in hoc memorata, prolongentur aut retardentur, intentionis ſumus præter teſtamentum noſtrum in ſubſidium præd. fundationis legatare ſeptingentos quadraginta octo Caroli florenos ſemel; ut per hoc medium expectandi detur, donec reditus præd. perſolvantur prædictoque Hoſpitali integro anno provideatur: quam ſummam poſt mortem noſtram dari & numerari mandabimus præd. teſtamenti noſtri executoribus aut aliis quibus injunxerimus.

Duodecimo. Fundatio hæc noſtra & ordinatio incepit & inchoavit feria ſecunda Pentecoſtes Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio, quo tempore Paſtor in *Zuychem* in Parochiali Eccleſia *Zuychemenſi* ſacrum præd. anniverſarii noſtri de Spiritu S. celebravit, illudque ab ante Communitati publicavit, ubi tunc præſentes erant omnes in hac fundatione aut ordinatione noſtra ſupra memorati ad unanimiter. orandum pro ſalva & longæva vita noſtra: verum poſt mortem noſtram ſacrum hoc fiet *Requiem*, dieque defunctionis noſtræ celebrabitur.

Decimotertio. In veritatis notitiam, majoremque omnium præd. ſecuritatem nos *Viglius* ſupra memorati præſentibus hiſce litteris aut inſtrumento publico propria manu noſtra ſubſcripſimus, a Notario publico rogantes ſubſignari, iiſque appendi ſigillum noſtrum conſuetum. Actum Bruxellis in Comitatu Brabantiæ, & Archiepiſcopatu Mechlinienſi Anno Domini noſtri milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Stylo novo, Indictione quarta, die vigeſima menſis Martii, Pontificatus S.Smi. Patris noſtri in Domino Deo *Gregorii* XIII. iſtius nominis Papæ Rom. an. IV. Præſentibus quoque Reverendis, Nobilibus & Proſpectiſſimis Dom. & Magiſtris *Joanne Fonck* S.Stæ. Virginis M. Præpoſito, atque Archidiacono Ultrajectino. *Nicolao Micault*, Equite & Domino ab Indevelde, Clementiſſimi Domini noſtri Regis Hiſpaniæ in Secreto ejus conſilio Conſiliario, & *Joanne Dunhoudere* etiam Equite, Conſiliario, præd. Regiæ Majeſtatis Finantiarum Commiſſario, ut fide dignis teſtibus ad hoc a nobis vocatis & requiſitis.

Infra videbatur loco primario.

Ego JOANNES GODSENS &c.

In membrana vitulina cum expendente ſigillo in rubra cera; piæ memoriæ Viglius, *longâ ligaturâ ex flavo & cæruleo holoſerico contexta.*

VIGLII

VIGLII AB AYTTA ZUICHEMI

COMMENTARIUS

Rerum Actarum ſuper impoſitione decimi denarii.

PRÆFATIO
AD
COMMENTARIUM.

HIc Commentarius ſubjungitur *Vitæ Viglii* in eodem codice, è quo hanc vulgamus. Eſt mutilus fine. Haud multa deeſſe, patebit legenti. Neque hic eſt autographus, ſed Viglio dictante, ab eodem exceptus librario, qui *Vitam* exaravit. Titulus adſcriptus eſt aliena manu recentiore, nec præfert nomen Viglii, quod addidimus confidenter. Jure additum nemo ullus inficiabitur, quamvis non reperiatur in *Inventario* lucubrationum ejus. Qui lectioni ſe dederit, ad ſingula pene verba, Viglium audire ſe profitebitur. Fuit hic Commentarius Adriano Gaudano incognitus, & in nullo, quod ſciam, codice ejus reperitur. Adjecimus numeros ad marginem pro diſtinguendo ſermone, & pro adjiciendis pauculis obſervationibus, ad dignoſcendos in primis homines de quibus ſermo. Et hoc totum eſt quod præſtitimus.

PRÆFATIO AD COMMENTARIUM.

Advertet autem lector, hunc *Commentarium*, quemadmodum de *vita* monuimus, tumultuario quoque ſermone dictatum, & a Viglio non fuiſſe relectum, aut expolitum, quod ætati cenſemus tribuendum. Porro claudicantem hinc inde ſermonem repurgare, nobis non ſumpſimus, quamvis oratio multa ſæpe caſtigatione indigeat, veluti N. xxxvii.

VIGLII AB AYTTA ZUICHEMI,

Commentarius rerum actarum tempore Ducis Albani, super nova impositione seu vectigali Decimi Denarii rerum venditarum.

I. ILluſtrmus D. Ferdinandus Alvarus de Toleto Dux Alvæ, Regiæ Majeſtatis locumtenens, & Gubernator inferioris Germaniæ, anno 1569. menſe Martio, ſtylo communi poſt propulſatum præcedenti anno 1568. Comitem Ludovicum à Naſſou ex Friſia, & principem Auriacenſem ejus fratrem ex Brabantia, evocatis Bruxellam antiquis (1) ordinariisque Statibus Belgiæ, expoſitisque neceſſitatibus publicis, duo ab eis petiit: unum ſcilicet, ut *Centeſimum* quisque omnium immobilium ac mobilium ſuorum Regi ſemel penderet; alterum ut *Decimum Denarium* rerum omnium mobilium quæ venderentur, *Viceſimum* verò immobilium, idque ſine præfinitione temporis, quamdiu neceſſitates publicæ id requirerent, aut alia ſubſidii ratio inveniretur, Majeſtati ſuæ præſtare conſentirent.

II. Præhabitâ autem deſuper ſæpe cum præcipuis de Conſilio Statûs ſecreto, ac Financiarum, deliberatione, expoſitum ei fuit, initio regiminis Majeſtatis ſuæ anno 1556., quantùm ad *Centeſimam* pertineret, tentatum poſtulatumque idem fuiſſe, verùm recuſantibus tum Statibus effectum eam petitionem non fuiſſe ſortitam, ac certæ ſummæ redemptione Majeſtatem ſuam fuiſſe contentam: abhorruiſſe enim omnes profeſſionem declarationemque ſuarum facultatum facere, præſertim quantùm ad mobilia pertinet, ubi nemo lubenter quid in arca haberet, patefaceret; reliquaque quæ poſſidet in omnium noticiam pervenire ſineret. Ideoque, videri, ſi Excellcia. ſua ex *Centeſima* petitione aſſenſum Statuum impetrare vellet, huic difficultati ante omnia occurri debere.

Cui consilio tunc acquievit, atque unà cum propositione scriptum a Thesaurario, Financiariisque ejus jussu in eam rem conceptum Statibus exhibuit, quo declaravit sine magno gravamine *Centesimam* posse colligi.

III. Magnâ autem diligentiâ ministrorum persuasum eisdem Statibus fuit (exceptis Trajectensibus, qui se antiquis Statibus annumerari recusavêre) ut in *Centesimam*, sub restrictionibus in prædicto scripto comprehensis, condescenderent. Quamquam ubi ad executionem ventum fuit, plerique conquesti fuere, non fideliter fuisse observatas conditiones. E contrario Dux multas fraudes in ejus collectione interveniisse prætendit. Quibus permotus, postea instituit taxæ repetitionem, quam *Rebuscam* (1) Hispani vocant. Verùm si Status præsciviissent eo modò rigoreve procedendum fuisse, ad consentiendum se induci minimè passuri fuissent, præstitique consensûs non semel eos pœnituit. Et verendum quoque, ne in futurum, si idem petatur, ita facile ab illis impetrari poterit.

IV. Verùm ipse Dux se non parum effeciisse existimavit, quòd hac viâ immobilium bonorum omnium valor detectus fuerit; mobilium verò exactiorem perquisitionem lubenter Excellentia sua itidem instituisset; sed allegabatur, obstare tenor impressæ ac evulgatæ Instructionis, quam tamen Excellentia sua intentioni suæ non satis respondisse contendebat. Fertur autem hæc *Centesima* vix ascendisse ad quadragesies centena millia, id est, quatuor milliones, tametsi multo ampliorisfummæ spes concepta fuerat.

V. Alterum autem petitionis caput, quo mobilium omnium, quæ vendentur, a venditore *Decimum Denarium* præstari postulabatur, quod *Alcanales* (1) Hispani vocant, ab ipso initio inextricabiles habiturum difficultates Consiliarii omnes prædixêre, cùm propter novitatem ac rei magnitudinem, tum propter colligendi pene impossibilitatem, & quod magnis fraudibus venditorum, sumptibusque collectorum ac quæstorum, expositum erit, preciaque omnium rerum inde mirabiliter excrescere necesse fuerit, cùm vicini exteriique suas etiam merces carius vendere volent, quorum non desunt querimoniæ. Et quidam vicini Confœderati, contra pactum id fore, forsitan allegabunt, sub consuetis vectigaliis

ſiis teloneisque in regionibus noſtris negotiari ſe poſſe prætendentes.

VI. Contra vero Dux hunc contributionis modum juſtiſſimum eſſe contendit, cum venditor *Decimum Denarium* Principi exolvens, novem denarios pro ſe retineat, & una Provincia hac ratione non plus aliâ gravabitur, Statusque ac civitates æris alieni contrahendi neceſſitate liberabuntur, cùm promptè illud a venditoribus exigetur, nec opus fuerit redditiuum venditione, aut Financiarum damnoſo contractu, ſeſe poſthac obligare; poteruntque interea, dum ex *Decimo Denario* ſatis colligetur quod neceſſitatibus publicis ſufficiet, alia media, videlicet (1) *Hertelling*, *Tranſporta*, *Verpondingben* & *Aſſietes Capitales* (uti in ſingulis Provinciis conficere pecuniam hactenus conſuetum fuit) * in redemptione redditiuum, quibus plus ſatis gravantur, convertere; Regem verò ſine ſufficienti contributione non habere quod militibus ſolvat, nec quo Provinciam defendat. Cæſarem quoque Carolum glorioſæ memoriæ, ſæpe ei queſtum de Statuum hujus Provinciæ difficultate. Amitti quippe iſthoc pacto autoritatem, dum Princeps a ſubditis ſuis auxilia redimere, & ad conceſſionem exhorbitantium Privilegiorum condeſcendere ſubinde cogitur, ſi aliquid impetrare velit. Ad hæc ſumptibus nunc majoribus opus eſſe, propter novorum fortallitiorum, quibus opus erit, extructionem, & patrimonium ſive domanium Principis conſumptum. Quam-ob-rem opus eſſe contributione aliqua durabili, ne cogatur Rex ſemper ſeu ſæpius ad Statuum auxilia recurrere. Hoc etiam medio ſublevari ajebat ruſticam plebem, nec multùm gravari eccleſiaſticos & nobiles, ac ad mercatores, opificesque potiſſimum *Decimi Denarii* exactionem pertinere; polliceturque ſe abolituram impoſitiones multò graviores ſuper quatuor ſpeciebus, ſcilicet frumentis, carnibus, vino & cereviſiâ. Ad quæ, etſi multis modis a Conſiliariis reſponſum fuerit, ipſe tamen Dux repetitis vicibus in Conſilio hoc medium ſibi convenientiſſimum videri, idque in Hiſpania ac plerisque aliis in regionibus uſitari, ſine aliqua populorum querimonia, aſſeruit. Jus autem hoc nonnullos ibi redimere conſueviſſe, ac redemptionis precium deinde rurſus civitates ſuper illarum ſpecierum venditionibus, quæ minus graves populo reperiuntur,

* *Legendum*: in redemptionem *V. Borrium lib. 5. pag. 204. prim. edit.*

riuntur, recuperare. Cumque hoc sibi jus competat in oppido suo Albensi, se supra quadraginta seu quinquaginta ducatorum millia inde quotannis percipere.

VII. Ad quæ respondebatur, considerandam esse regionis uniuscujusque conditionem, proprietatem & naturam. Nam Hispaniam non tam consistere ex commerciis aut manufacturis, quàm ex bonitate agri, magnitudineque territorii ejusdem. Nostram autem regionem longè angustioribus terminis contineri, ac præcipuè eam ex commerciis manufacturisque sustineri, Hispanosque non habere vicinos nisi maria & montes, cùm nostra Regio undique cincta sit vicinis, qui commercia ac manufacturas ad se adtracturi sint, si gravamina aliqua ipsis hîc imposita fuerint. Ideoque prudenter Philippum Ducem Burgundiæ, authorem prosperitatis harum Provinciarum, diligentissimam dedisse operam, ut commercia quàm liberrima essent, juraque teloneorum ac vectigalium moderatissima; quæque ad vitam sustinendam pertinent, quoad fieri posset, vili precio compararentur. Id quod facile apparere potest ex tractatibus intercursuum commerciorumque cum Anglis ac nonnullis aliis vicinis initis, privilegiisque exteris mercatoribus concessis, quibus ad frequentandas has regiones invitabantur, cùm hæc nova gravamina impositionum & exteros absterritura fuerint, & intraneos quoque aliò commigrare compellent. Quod verò de novis fortallitiis extruendis proponitur, dixerunt, sumptus esse faciendos pro modo facultatum, & non tantùm opus esse nova fortallitia construere, quantùm vetera in confinibus sita diligenter conservare ac tueri: ideoque consultum videri non temerè debere nova fortallitia extrui, nisi quatenus sumptus supperetet, non tantùm ad ea construenda, sed ubi constructa fuerint, interretenda.

VIII. Quod verò de durabili auxilio dicitur; respondebatur, in hac Provincia solere subsidia publica præstari postularique secundùm exigentiam & necessitatem temporum, facultatemque subditorum, neque tantum emungi debere a subditis tempore pacis, ut belli necessitatibus ingruentibus non amplius sit quod contribuant.

IX. Quod autem de rustica plebe sublevanda agebat, replicatum ei fuit, non tantùm eam debere sublevari, ut omne

onus

onus in mercatores incolasque civitatum rejiciatur; neque ita cooperiendum altare S. Pauli, ut S. Petri discooperiatur.

X. Quod vero tantum proventum Excellentia sua ex unius oppidi Albani *Alcanales* se percipere asserebat, id, uti mirum Consiliariis videbatur, ita illi non poterant non congratulari.

XI. Cùm autem contradicendo reluctandoque nihil se Consilium proficere videret, & jam antea, cùm hanc Provinciam primùm ingrederetur, apud Theonis-villam hoc in animo se concepisse Barlaymontio ac Noircarmio satis declarasset; eatenus illi tandem obsequendum censuit, ut Statibus hoc proponi posset, quos multò exactius difficultates super ejusmodi contributione allegaturos ajebat.

XII. Itaque decrevit Excellitia sua Status quamprimùm Bruxellam convocari, eaque, quæ ab eadem dudum concepta fuere, ipsis proponi; præfinitâque die quâ responsum referre jussi erant, ad postulationem *Centesimi Denarii* non magnas attulêre difficultates: sed *Decimi Denarii* rerum vendibilium præstationem omnes pene deprecati sunt: quod nimium inde gravamen toti Reipublicæ imminere animadverterent.

XIII. Dux autem contra, responso eorumdem non contentus, omnes remisit, gratiusque responsum illos adferre jussit, quod nullis conditionibus, limitationibus, aut moderationibus adstrictum esset, sed absolutum consensum contineret.

XIV. Cùm vero deputati domum rediissent, quò exactius ea res perpendebatur, eò plus * difficultates subsistebantur. Unde Excellitia sua ad Gubernatores, aliosque nonnullos, scripsit injunxitque, ut ipsi Statibus regionum, quibus præerant, & apud eos authoritate & gratiâ aliquâ pollerent, effectum petitionis suæ persuaderent: pollicitus se eam moderationem adhibiturum, quæ omne penitus gravamen tolleret, cùm id in manu sua futurum sit, ut si quid damni commerciis ex hujusmodi præstatione inferretur, rursus eam aboleat; commilitatus etiam quibusdam, si consentire nolint, se autoritate Regiâ ac supremâ usurum, omninoque Regiam Majestatem velle, ut postulatis consentiant, subinde objiciens ipsis officium per eos in præteritis turbis tumultibusque

* *lege*: plures.

que non ſatis præſtitum fuiſſe, eamque culpam *Decimo Denario* illis redimendam eſſe. Apud alios autem Status, ut Hannonios, Arteſienſes, ac Namurcenſes, quibus tale aliquid objici non poterat, per Berlaymontium ac Noircarmium blandius egit, promiſitque litteris ad hoc ad dictum Noircarmium ſcriptis, ne ſe difficiles in conſentiendo præberent; neque enim tam ſe prætendere executionem *Decimi Denarii*, quàm obſervantiam, obedientiamque ob reputationem Regiæ Majeſtatis eum requirere.

XV. Quidam enim alii terrore inducti ſunt Hiſpanicarum cohortium, quas, niſi conſentirent, apud eos in præſidiis collocaturus eſſet. Jamque ad Lovanienſem urbem legionem unam miſerat, à qua, multorum deprecatione, qui integritatem ejus teſtabantur, ac in ſummum detrimentum Univerſitatis ac Academiæ illius id vergere declararunt, vix revocati fuere.

XVI. Hiſce atque aliis modis ad talem-qualem conſenſum adducti fuere. Et cùm nullas ſe conditiones admiſſurum expreſſè declaraſſet, ac, ſi quas haberent rationes, difficultatesque, ut per ſupplicationes eas exponerent, cuncti Status ſententiam ſuam ad poſtulata ſigillatim declarantes, unâ ſcriptis exhibuêre cauſas, quibus contendebant, *Decimi Denarii* exactionem ad totius commercii & negotiationis everſionem, ruinamque Patriæ redundaturam. Ac cùm conditionis nomen ferre noluiſſet, eundem tamen fere effectum aliis verbis circumloquendo in conſenſûs præſtatione indicavêre. Conſentire videlicet ſe (quando ita Regem expreſſè requirere ajebat) ſub promiſſione tamen ipſis factâ, firmâque ſpe ac fiduciâ, ita rem ipſam eum moderaturum eſſe, ne quid omnino detrimenti Reſpublica circa commercia negotiationem, ac manufacturas acciperet; ſolis Trajectenſibus exceptis, qui certam ac ſatis magnam (1) pecuniæ ſummam offerentes, in *Centeſimum*, *Vigeſimum* aut *Decimum* conſentire plane recuſarunt. Cumque quidam difficultatem ex eo moverent, reſponſum fuit, eos inter ordinarios Status non magis quàm Friſios, Geldros atque Tranſiſulanos eſſe cenſendos.

V. Stradam lib. 7. ad fin. anni 1569.

XVII. Soli igitur reſtare videbantur Brabantini, ut negotium hoc abſolveretur. Qui cùm ex tribus Ordinibus conſiſtant,

ſiſtant, Prælatorum, Nobilium & quatuor capitalium Civitatum, quarum prima, videlicet Lovanienſis, quatuor habet membra, cætera vero tria, diligenter expendendum videbatur, an ſingula cum conſenſu Prælatorum, Nobiliumque concordarent, purusque ac ſimplex conſenſus ex ipſis elici poſſet, &, an nonnulla conſenſui addant, quæ conditiones, quas Dux admittendas non duxit, implicent.

XVIII. Deinde quoque examinandum eſſe, an quorumdam Membrorum, uti quarti Lovanienſis & tertii Bruxellenſis expreſſa diſſenſio, impedimentum aliquod generali acceptationi eſſet præbitura. Circa primum autem ſcrupulum Dux ſicco pede tranſiit, & per moderationes remedium ſe adhibiturum dixit, facileque ſatisfacturum iis quæ per ſupplicationes petita erant. Die deinde 6. Auguſti 1569. convocato Conſilio, ut Dux reſolutionem ſumeret ſuper altera difficultate mota, ob diſſenſionem quorumdam Membrorum tertii Status Brabantiæ, rogatus ſententiam Cancellarius*, multa repetens de opinionibus Statuum ſingulorum, tandem in hoc concluſit, quod licet Prælati, Nobilesque conditionem conſenſui ſuo appoſuiſſent: *quatenus tertii Ordinis, hoc eſt civitatum aſſenſus accederet*, ipſos tamen Prælatos, Nobilesque poſtea eam conditionem remiſiſſe: uſuque receptum eſſe, etiamſi ex tertio Statu quædam Membra diſſentirent, authoritate tamen Principis ea comprehendi, aut diſſimulari, tacerique, nec eorum diſſenſûs rationem haberi, uti ex actis præteritorum ſubſidiorum oſtendere poſſet.

* *Joannes de Scbyfve.*

XIX. Quæ ſententia, cùm Duci imprimis placuiſſet, in eam omnino Excellcia ſua propendit, leviterque aliorum opinionibus rogatis, cùm neminem formaliter contradicere audiret, ipſe in eandem condeſcendit concluſitque: Præſide tamen requirente, ut Cancellarius actus allegatos oſtenderet, cùm ex diverſitate caſuum concluſio ſæpe alteretur. Nam etſi major pars ſententiarum minori parti, cæteris paribus, prævaleat, & vix fieri poſſit, ut in unum omnes conveniant, fierique ſæpe contingat, ut inter Prælatos, Nobilesque ſint, qui ab aliis diſſentiant, & tamen major pars attenditur, ſic cùm tredecim ſint Membra quatuor capitalium civitatum Brabantiæ, licet unum aut alterum eorum ab cæteris diſcordet (de quorum tamen particulari

intereſſe non agitur) non multum id refert, pluralitasque ceterorum merito prævalere debet, ſive comprehendendo ea ex Principis autoritate, ſive ipſo jure tacendo. At ubi plurium opinio ad gravamen minoris partis vergit, ut putà, ſi duo Membra laïcorum, Nobilium videlicet & Civitatum, in humeros Eccleſiaſticorum contributionem rejicerent, non foret æquum eos vel ſolos vel plus ceteris gravari. Attendendum itaque erit in præſenti caſu, an intereſſe tale ac tantum videatur Membrorum Brabantiæ diſſentientium, ut impedire generalem conſenſum debeat. Primâ quidem facie non caret ſcrupulo: quòd ea ſint Membra civitatum ad quæ gravamen *Decimi Denarii* præcipuè redundat. Nam ut ſupra ab Duce allegatum fuit, non tam ad ruſticam plebem, Nobiles ac Prælatos, eosque cives, qui non ex mercatu neque opificiis victitant, quàm ad mercatores, communesque opifices, operumque manualium factores. Quorum tamen ratio habenda erit, niſi ſoli plus juſto graventur, diſſenſioque eorum ſeditionem aliquam moveat. Sed Dux, eo non attento, Cancellarii opinionem ſine ullâ diſtinctione differentiaque amplexus, ſecutusque fuit.

XX. Die deinde decimâ-tertiâ menſis Auguſti, cùm Status Brabantiæ conſenſum ſuum in ſcriptis redegiſſent, poſtea ipſe Dux ultimâ Auguſti litteras acceptationis, tam *Centeſimi*, *Vigeſimique*, quàm *Decimi Denarii*, expediri juſſit, mandavitque quibusdam ex Financiis, aliisque, quos ad hoc idoneos judicavit: primùm quidem, ut ſuper collectione *Centeſimi* conciperent regulam ac formam quâ in ejus executione procedendum eſſet. Quæ quidem decimâ-nonâ Septembris prælo commiſſa, ad omnium noticiam publicata fuit, atque ſecundâ Octobris ſequenti, Inſtructio quoque ad collectores transmiſſa extitit. Quod autem ad *Decimum Denarium* pertinebat, res majorem difficultatem habebat.

XXI. Et quoniam pollicitus fuerat, ſic totam rem ſe moderaturum, ut omne damnum averteretur, reſponſumque, ac apoſtillas requirerent nonnulli ad ſupplicationes exhibitas; alii quoque promiſſum ſibi dicerent, executioni non mandaturum, licet quò obedientiam præſtarent, refragari ejus poſtulationi noluerint, & exactionem ejuſce *Decimi Denarii* difficilis eſſe executionis conſpicerent, cùm ii qui Ærario ac Finan-

Financiis regiis præsunt, (ad quorum id propriè curam spectare videbatur) ceterique Consiliarii in re nova atque insolita non satis modum ejus invenirent, metueretque forsitan ne (ut postea expertus est) hujusmodi consensum in dubium aliqui ex Statibus revocarent: ultro proposuit mense Octobri sequenti, suggerente (ut ferebatur) Secretario Courtewillio *, se duobus millionibus singulis annis præstandis, loco *Decimi Denarii*, in septennium contentum fore, ita ut quisque suam quotam juxta antiquam taxam persolveret. Et quoniam ampliorem summam sperarat ex *Decimi Denarii* collectione, quàm in adversos casus loco thesauri reponere desiderarat, petiit ejus loco sub nomine Depositi & thesauri, *alteram Centesimam*, si hostilis aliqua vis justa ingrueret.

XXII. Cùm vero nonnulli Status quotas nimium excessivas esse conquererentur, nec intra præfixam diem, nimis uti plerique conquerebantur, brevem, convenire super hoc poterant, *secundamque Centesimam* abhorrerent, & denuo super eo consensum novum sibi requirendum videret, *Decimoque Denario* excidere timeret, dicti *Decimi Denarii* exactionem in aliud genus contributionis, seu ejus redemptionis, commutandam statuit. Sed a proposito non paulò post resiliit, Namurcensibusque ac Hannonienſibus, qui primi omnium in quotas, Berlaymontii atque Noircarmii persuasione, condescenderant, ad biennium dumtaxat eas acceptandas duxit, licet consentirent in tempus sexennii quotas suas petitas præstare, ac adversus ceteros, qui respondere differebant, mandatum super *Decimi Denarii* collectione edidit. Cujus metu reliqui quoque in suas quotas ad biennium condescenderunt, præter Artheſienses, qui metuentes ne hoc pacto *Decimi Denarii* præstatio perpetua censeretur, vix ad consensum, qualem ceteri Status præstitisse allegantur, adduci potuêre. Promisit autem Dux, quod etsi restrinxerit petitionem quotarum ad biennium, se Regi nihilominus scripturum, supplicaturumque, ut sexennium, uti antea proposuerat, loco biennii concederet.

XXIII. Cùm autem biennium, quo quotæ concessæ erant, ad finem decurreret (non enim durabant amplius quàm ad decimam-tertiam Augusti anno 1571.) ac forte, hoc interjecto vallo, difficultatum superiorum non memores eos fo-

* *Joseph de Courtewille Secretarius privati Consilii ab an. 1559. Eques ordinis militaris de Calatrava, Commendator de Villefranca, Graphiarius ordinis aurei Velleris, obiit 1572.* Suppl. de Butkens p. ** 191.

re ſperaret, cùm interea in civitatibus Magiſtratus renovati fuerant, ſatis animadverſum fuit, Ducem omnino in animo habere *Decimi Denarii* executionem proſequi, ſperans inſignem aliquam remunerationem ſe ab regia Majeſtate, gloriamque apud ſuos Hiſpanos, (quod domanium redditusque regios tantâ acceſſione in hac Provincia auxiſſet) conſequuturum. Et ut faciſius hoc Conſilio perſuaderet, Quotarum contributionem reprobare non deſiit, quòd per eam populus ſciret, quid Principi daretur; quod ut eundem latêret, præſtare cenſebat.

XXIV. Ad hæc per poſtulationem gratiarum, quietantiarumque ex cauſa inundationum, incendiorum, aliorumque damnorum ſubortorum, quæ recuſari difficulter poſſunt, duorum millionum contributionem magnopere diminui. Jam vero & media quibus Quotas ſuas ſinguli invenire neceſſe habent, eſſe intolerabilia, quod in Brabantia evidenter apparuit, eaque non ſufficere: quam-ob-rem tale aliquod remedium quærendum, quo æqualiter omnes ſatisfaciant: innuens *Decimum Denarium*, quem jam Status antea conceſſiſſe contendebat.

XXV. Cùmque quidam memorem ipſum facerent ejus quod Statibus pollicitus erat, ſic regiæ Majeſtati commendaturum ſe ipſorum negotium petitionemque, ut ad ſexennii tempus, omiſſâ *Decimi-Denarii* exactione, Quotis contenta eſſet, querebatur ſe in Hiſpania multas pati calumnias, quòd quæſitum jam ex conſenſu Statuum jus *Decimi-Denarii* proſecutus non fuiſſet: Regique perſuaſum eſſe, hoc expeditiſſimum eſſe medium ſine longa Statuum negotiatione, id quo pro defenſione Reipublicæ opus haberet, conſequeretur.

XXVI. Ut vero ejus faciliori executioni viam præpararet, animadvertit obſtare multas variasque acciſias, ac impoſitiones Statuum, civitatumque, quibus difficulter accumulari poterant novæ hæ *Decimi Denarii* præſtationes. Itaque antea illas abolendas removendasque cenſuit. Proinde in deliberatione poſuit, anne convenire videretur, ut Statibus proponeretur, quò ea onera, quæ populum gravare nimium videbantur, in aliud contributionis genus converterent: veluti quod ſuper domibus, terriſque aliquid imponeretur,

quo

quo redditus divenditi redimentur. Quod cùm non ſatis Status admiſſuros Conſiliarii objicerent, & principio conſtituendum eſſe, quomodo id, ad quod ipſos teneri prætendebat, exolvi poſſet, quò eo cognito deinde videretur, ſi quæ media relinquebantur, unde pro tollendis antiquis impoſitionibus aliquid colligi poſſe ſperaretur: Brabantinis autem Statibus, qui vectigalia nonnulla impoſuerant, quo quotas exſolverent, ea, ut ad *Decimi Denarii* perceptionem faciliorem aditum præpararet, aboleri mandavit, quamquam diſſuadentibus nonnullis, quo ſcilicet eorum exactio eo uſque continuaretur, donec *Decimi Denarii* ſolutio inchoaretur, & progreſſum ſuum haberet, cùm eis ſemel abolitis populus graviter ferret, ea, cum opus eſſet, rurſus renovari.

XXVII. Die deinde 20. Aprilis, præſentibus Dno Friderico, * Berlaymontio, Noircarmio, Præſide Viglio, & Theſaurario Schetzio (1) propoſuit Dux in deliberationem, quomodo deinceps viveretur: quotæne continuarentur, an *Decimus Denarius* executioni mandaretur? Allegatumque fuit, Brabantinos, Hollandos, atque nonnullos alios Status conqueri de exceſſu quotarum. Adverſus autem *Decimum Denarium* obſtare ea, quæ jam antea in principio, cùm conſenſus expeteretur, in contrarium, cùm a Conſiliariis, tum a Statibus ipſis allegata fuere. Ac cùm forte Berlaymontius dixiſſet, quosdam prætendere ſe non conſenſiſſe, alios quidem conſenſiſſe ſed coactos, ad ea verba Dux repente incanduit, dixitque improbè eos facere, qui conſenſum præſtitum in dubium vocarent, objurgatoque Berlaymontio non ſine cholera reſpondit: omnino ſe conſtituiſſe *Decimum Denarium* exequi, quotasque nullo modo ſibi placere, injungens Theſaurario, ut mandata neceſſaria confeſtim expediri curaret.

* *Fil. Ducis Albanæ.*

XXVIII. Die autem 29. Maii in Conſilio, præſentibus Berlaymontio, Præſide Viglio, & Theſaurario Schetzio ſupra-dictis, quæſivit, quidnam ipſe Schetzius ſuper executione *Decimi Denarii* ac *Vigeſimi* concepiſſet. Ille autem adviſum ſuum ex ſcripto recitavit, tendens magis ad generalia media, quibus quotæ ſolverentur, quàm ad executionem *Decimi Denarii*. Præſes deinde Viglius rogatus ſententiam, dixit:

dixit: quoad generalia media opus esse novâ ac longâ tractatione. Quod si autem velit exequi rigorosè *Decimum* & *Vigesimum Denarium*, videat, ne amittat *Centesimam secundam*, quæ non videtur concessa, nisi in casum moderationis, aut quotarum. Et ipse quoque quæsivit ex Dnis. de Financiis aliisque præsentibus, an aliter intelligerent? qui ejusdem se esse sententiæ responderunt, nec inveniri quod fuerit propositum aut accordatum, quod ultra *Decimam* sine moderatione colligendam, debeant dare *Centesimam secundam*. Ad hæc Dux respondit, castigari debere illos qui hoc dicunt. Ad quod Præses Viglius dicebat, semper Consiliariis fuisse liberum dicere sententiam, neque unquam castigationem comminatam illis fuisse, & si ista Excellentiæ suæ esset sententia, melius esse ut domi Consiliarii maneant, & taceant, quo castigationem evitent. Ille mox convertit orationem, se non intelligere de castigatione Consiliariorum Statûs, sed illorum de Financiis, qui eos debebant melius informare, contendens fuisse propositum Statibus, quod, mediante concessione quotæ duorum annorum, posset deinde exequi *Decimum Denarium* sine moderatione: de quo Præses dubitare se dixit, neque unquam propositum, cogitatum, aut accordatum fuisse; ipso mordicus sustinente contrarium, committens Schetzio, ut relegeret, & acta & facta repeteret, revideretque: excusans iterum illud de castigatione; non fuisse illam intentionem, imò ipsum Regi Consiliarios semper commendasse, & Regem quoque de ipsis optimam opinionem habuisse.

XXIX. Die ultimâ Maii iterum ingressus eundem sermonem, quæsivit ex Schetzio quid inveniisset. Is dixit, non inveniri quod aliquid tale, quale Dux prætendebat, Statibus propositum fuisset, sed in forma acceptationis ad Brabantinos, Flandros, & Hollandos missa, mentionem, quidem * factam de *secunda Centesima*, & concessione Quotæ duorum annorum. Præses dixit, non meminisse se quod unquam expressè fuerit concordatum aut dictum, quod debeant dare *Decimum Denarium* sine moderatione, & cum eo alteram *Centesimam*. Quin imò ipsum Ducem promisisse in prima propositione *Decimi Denarii*, gratiam & moderationem, nec decere eum revocare promissum. Quanto minus,

* *Forte legendum*: quamdam.

si

ſi in recompenſam moderationis velit prætendere *Centeſimam ſecundam*: cùm moderationem Brabantini, Hannonienſes, & Namurcenſes tantummodo in ſupplementum & ob diminutionem, quæ ex cauſa moderationis procedit, conceſſerint; Flandri vero conſenſère in *Centeſimam ſecundam* cum quota duorum millionum per generalia media per omnes Status colligendum, & non in caſu *Decimi Denarii*, ſive cum gratia, ſive ſine ea: ſive Quota per particularia media invenienda, niſi pro duobus annis. Quantum autem ad *ſecundam Centeſimam*, non aliter conſenſerunt, quàm juxta priorem illorum conſenſum, id eſt, quotæ generalis & non *Decimæ*. Quin-imo quidam, ut Mechlinienſes, ſe liberatos eſſe crediderunt per dictum conſenſum *ſecundæ Centeſimæ* & Quotæ duorum annorum, ab *Decimo Denario*. Videtur quoque dici poſſe, meræ liberalitatis eſſe conſenſum *Centeſimæ*, cùm aliàs debeat moderationem ex primæva propoſitione. Quod verò propter Quotas biennales Status voluiſſent alteram *Centeſimam* dare, non eſſe ullo pacto veriſimile, cum *Centeſima ſecunda* æquet quotas biennales, valet enim *Centeſima* quatuor milliones, & totidem Quotæ duorum annorum.

XXX. Dux autem, poſtea vocato ſeorſim ad ſe Præſide, dixit, ſe ſatis ejus rationibus acquieſcere, & in eadem eſſe ſententia: ſed nolle hoc ab aliis intelligi, & ob certam cauſam ſe cupere ut diſſimuletur. Quod quorſum tenderet, non ſatis tunc Præſes intelligebat, ſed poſtea viſus eſt ſubodorari, videlicet ut ipſe non contradicendo ejus opinioni, apud alios Dux allegare poſſet, eum ejusdem fuiſſe ſententiæ. Quæ ut melius memoriæ hærerent, mox Præſes annotavit, ſubſecutaque fuere quæ Memoriale actorum 22 Junii hiſc ſubſequens continet.

XXXI. Ante prandium Præſes Viglius ex Juſſu Dni Barlaymontii vocatus fuit ad Cameram Financiarum, ubi præſentibus Theſaurario Schetz, Conſiliario (1) d'Aſſonleville, & (2) Commiſſario à Loo, & (3) Ringaut, nec non ſecretario Courtewillio, & Grapheario Financiarum Sterck, ſuperveniendibusque ibidem Secretariis Berthy *, & Schaffenberger, Dnus Barlaymontius declaravit, quod a prandio Conſilium Dux ad ſe convocare conſtituerat ad reſolvendum ſuper negocio ſubſidii. Et quo melius deſuper deliberari poſſet,

* Jeannin Baptiſte.

poſſet, videbatur eidem convenire, ut antea ea materia examinaretur: fuitque per omnes reſponſum, quod id non poterat melius fieri, quàm ſi intelligerentur & reviderentur Statuum conſenſus, acceptationesque Excelltiæ ſuæ deſuper ſecutæ, & præſertim, ſi exequendo conſenſum *Decimi* & *Vigeſimi Denarii*, ſecundùm quod videbatur ſuæ Excelltiæ eſſe intentio, remaneret integra *ſecunda Centeſima*, quam conſenſerant Status in recompenſam & diminutionem quæ petita fuit ex cauſa moderationis.

XXXII. Verùm cùm conſenſus Statuum ad manum non eſſet, fuit dictum, quod rediretur ad Cameram Financiarum ſub horam tertiam a prandio, ut ad quartam horam irent unà ad Ducem. Veniens autem Præſes in Curiam ſub horam tertiam, ſolus fuit vocatus ad Excelltiam. ſuam. Quæ valde commota illi dixit, quod intellexerat ante prandium in Financiis diſputatum fuiſſe negotium ſubſidiorum, non obſtante quod illi ante aliquot dies juſſerat, quod deberet diſſimulare, & non loqui de *Centeſima*, quodque non conveniebat amplius eam revocare in dubium & diſputationem, potiſſimum in præſentia eorum de Financiis. Quam-ob-rem dicebat, ſe de eo non eſſe contentum, quod non fuerat ſecutus id quod mandarat. Ad quæ Præſes dicebat, quod Dnus. Barlaymontius illum eò advocarat, eamque materiam in deliberatione poſuerat: non autem arbitratum ſe, quod de illa non liceret loqui, præſertim in Financiis, ubi conſuetum erat ejusmodi materias tractare: quodque de ea ibi contuliſſent, ſpectaſſe ad majorem materiæ declarationem, quod ipſe impedire non poterat. Quod autem antea declararat Excelltiæ. ſuæ, ſuper difficultate quam in eo negotio conceperat, fuiſſe, ut ſatisfaceret officio ſuo, & in tempore obviam iretur contradictionibus, quas Status movere poterant ſuæ Excelltiæ., & præſertim ſi bellum aliquod ſuſcitari aliquando contingeret poſt ejus diſceſſum, ne ſucceſſor in gubernatione imputare Conſilio poſſet, quod conſenſus *ſecundæ Centeſimæ* neglectus fuiſſet, unde regiones in periculum aliquod incidere poſſent, cum dicta *Centeſima* unicum erat remedium ad conſervationem earum contra omnium inimicorum invaſiones. Verùm cum Excelltia. ſua non volebat, ut amplius de eo loqueretur, ſed diſſimularet, ipſe ſe excuſatum exoneratumque concebat

ſebat fore, poſtquam tam ſeorſum, quàm in Conſilio dixerat, declararatque ſatis opinionem ſuam.

XXXIII. Neque tum aliud Excelltia. ſua replicavit, & Ducem Arſchotenſem vocari fecit, quo eſſet præſens in reſolutione quam intendebat capere, & declarare ſuper hac materia. Venientes autem Dux Arſchotiæ, * Dnus. de Barlaymont, Præſesque Viglius, & Theſaurarius Schetſius, Ducem adivêre, qui abſentibus aliis propoſuit, ſe ſæpius in Conſilio communicaſſe ſuper eo quod elabente biennio, quo Quotæ expirabant, quas in locum *Decimi* & *Vigeſimi Denarii* ſolvere promiſerant, ad decimum-tertium menſis Auguſti, quod conveniebat communibus Statibus declarare, quid faciendum cenſerent circa præſtationem, ulteriorémque auxiliorum ſubſidiorumque ſolutionem per eos promiſſorum: dicens ſe ſignificaſſe Regiæ Majeſtati, id quod tractatum erat de Quotis, ſed ei nullo modo placuiſſe, ut illæ pro quatuor ſequentibus annis continuarentur. Sibi quoque nullo pacto videri, quod per quotas deinceps procedatur, attento quod per hoc magnus in populo rumor excitetur, cùm ſcilicet ſciat quid donetur: ultra difficultates quæ in collectatione dictarum Quotarum occurrunt, dum de ipſis Status inter ſe diſputant, & quietancias illarum plerique requirunt; unde conſtituerat non amplius fere audire quidquam de Quotis, verum inſiſtere conſenſui per Status facto de *Decimi*, *Vigeſimique Denarii* ſolutione. Et licet collectatio ipſorum non aſcenderet ad unum millionem per annum in loco duorum quos Status antea obtulerant pro redemptione *Decimi & Vigeſimi Denarii*, contentum ſe tamen magis fore eo quod inde procederet, quàm dictis Quotis. Quod autem antea promiſerat Statibus in acceptatione *Decimi & Vigeſimi Denarii*, habiturum ſe reſpectum ad ea quæ ipſi expoſuerant, ſuper conſervatione Commercii & manu-facturarum; dicebat, ſe ad id providiſſe per moderationes, per quas declararat quod *Decimus Denarius* ſemel tantùm ſolveretur, & de operibus ſolummodo quæ ad perfectionem erant adducta. Id quod erat beneficium ita magnum, ut quaſi de novem remittebat decimam.

XXXIV. Super quo rogans ſententiam ipſius Theſaurarii, is dixit, Status valde invitos venturos eſſe ad exolutionem *Decimi Denarii*, & quod ejus difficilis foret collectatio, ar-

* *Philippus de Croy.*

bitratus id circo duos milliones præferendos esse, colligendo tamen eosdem per media generalia, uti duo Status principales, Brabantiæ videlicet & Flandriæ desiderabant, cùm per id populus non intelligeret, quid quæque regio contribueret in Generalitate, cùm alioqui colligendo *Decimum Denarium*, præsumeret subsidium multò duos milliones excedere.

XXXV. Secutus autem Præses, dicebat, jam antea innotuisse, quàm odiosa cuncto populo foret *Decimi Denarii* exactio, vox autem populi, vox Dei: unde sæpe dicerat: *illum velle exigere, non aliud esse, quàm adverso flumine natare*; nec Excellsiam. suam tantopere Quotas abhorrere debere, postquam per centum & amplius annos subsidia eo modo per Principes prædecessores levari solita fuere, nec ejusmodi damnum, quale ipse dicebat, sensissent, dicens recordari se, Regem antea satis approbasse, quod Quotæ loco *Decimi Denarii* darentur. Et quanquam præcenderet, virtute præstiti consensus, *Decimam* exigi posse, Status tamen omnes satis antea declarasse, sibi Quotas magis placere. Quod autem intellexerant, *Decimam* exigere debere sine ulla gratiâ vel cum gratia & moderatione quadam, nihilominus interitum inde Patriæ secuturum, cum aliis rationibus quas ipse Præses sæpe antea exposuerat. Inter quas illa quoque erat, cujus eum meminisse Excellsia. sua prohibuerat, ne *secunda Centesima* amitteretur, quam in eo casu non satis clarè consenserant. Unde dicebat, se non alterius posse esse sententiæ, quàm ejus, cujus erat Thesaurarius. Quod si duos milliones per media generalia obtinere posset, quod illis Regia Majestas merito debebat esse contenta. Et cum duo principales Status, videlicet Brabantiæ & Flandriæ in generalia media condescenderant, sperandum fore, quod alii Status idem sequerentur, præsertim quò evitent difficultates, ut inveniant Quotas suas per media particularia. Et quoniam verendum est, ne ea negotiatio in longum tempus protrahatur, mandari Statibus posset, quod Quotas suas, uti hactenus per biennium fecerant, solvere pergerent, donec & quousque super generalibus mediis concordatum inter ipsos esset: atque ad eum effectum possent revideri media particularia singulorum Statuum, & concipi desuper scriptum aliquod sumendo ex eis illa quæ Generalitati maximè convenient, quæ-

quæque minorem alterationem, nec præjudicium aliquod commerciis ac manufacturæ adferrent. In quam ſententiam Barlaymontius & Dux Arſchotenſis condeſcendêre.

XXXVI. Quibus tamen non attentis, concluſum fuit per Ducem, repetenda prius per ipſum dicta circa Quotas, reſolvitque, omnino Regem conſtituere in poſſeſſione *Decimi, & Vigeſimi Denarii*, cum gratia & moderatione ſupra-dicta, mandans ſecundùm eam reſolutionem expediri proviſiones ad id requiſitas. Narrando, Regi viſum non fuiſſe Quotas continuari: & cùm *Decimam Denarium* tantoperè fuerit moderatus, quod merito de eo contenti eſſe deberent, jubens ut ipſi Conſiliarii diſpiciant, quid pro executione *Decimi, Vigeſimique Denarii* conveniat. Ita actum ac concluſum 22. Junii anno 1571.

XXXVII. Cum itaque Dux ſerio decreviſſet *Decimi Denarii* executionem proſequi, Regemque in ejus poſſeſſionem inducere, cœpit, jubente Duce, Theſaurarius de forma diſpicere. Qui propoſuit eam Formulam, quæ ante biennium concepta fuerat, contra Flandrenſes, Inſulenſes, Artheſios, Hollandos atque Zelandos, quod tum in Quotas biennales conſentire differebant. Et quoniam ea nimis rigoroſa cæteris videbatur, ſuadere ipſos Conſiliarios, ut ſic ſaltem novum & generale Edictum *Decimi Denarii* moderari dignaretur, ne clamores populi eundem abhorrentis reſuſcitarentur, & de *ſecunda Centeſima*, in qua propemodum ſalus Provinciæ noſtræ ſita eſt, in caſum hoſtilis invaſionis dicta Provincia periclitaretur, cum ea non niſi ex cauſâ moderationis petita fuerit, neque in alium caſum admiſſa.

XXXVIII. Cùm autem non ſatis de ſingulis inter Theſaurarium ac alios de Financiis conveniret, & Conſiliarios ſecreti Conſilii Dux adhiberi vetuiſſet, viſum eſt quendam Hiſpanum Rationalem, quem Joannem Dizoza vocant, adjungi, qui unà cum Theſaurario novam Formulam concepit, quæ Duci deinde prælecta fuit, ac prelo data, ultimâ Julii, in Brabantia, Flandria, Artheſia, Hannonia, Hollandia, Zelandia, Namurcenſi Comitatu, Dominio Inſulenſi, Tornaco, Tornaceſio, Mechlinia ac Valencenis publicata fuit. Et mox ad primarios Status civitatesque ſcriptum, ut quoniam gravis populo forſitan *Decimus Denarius* videbitur, propter impoſitiones Vectigalium pro exſolutione Quotarum

adhuc currentium, convenire ſcripſit, ut conſilium inire velint, quo hujusmodi Impoſitiones tollantur, ac in aliud ſubſidium convertantur præſtandum ſuper terris, ne ea quæ venduntur, ultra *Decimum Denarium* graventur.

XXXIX. Publicatione autem factâ, nemo Statuum valde properavit Edictum *Decimi Denarii* exequi, & uno alium expectante, ſine effectu Edictum aliquamdiu permanſit, donec Status, ſub prætextu ad litteras ipſius Ducis reſpondendi, curiam unus poſt alium accederet. Primi autem omnium fuêre Hannonienſes; ac cùm ceteros in itinere eſſe fuiſſet nunciatum, diſtulit Excelltia. ſua reſponſum donec alii fere adveniſſent. Interea cùm ſuper ſcripto Hannonienſium juſſiſſet Dux requiri ſententiam Noircarmii abſentis, decumbentisque ex longo morbo, ac quidam dixiſſent, univerſo quaſi populo refragante difficile fore ad effectum *Decimi Denarii* poſſe perveniri, convenireque in Republica mutari aliquando conſilia ſecundum temporis diſpoſitionem, & præſertim ſi ea communi hominum opinioni repugnent, & non aliud perfici, quàm [illegible]quis contra fluvium natare velit, Dux, præſentibus Berlaymontio, Viglio, Tyſenachio, ac Theſaurario, ſatis iracundè reſpondit, difficultatem, quam Status moverent, ab ipſis-met Conſiliariis proficiſci, quod ab illis publicè dici intelligeret ſibi *Decimi Denarii* exactionem non placere. Quod ſi vero Penſionarii, Deputatique Statuum cognoſcerent, ſerio eos idem probare, fore ut multo promptiores ac propenſiores in idem Status redderentur.

XL. Ad quod Præſes Viglius ceteris tacentibus dixit, unumquemque ſuper eo debere pro ſe reſpondere, neque alterius culpâ alium gravari. Fateri quidem ſe coram Duce ſæpius hanc rem diſputaſſe, & cum Conſiliariis eodem ſacramento obligatis contuliſſe: viſum autem illi melius, dum res eſt integra, difficultates examinari, quàm poſtea, cum pedem referre non ſatis licet, ſententiam mutare. Porro per inſtructionem Conſilii Status licere ſingulis ſententiam ſuam in Conſilio dicere, extra Conſilium autem apud Penſionarios aliosve ex Statibus nihil eorum ſe unquam protuliſſe. Non poſſe tamen Status ab ipſo aliisve Conſiliariis repelli, quin eorum querimonias ac gravamina audiant. Tantum autem abeſſe, ut illa coram ipſis comprobarit, ut Hannonienſibus

ipſum

ipſum convenientibus objecerit, non debere eos de *Decimæ* publicatione conqueri, cùm ipſi in eam conſenſerint. Qui quidem replicavêre, non liberè eum conſenſum fuiſſe præſtitum, ſed dumtaxat ne reputationem Ducis læderent, ipſumve contriſtarent, ac ſub ſpe & promiſſione quod executioni non mandaretur. Quamquam autem tum videbatur Dux poſtulata Hannonienſium ſimpliciter eſſe rejecturus, differendum tamen cenſuit, ut ſupra dictum eſt, donec ceteri quoque Status advenirent, resque ad 25. diem Septembris dilata fuit; ac quæ eo die in Conſilio acta fuere, ex particularis ſcripti relatione, quod hîc ſequitur, cognoſci poterit.

XLI. Status antiquarum Provinciarum Belgiæ noſtræ, publicato Edicto ſuper *Decimi, Vigeſimique Denarii* collectione, mox frequentes ad curiam confluxère deprecatum, ne illum Excellitia ſua exigere, ſed potius Quotis antea ab ipſis oblatis, aut ut nonnulli (qui eas vel inæquales, vel nimium eorum reſpectu exceſſivas eſſe prætendunt) per generalia media duorum millionum annuâ præſtatione contentus eſſe dignaretur: diverſas ad hæc rationes Excellitiæ ſuæ ſcripto exhibentes, affirmantesque, *Decimi Denarii* exactionem ad confuſionem totalem patriæ tendere, neque moderationem illi malo mederi poſſe. Jamque & plurimos mercatores, operumque mechanicorum artifices, vel tabernas concludere, vel aliò migrare, plebeculæque, quæ ab ipſis ali ſolet, nihil amplius ſuppeditari operum, unde victum quærere poſſit, cum aliis multis rationibus ſcriptis per ſingulos Status exhibitis, per quas ruinam patriæ impendêre aſſerebant, ſi ad Edicti executionem procedatur.

XLII. Quibus quidem ſcriptis aut eorum ſummariis 25. Septembris relectis, præſente Duce, Berlaymontio, Viglio & Tyſenachio Præſidibus, ac Schetzio Theſaurario, Dux dixit, omnia ea eſſe impertinentia, nec propterea poſſe ſe ab cœpto deſiſtere. Quam ob rem juſſit, ut poſtridie convenirent, & reſponſum in eam ſententiam conciperent. Aliis autem alia dicentibus ac allegantibus, in hoc omnium ſententiæ convenerunt, damni, periculique plenam ejuſce executionem videri. Cumque idem Præſes Viglius aſſereret, ideoque in re tanti momenti conſultius ei videri, ut præfata executio ad unum aut alterum menſem ſuſpenderetur,

quo Rex interea de difficultatibus obortis, periculisque imminentibus certior fieri posset, ne postea Consilio, quod de eis præmonitus non fuisset, imputaret, ita tamen quod Status medio tempore Quotam suam præstare teneantur, quemadmodum per duos annos prius factum fuerat, ac Regem plenè vitis eorum scriptis informatum posse declarare, an omnibus non obstantibus *Decimi Denarii* exactionem persequendam censebit, Statibusque expressè mandet, & litteris suis hoc præscribat, an vero Quotas aut duorum millionum præstationem per media generalia præferendam duxerit.

XLIII. Ibi mox Dux indignabundus eam sententiam rejecit, dicens, nihil turbæ aut periculi ex eo metuendum esse, neque damnum ullum, sed summam inde patriæ utilitatem proventuram. Quod autem pertinet ad Regem, adhuc novissimè ipsum hoc ad eum scripsisse, jussisseque *Decimum Denarium* exigi. Cùm autem Berlaymontius diceret, se intelligere, quod Status velint deputatos suos ad Regem mittere, si ab Excellitia sua postulata non obtineant, respondit: nullo pacto se hoc permissurum, & Regem de omnibus satis informatum per ipsum esse.

XLIV. Præside autem Viglio dicente, quosdam etiam (ut ex allegatis animadvertere potuit) disputare consensum ac formam executionis, quæ Edicto proposita fuit: hic ille cum Stomacho ab eo quæsivit, an non antea ipse-met illi dixerit, quod Status omnes consenserint. Respondit, se non meminisse, se unquam Excellitiæ suæ dixisse, quod absolutè omnes consenserint, sed quomodo consenserint, fidem facere scripta per eos exhibita, ad quæ se referebat. Et in ordinatione extensiones esse multas, de quibus in consensis postulatione nunquam cogitatum ab Statibus fuerit, ut de permutatione, de tabernarum visitatione, de reddituum comparatione, de evectione bonorum, pro quibus venditores semel solverunt, de executione, non per Regios ministros, sed per cives-met subditosque facienda, quibus id detrectantibus, ac odium concivium suorum declinantibus, executio magnas habitura esset difficultates, in quæ ipsi saltem expressè non consenserant, ideoque se non posse meminisse, quod dixerit Duci, ipsos ita absolutè omnes consensisse.

XLV. Ille vero impatiens, neque ipsum audire præ co-

lera

fera ſuſtinens, incandeſcensque repetiit ſæpius: *Tu dixiſti.* Negavit ille conſtanter, nec meminiſſe unquam ſe quidquam dixiſſe, niſi quod ſcripta Statuum continerent. Imo antea ſæpe in prius habitis Conſiliis difficultatem ſe moviſſe de *Decimo Denario*, & veritum quoque, ne *Centeſimam ſecundam* Rex amitteret, ſi illum urgere Excelltia ſua pergeret; verùm ſibi ab eadem interdictum fuiſſe, ne amplius de eo loqueretur. Et cùm illud pertinuiſſe replicaret ad *Centeſimam*, reſpondit Præſes: unum de alio dependere. Verùm quidem eſſe, quod dixerit, Hannonienſes ſe objeciſſe contra eos arguendo, quod fundatum eſſet Edictum *Decimi Denarii* ſuper eorum conſenſu. Ad quod illi tum reſponderunt, ſe hoc aliqualiter conſenſiſſe, ne Ducem contriſtarent, & ſub ſpe illis facta, quod executioni non mandaretur, non autem, ſe liberè conſeriſum præbuiſſe.

XLVI. Ipſe autem rurſus repetens, dixit: *ipſum Præſidem omnesque ibi præſentes ſibi dixiſſe, Status omnes conſenſiſſe.* Ipſi autem affirmarunt, ſe non plus de conſenſu dixiſſe, quàm ſcripta reſponſaque Statuum continuerint; & adjeciſſe ſe ſemper, ſub ſpe & fiducia hoc Status feciſſe, ut ſcilicet non pateretur damnum aliquod patriæ, negotiationique ac commerciis inferri, redimique eum ſineret aliquâ Quotâ pecuniæ: Excelltiam autem ſuam ex relatione & tenore ſcriptorum per Status exhibitorum ipſam-met percipere potuiſſe, quatenus ipſi conſenſerint, & id magis conſiderandum, quàm quod Conſiliarii de eorum conſenſu forſitan referre potuiſſent. Conqueri etiam Status, pleraque ordinationi adjecta eſſe, de quibus in propoſitione, vel conſentiendo, mentio facta non fuerit. Videri autem illis, in modico tempore, quo Rex conſuleretur, parvum fore præjudicium, cum per Quotas interea aliquid ab Statibus præſtabitur pecuniæ, pro ſolutione militum, aliisque neceſſitatibus. Quotas haud eſſe ita quoque damnoſas, cùm in Hiſpania, Germania, ceterisque Provinciis ipſarum quotidianus ſit uſus, & ab tempore Ducis Philippi, rebus florentiſſimis, eis hæ Provinciæ uſæ ſint, nec de ipſis noſtros queſtos fuiſſe, ſed de inæqualitate exceſſivitateque tantùm earum, uti alias dictum fuit, moderarique ipſas idcirco petentes.

XLVII. Reſpondit Dux: *jam antea declaraſſe ſe nolle amplius*

plius de Quotis audire, mirarique Præſidem tam parvum reſpectum ad ejus autoritatem habere, nec credere quod aſſeveret, Regem ei mandaſſe, neque acquieſcere ejus reſolutioni & ſententiæ, atque non poſſe ſe id Regem celare, apud quem hactenus pro illo bonum officium fecerit, & de ipſo ſuisque bene meritus fuerit. Reſpondit Præſes: ſe ſemper eum reſpexiſſe, reverenterque coluiſſe, & conatum diligenter ſervitiis, obſequiisque ſuis ipſius gratiam promereri: Verùm ex juramento teneri in Conſilio ea dicere, quæ conſcientiæ ſuæ, ſervitioque Regis convenire ſibi videntur. Ita eum præſente Imperatore, Reginâ, Rege, & aliis Gubernatoribus feciſſe, neque illos id ægrè tuliſſe: *nec nunc eſſe, quod cano capiti timeat, ſperareque Regem alteram ipſi aurem quoque præſtiturum.*

XLVIII. Ad ea Dux dixit: *Si eum non reſpexerit, ſcire ſe remedium. Suum eſſe reſolvere. Aliorum, qui in Conſilio ſunt, reſolutioni ſuæ acquieſcere.* Jubens idcirco, ut poſtridie cum reliquis conveniat, & reſponſum Statibus dandum unà concipiat. Berlaymontius ſubjunxit, Reginam * & Pratenſem aliquando in diverſa fuiſſe ſententia, & Pratenſem dixiſſe, ut Regina ſententiam ſuam ad Imperatorem ſcriberet, ſe itidem facturum: quanto magis recurrendum eſt ad eum, ubi totum Conſilium a Gubernatore diſſentit, in negotio præſertim ita periculoſo, ac ubi totus populus reclamat?

* *Maria Vidua Hungariæ, & Ludovicus a Flandria de quo in notis ad Vitam* N. XLV.

XLIX. Poſtea Excellia ſua nonnihil ſeſe temperans, juſſit ut examinarent articulum manufacturarum & formam executionis: an videatur ſcilicet aliqua moderatio in iis adhibenda pro majore ſatisfactione Statuum, & ut cum Noircarmio quoque deſuper communicarent.

L. Ubi autem dimiſiſſet Conſilium, accedente ad eum Dno Friderico filio ſuo, ac Joanne Varga, aliisque quibusdam ſibi familiaribus, retulit eis quæ in Conſilio acta fuère, & adverſus Præſidem vehementer ſtomachatus fuit, ut videretur contra eum gravius aliquid attentaturus. (1) Quod quidam eorum non tacentes, in publicum mox id evulgarunt, ſic ut palam lippis, tonſoribusque, & puellis Antverpienſibus id innoteſceret. Jamque paſſim in provinciis rumor ferebatur, Præſidem in cuſtodia detineri, ob contentionem quæ illi cum Duce ob *Decimum Denarium* incidiſſet. Quod intelligentes provinciales, gaviſi ſunt, quod talis ejus cauſæ patro-

patronus ipsis obtigisset, amicosque ea fama sollicitos * (ne essent) ne quid durius contra eum decerneretur.

LI. Verùm Dux postea sese repressit, animadvertitque, ex ea re in publicum prolata, obstinatiorem populum ad obsistendum executioni redditum fuisse. Id quod tamen ipsi Præsidi imputari non debuit: qui rem eam prudenter cautèque dissimulavit, neque cuiquam extra Consilium illius contentionis, iratique Ducis significationem ullam dedit, satis intelligens, id præsenti causæ non convenire. Et quamquam ab ipso initio, antequam de *Decimo Denario* propositio fieret, ac postea in omni tractatu super eo, sententiam suam satis declaravit, sibi id genus subsidii non placere; attamen cùm ei quod in Consilio concluditur, juxta ejus ordinationes, etiam ii qui alterius fuere opinionis, acquiescere, & unà quæ decreta sunt executioni mandare debeant, ipse Præses nihil contra officium suum agendum dicendumve putavit, unde Dux justam aliquam reprehensionem fundare posset.

LII. Communicatione autem, uti jussit, habitâ cum Noircarmio die 3 Octobris, præsente Duce, Berlaymontio, Viglio, Tysenacquio, Scetzio, † Damhouderio, ac Ringout (nam ex secreto Consilio alios adhiberi noluit) lectum fuit Advisum Noircarmii super moderatione nova *Decimi Denarii*, ut evitarentur multa inconvenientia, quæ aliàs eventura timebantur, videlicet eo tendens, ut manufacturæ essent etiam liberæ; quod extensiones, ampliationesque tollerentur contrariæ propositioni & consensui; ut de permutatione, tabernarum exacta visitatione, redditibus &c.: quod in bladis ‡ limitaretur summa; deinde de sale affinato, ‡ de iis quæ pertinent ad esquipagium navium, piscationem &c.

LIII. Ad quæ Dux dixit, eum bene allegare inconvenientia, non remedia. Affirmavit rursus, se nolle ab executione *Decimi Denarii* desistere, in aliquibus contentum esse afferre moderationem, modo Status in alio recompensent. Duoque ac tria proposuit, quæ Scheetzio concipienda commisit. Opiniones autem non quæsivit, ac qui aderant, parum locuti sunt, neque contradicere quisquam fuit ausus, hanc tam absolutam ejus resolutionem intelligens; nisi quod Berlaymontius dixit aliquoties, quod experientiâ videbitur dam-

* *Vel*: fecit. *Id enim sine dubio deest.*

† *Josse Damhouder Conseiller & Commis des Finances.* 1551. Suppl. de Butkens p. 201.

‡ *Bladum.* Gallicé *Blé*, sumitur pro quovis tritico, etsi differat a frumento, sive tritico puriori; quod *Blé froment* vulgò dicunt. *Gloss. Du Cange.*

‡ *Sal affinatum.* id est coctum, purgatum. Idem dicitur de saccharo.

damnum, quodque collectores parum erunt voluntarii. Dixit Dux, non detinendos hîc Status, ſub ſpe enim obtinendi quod poſtulavêre, interea non procedi ad executionem, cum magno Regiæ Majeſtatis intereſſe. Et ſi noſtri nolint operam ſuam in collectione præſtare, ſe id Italis ac Hiſpanis commiſſurum. Incidit etiam ſermo de aliis Statibus, Gelriæ, Friſiæ, Tranſiſulaniæ, cæterisq. quorum conſenſus de certa ſumma præſtanda, loco *Centeſimi*, *Decimique Denarii*, jam acceptatus fuerat: qui non videbantur duplici onere gravandi; an ipſi habendi eſſent pro exteris? & reſpondit Dux, quod ſic, videlicet teneri omnes ſubditos aut non ſubditos, quos iſta *Decimi Denarii* ordinatio non comprehendit, non obſtante quod Geldri (1) & Friſii & ceteri redemerint certâ ſummâ.

LIV. Deinde 10. die Octobris, quo Dux rurſus Conſilium convocarat, ut de reſponſo ſuper Statuum ſupplicationibus dando reſolveret, viſum Conſilio fuit, quò aut Ducem ad æquiorem ſententiam flecterent, aut ſaltem officii per eos facti memoria extaret, adviſum ſuum in ſcriptis ei prælegere, conforme ſententiæ, quam * ſuperioribus diebus Præſes Viglius expoſuerat, eò tendens, ut conſideratis omnibus per Status & Conſilium allegatis, dignaretur ad tempus *Decimi Denarii* executionem ſuſpendere, ac interea Regem de rerum ſtatu informare, Majeſtatisque ſuæ beneplacitum expectare. Sed ad hoc reſpondit Dux (ut antea) Regem de omnibus ſufficienter informatum eſſe, nec in ſua poteſtate eſſe, concluſionem ejus mutare. Quare juſſit, ut Conſilium diceret, quid ſibi videretur de moderatione. Reſpondêre fere omnes, id ſibi non liquêre, propter rerum, merciumque varietatem. Quæſivit: anne ipſis videretur, quod in quibusdam ſpeciebus, ut in conceſſione paſportorum fieri ſolet, contentus eſſe poſſet de quatuor pro centum, vel de dimidia *Decimæ*. Ad quod nemo cathegoricè reſpondit. Et Præſes Viglius dixit, id melius a Statibus intelligi, cum quibus hoc communicari conveniret, prout in ſcripto propoſitioni adjuncto continebatur. Reſpondit Dux, tandem poſſe utramque opinionem jungi, ut fieret aliqua moderatio, & juberet Statuum Deputatos ſuper moderatione communicare ſimul-

* *in MS. eſt*: quod.

ſimulque diſpicere de ratione compenſandi Regiam Majeſtatem, quod ex moderatione ipſi decedit: quod tamen, quantum ad Deputatos Statuum pertinet, poſtea revocavit.

LV. Deinde (*ad*) alterum ſcriptum quoad Hannonienſium aliorumque Statuum ſupplicationem, non ſecundùm Conſilii ſententiam, ſed juxta ejus intentionem reſponſum conceptum erat (*quod*) prælectum fuit, idque ei ſatis placuit. Juſſitque cum eo reſponſo, mutatis mutandis, Status expediri & dimitti.

LVI. Quoniam autem perſuaſum habuit, plurimùm Status pendêre ex Noircarmii ſententia, ac eum, ſi a propoſito dimoveri poſſit, facilè ceteros ſecuturos, primùm minis, deinde blandiciis per filium Fridericum, Doctorem Delrio, ac Albernotium * ejus animum tentavit: ſed tamen parum eos apud illum profeciſſe, priorique ſententiæ eum inhæſiſſe, intellectum fuit, ruinam patriæ allegantem: ac id-circo ſe conſulere, ut ab incœpto deſiſteret, Quotisque per Status oblatis contentus eſſe vellet. Se tamen, ut miniſtrum Regis, & juxta officii ſui debitum, ea quæ Excelltia. ſua mandarat, quoad executionem promotionemque *Decimi Denarii*, diligenter fideliterque, facturum. Ipſe autem Noircarmius ob adverſam valetudinem ſalutatorum, ſollicitantiumque moleſtiam diffugere cupiens, abiit in Hannoniam.

* *Is erat Secretarius Ducis. Hiſpanus.*

LVII. Dux vero populum aliqua ulteriore moderatione delinire volens, ſecundum Edictum edidit ſuper dicta moderatione *Decimi Denarii*. Ac paulò poſt, cùm precia frumentorum quotidie creſcere intelligeret, ne inde clamor pauperum, populique contra *Decimum Denarium* augeretur, ſuſpendit ejus exactionem in annum proximum, & ſpem melioris annonæ proventûs. Eodem quoque tempore ad civitates ſcribi juſſit, ut de collectoribus confeſtim provideant, executionemque promoveant. Verùm dum multæ tergiverſationes, excuſationesque nominatorum ad officium collectionis paſſim proponerentur, ſcribi ad Gubernatores, Provincialiaque Conſilia mandavit, ut & ipſi aſſiſtant.

LVIII. Et quoniam Deputatos Statuum reverſos, ut reſponſum ceteris, a quibus miſſi in curiam fuerant, communicare intellexit, præſertim in Flandria, ac Hannonia, Hollandiaque, litteris ad Præſidem ſcriptis, inhibendum hoc

censuit, petentibusque Hannoniis ac Artheſiis, ut Status ipſius Ducis auctoritate (ut mos eſt) convenire ad audiendum reſponſum Deputati eorum ſupplicaſſent, ac ſuper quibusdam in reſponſo Ducis contentis neceſſarium eſſe eorum conventum, flecti eò ſe non eſt paſſus, ſed omnibus mandavit, ut prius obedirent in executione *Decimi Denarii*, eique ſi parêrent, ſe faciles ipſum præbiturum aures. Rediitque ſub initium menſis Decembris Statuum Hollandiæ, Flandriæ, Inſulenſis, ac Zelandiæ (*Deputati*) rurſus deprecatum, ut *Decimum Denarium* remitteret; verùm nihil aliud obtinere potuerunt, quàm ut mandata exoquerentur, ac deinde, ſi quæ haberent gravamina, proponerent. Duo autem potiſſimùm ſupplicationibus ſuis expoſuêre: & quod non eum præbuere conſenſum, ut *Decimi Denarii* exactionem deſuper fundare poſſet; & quod ejus exactio patriæ interitum ſecum adferret. Verùm Dux iniquiſſimè tulit, conſenſum eos in dubium revocare, in maximam Regis injuriam, auctoritatisque ſuæ diminutionem, ut quod omnibus innotuit de conſenſu præſtito, nunc retractare velle videantur.

LIX. Cùm autem quidam objicerent, debere primùm ipſum Ducem executionem Bruxellæ, ubi præſens eſt, incipere, aliosque faciliùs ipſorum exemplum ſecutoros; ipſe ſeriò rem agreſſus, quotidie penè apud Magiſtratum Bruxellenſem inſtitit, qui omnem lapidem moventes, ut Ducis evitarent indignationem, potiſſimam, primamque difficultatem apud laniones, cereviſiæque coctores invenêre, qui carnem, cereviſiamque vendere recuſantes, neceſſaria alimenta populo ſubtrahebant. Miſitque ſub idem tempus complures commiſſarios ad civitatum Magiſtratus, cum gravibus mandatis comminationibusque pœnarum adverſus eos, omnesque alios qui vel in mora eſſent, vel impedimentum præberent, quò minus executio effectum fortiretur.

LX. Die 22. Decembris 1571. relata fuit Duci in præſentia Berlaymontii, Præſidis Viglii, & Tyſenachii, ſupplicatio Statuum Brabantiæ, duodecim aut tredecim Articulos continens, ac inter ceteros erat quintus in ordine deprecatorius *Decimi Denarii* cum Requeſta particulari, tam propter evitandam patriæ confuſionem, quàm quia prætendebant conſenſum ſuum eò ſe non extendere, producentes duos

Actus,

Actus, quibus id adstruere, compsobareque intendebant. Ad hæc Dux in substantia respondit sequentia. Mirari se, quod audebant adhuc ruinam patriæ objicere, cum toties significasset, si quid esset quod eò tenderet, se omnibus modis cupere id tollere, patriæ enim salutem sibi non minus quàm ipsis charam esse, & se ad conservandam, non perdendam huic regimini a Rege præfectum esse: jurans per crucem & Sacro-sanctum Sacramentum, quod in D. Gudulæ Ecclesia servatur, quod etiamsi in Hispania privatus degeret, se, ob amorem hujus provinciæ, ad defensionem ejus accurrere paratum fore: ideoque se magnâ injuriâ affici, quod hîc ingrati ac malevoli quidam seminant, eum perditum ire velle, & tyrannizare subditos hujus provinciæ. Nullius autem magis interesse, ut per medium *Decimi Denarii*, id quo ad patriæ defensionem opus erit, colligatur, quàm Brabantinorum, cùm antea declararint sæpius, impossibile esse, ut Quotam duobus proximis annis promissam alteriùs solverent. Et quod generalia media proponunt, non ignorare eos, *Decimum Denarium* generale esse medium, ac super verbis magis quam re eos contendere; jam vero ita sese eum fuisse moderatum, ut pro decem uno se contentum esse ostenderit, & in novem gratiam ipsis faciat. Potuisse enim se, juxta consensum præstitum, ex singulis venditionibus imperfectarum, crudarumque materiarum, & sæpius iteratis, *Decimam Denarium* exigere, cùm tamen ad unicam venditionem id restrinxerit, ultra alias multas moderationes, tam in primo Edicto, quàm secundo, aliisque subsequentibus declarationibus super remissione *Decimi* frumentorum, aliorumque in quibus gravamen aliquod existere sunt questi, contentas. Nullo autem pacto convenire, ut per Quotas amplius procedatur, cùm pernicioſum sit, quod unusquisque de plebe sciat quid contribuatur. Etenim unicuique videri, quod publicè solvitur, id se particulatim exsolvere.

LXI. Quod vero consensum suum in dubium revocare fatagunt, id honorem reputationemque Regis, ac suam (quam sæpe inculcabat) plurimum concernere, eamque ab ipsis sic illudi, neutiquam ferre posse, ac debere potius Ministros omnes tanto dedecori, quod Regi infertur, fideliter obsistere: eam firmissimam asserens esse sententiam, ut quod semel con-

ſenſerunt, ad effectum perducant, adhibitis tamen iis moderationibus quibus omne damnum, ruinaque patriæ evitetur, ac ad neminem æque id pertinere, quàm ad curam Regiæ Majeſtatis, cujus eſt diſcernere ac dijudicare, quid populo conveniat, aut non. Excelltiæ. autem ſuæ, cùm propter ætatem, valetudinemque in protectione hujus patriæ conſumptas, nihil magis in votis ſit, quam ut primo quoque tempore in Hiſpaniam ad quietem redire poſſit, ideoque adventum ſucceſſoris diu avidè expectaſſe, ob hoc ſolum tamen moram ſibi minus gravem cenſeri, quò tempus habeat exequendi *Decimum Denarium*, prout Rex, hujusque Provinciæ utilitas poſtulat.

LXII. Digrediens deinde ad Ducem Medinæ-cœli, perplexum ſe ajebat, ubinam locorum militem, quem ille ſecum ducebat, diſponere poſſet, dicens ſe ſæpius ſcripſiſſe, nihil opus eſſe majore numero, cùm is quem hîc intertenebat, & civitatibus gravis eſſet, & difficulter, unde ſtipendia ſolveret, inveniret; verùm in Hiſpania credi, hoc id-circo illum dicere, quod ſucceſſorem inermem venire velit, & neceſſario præſidio deſtitui, cum quotidie milites, qui hîc eſſent, impetratâ aut non impetratâ miſſione, ſe hinc ſubducerent. Serio autem ſcripſiſſe ſe ad Regem, non militibus pluribus, ſed pecuniâ in eorum, qui hîc ſunt, ſtipendia opus eſſe.

LXIII. Sub idem tempus, cum Statibus Flandrenſibus advenêre tres Epiſcopi, Gandavenſis, Brugenſis & Iprenſis, Baillivique ac præfecti civitatum majorum, ut & ipſi pro populo intercederent, quos ſeorſum Excelltia. ſua audivit, objurgavitque, quod ipſi negotiis hujusmodi contra Regiam Majeſtatem ſe immiſcerent, inobedientiamque populi ſuâ auctoritate foverent: perſuadere tandem illis contendens, *Decimi Denarii* præſtationem ſummâ ratione, juſtitiâ atque conſenſu Statuum ſubnixam eſſe:

LXIV. Cumque nonnulli ex præcipuis Conſiliariis periculum evidens imminêre animadverterent, ſi Dux in ſua ſententia perſiſteret, illud primùm conati ſunt ei perſuadere, ut non armis, ut velle videbatur, ſed viâ juſtitiæ procederet. Id quod tandem, licet difficulter, ſibi perſuaderi eſt paſſus, conceptaque tum fuit, ac publicè edita formula procedendi, quæ tamen omni pene effectu caruit. Tentavêreque iidem

Dnum.

Dnum. Fredericum ejus filium inducere, quo patri unà perſuadere vellet, ut ab *Decimi Denarii* executione ſuperſederetur, mediis nonnullis propoſitis. Verùm ille permoveri non potuit; donec tandem Brilâ, aliisque locis ab Geuſiis, rebellibusque, hanc *Decimi Denarii* exactionem prætendentibus, * occupatis, conſentiret, ut cum ceteris Conſiliariis patrem deprecaretur pro executionis ſuſpenſione, quatenus anni currentis Quotas promptè exolverent.

* *V. Stradam lib. 7. Decad. 1. ubi de deficiis in Vexillo decem monetis.*

LXV. Interea Status nonnulli, videntes ſe non aliud ab Duce impetrare poſſe, conſtituêre legatos ſuos in Hiſpaniam ad Regem mittere, qui pleniùs eum de imminenti periculo, ſtatuque provinciæ certiorem facerent. Id quod Excelltia. ſua omnibus (*modis*) impedire conata fuit, Ducemque Arſchotiæ ac Comitem à Lalein, qui ab Brabantiæ Hannoniæque Statibus requiſiti ad hoc fuerant, inhibuit, ne Provinciâ excederent, operamve ſuam ac in re, unde nihil niſi Regis indignationem expectare deberent, Statibus impartirent. Porro Hannonienſes, Inſulenſes, Artheſii, ac Flandri ſuos legatos, Duce inconſulto, ablegavêre. Cùmque Brabantinos ſimiliter iter arripuiſſe intellexiſſet, litteris ad eos, priusquam limites excederent, datis, domum revocavit. Qui nihilominus iter ſuum proſecuti ſunt, ac in curiam regiam in Hiſpaniam omnes ſalvi pervenêre.

LXVI. Turbis autem obortis, deſiit Dux tantopere, ut prius, *Decimi Denarii* executionem urgere, cui populus totam hanc Reipublicæ perturbationem imputabat, ac tandem in ejus (1) abolitionem conſenſit, uti litteræ ejus præ ſe ferre videbantur, quas tamen poſtea ita interpretatus eſt, quatenus Status de aliis mediis duos milliones per ſingulos annos in *Decimi Denarii* locum numerandos, provideant. Dicens litterarum ſuarum eam fuiſſe intentionem, que etiam confirmabatur per (2) reſponſionem ab Rege legatis in Hiſpaniam miſſis datam, quando Majeſtas ſua non aliter aſſenſit, ut ſuperſederetur *Decimi Denarii* exactioni, quam de aliis mediis in ejus locum ſurrogandis, ab ipſis provideretur. Ipſi tamen Status evocati Bruxellam, ut de mediis hujusmodi deliberarent, omnino inſtiterunt, ut *Decimi Denarii* conſenſus, qualis-qualis datus eſſet, antea circumduceretur, atque abſoluta ſimplexque abolitio Regis manu ſignata exhiberetnr:

idque

idque legatis in Hiſpania expreſſè ab regia Majeſtate, poſt Statuum ſupra-memoratorum reſponſum, declaratum fuiſſe, uti Prælati quidam, ac Dnus. a Treſlong, Dnus. Hopperus (3) teſtem ſuper eo citabant.

LXVII. Alia autem controverſia ſuper præſtatione duorum millionum annuorum exorta fuit, quod ipſi Status condenderent, milliones illos ad tempus & non in perpetuum præſtari debere, atque ut antea ab ipſis petitum fuit, ad ſexennium eam dumtaxat eſſe duraturam, & poſt expiratum tempus non recuſaturos ſe illud contribuere, quod ſecundùm exigentiam temporis facultatesque ſuas pro antiquo more perpetuoque erga Principes ſuos affectu, devotioneque ac obſequio, præſtare ſoliti erant. Verùm aliter ſemper viſus eſt intelligere, & poſt ſexennium expiratum, niſi de aliis millionibus cum ipſis conveniretur, *Decimi Denarii* præſtatio rurſus ſuccederet, ac Statibus aliter ſentientibus, ne omnino tractatio cum ipſis abrumperetur, aliquod ex Conſilio ab Duce deputati fuere, qui, ipſo ad caſtra ante Montes Hannoniæ poſita 26, Auguſti 1572. proficiſcente, cum ipſis communicarent: nihil proficere illi potuêre, niſi de omnimoda abolitione *Decimi Denarii* ſecuri redderentur, & millionum temporali tantum præſtatione ſua Majeſtas contenta foret. Nam in perpetuum obligari ad tam ingentem ſummam, provinciales nullo unquam tempore aſſenſuros eſſe apertè dixerunt. Reque ad Ducem relatâ, conceptisque ad Regiam Majeſtatem litteris, quibus Statuum poſtulatio ei ſignificaretur, Duci viſum non fuit Regem ejus certiorem, juxta conceptas ab Conſilio litteras, reddere. Quo accidit, ut non ſolum *Decimi Denarii* exactio, & ulterior cum Statibus tractatio interea quieſceret, ſed millionum etiam ſolutio differretur, niſi quod a quibusdam Statibus aliquid numeratum fuerit in futuri ſubſidii diminutionem. Qui veriti, ne ægrè Rex aut Dux ferret, nihil ab eis auxilii adverſus rebelles præſtari, Excellentiam ſuam interpellavere, ut de abolitione, ceterisque, quæ contributionis negotium concernerent, aliquid reſponderet, præſertim ne prætextu ſtipendiorum non ſolutorum paſſim a militibus exederentur. Duci tamen non fuit viſum aliquid ſuper eo decernere, ſed ad reditum ſuum Bruxellam ac præſentiam ſuam omnia rejecit.

Porro

LXVIII. Porro autem Dux Albanus, cùm intelligeret Commendatorem majorem Caſtellæ jam in itinere eſſe, brevique hîc adfore, ut in gubernatione Belgiæ ei ſuccederet, ipſe ex Amſterodamo, Trajectoque, Bruxellam approperavit, ut eundem anteverteret præveniretque, quò de ſtatu provinciæ, rebusque ante actis eum informare poſſet, priusquam forſitan alii nonnulli ei diverſam opinionem imprimerent: eâque diligentiâ uſus eſt, ut 12. Novembris Bruxellam adveniret, hoc eſt, quinque dies antea quàm Commendator eò pertingeret. Quo quidem 17. Novembris adveniente, confeſtim ita per prædictum Ducem ejusque filium Fredericum, Joannem Vargam, Hieronymum Rodam, ac Albernotium prædicti Commendatoris aures præoccupatæ fuêre, ut ceteris eum conveniendi nullum pene tempus relinqueretur. Ac interea miniſtrorum conditiones ei deſcribebantur, alios imperitiæ, alios dubiæ erga regiam Majeſtatem fidei inſimulando, populum vero omnem aut hereſi inquinatum, aut infidelitatis erga Regem inſimulando.

LXIX. Cùmque prædictus Dux animadverteret, cauſas hujus belli civilis, omnes pene *Decimi Denarii* exactioni adſcribere, ipſe, ut hanc notam a ſe averteret, id imprimis operam dedit, ut Commendatori perſuaderet, Status omnes ſimpliciter abſolutèque in eam conſenſiſſe, idque ſibi primarios affirmaſſe Conſiliarios, Addebat quoque, juſtitiæ adminiſtrationem ante ſuum adventum in hac provincia maximè fuiſſe corruptam, ac conſuetudines, privelegiaque vehementer pernicioſa ſeſe hîc comperiſſe. Quæ dum ipſe corrigere, reformareque ſtuduit, non magnam ſe gratiam iniiſſe. Ac cùm per naturales, ſubditosque non ſatis ſincere juſtitia adminiſtraretur, invicemque ſibi faverent, neque fortalliciorum cuſtodia ſatis ipſis concredi poſſet, paulatim ſe operam dediſſe, ut Hiſpani ipſis ſubſtituerentur. Iis ac ſimilibus rationibus ipſe Dux, atque ſupra nominati, ſiniſtram opinionem Succeſſori imprimere conati fuêre.

LXX. Quoniam autem Regem ad gratiam propenſum eſſe intellexiſſet, & tamen eam hactenus diſtuliſſet, Præſidem in præſentia Gubernatoris advocavit, ejusque ſententiam deſuper rogavit. Qui reſpondit, ſe meminiſſe, Conſilium Statûs

aliquando ſuper eo, quid ſibi videretur, ad Excellitiam ſuam ſcripſiſſe, nec ad Geldros, Tranſiſulanos ac Friſios eam, uti intentiò ejus videbatur, eſſe reſtringendam, prout ab eo propoſitum fuerat, ſed generaliter omnibus reſipiſcentibus eam impertiendam eſſe. Verùm cùm id conſilium Joanni Vargæ diſplicuiſſet, ac ad Ducem Noviomagum profectus fuiſſet, effeciſſe dicebatur, ut gratiæ de novo impertiendæ reſolutio ſuſpenſa fuerit: ſibi autem viſum fuiſſe, ut ſaltem a particularibus incipiendo, ante omnia ab civitatibus Brabantiæ ac aliis ad obedientiam reductis, quæ fraude aut vi occupatæ fuerant, & minus peccaverant, atque ad obedientiam tempeſtivè reverſæ fuerant, gratia (quam tantopere ſollicitaverant) non denegaretur: quò eorum exemplo alii eodem invitarentur: potuiſſeque illam cum exceptione quadam ac reſtrictione concedi, a qua ſententia Dux quoque ſe non alienum fuiſſe, reſpondit.

LXXI. Cùm autem mentionem Præſes feciſſet de Mechlinienſibus, ubi multi boni viri gravem perpeſſi fuerant calamitatem, neque adhuc gratiam obtinere potuerant, multa in contrarium ille allegavit, & ſatis odioſè illorum culpam, quo direptionem ejus urbis (1) excuſaret, amplificare conatus fuit.

LXXII. Ubi autem de cunctis per Ducem Gubernator novus informatus fuerat, tandem penultimâ Novembris convocato Conſilio Statûs, cui ſolummodo intererant Dux Arſchotenſis, Berlaymontius & Præſes Viglius, Dux declaravit voluntatem regiam de ſurrogato in ejus locum Commendatore majore Caſtellæ, ac lectis mandatis regiis, nonnullaque præfatus, ei adminiſtrationem ceſſit. Et licet arbitrabantur omnes, cum eo quoque ceſſaturum fuiſſe Conſilium extraordinarium, quod *turbulentum* vocant, ab eo inſtitutum, Cameraque ejus concluſa eſſet, poſt biduum tamen, ſuadente Duce, rurſùs aperta fuit, ac Vargas ceterique ejusdem Conſilii, in priore auctoritate ac exercitio continuati fuere per Commendatorem, non absque populi memore, indignationeque.

LXXIII. Manſit tamen Bruxellæ ipſe Dux aliquot diebus, deque officiis aliisque negotiis in quorumdam favo-

rem

rem disposuit, sub data tamen ejus resignationem precedente.

LXXIV. Cum autem forte discedenti Duci Commendator significasset, intelligere se, consensum *Decimi Denarii* ab Statibus aliisque in dubium revocari, litteris ex Namureo datis ad eundem rescripsit, quod ei coram declaravit plane verum esse: omnes videlicet Status in *Decimi Denarii* exactionem consensisse, & id ita illi Consiliarios primarios, hoc est: Berlaymontium, Noircarmium, Præsidem, & Thesaurarium Scherzium affirmasse: ac, si fortassis id illi negarent, satis cum stomacho objiciebat, veriteri eos parere, allegans sic eos declarasse Cancellario Brabantiæ presente, cum super consensu Statuum Brabantiæ acceptando consilium haberet. Sed an id verum sit, quod omnes Status consenserint, quod ad Præsidem pertinet, ipse id asserere non fuit ausus, sed nec ei magnopere contradicere voluit, & Regis judicio relinquendum putavit, cui Status per Deputatos suos in Hispania rationes suas in contrarium ample exposuerant.

LXXV. Quod autem ipsos Consiliarios affirmasse ei contendit, quod omnes Status absolutè consenserint, id cum aliàs in Consilio Dux Præsidi objecisset, ipse reverenter clareque ei respondit, se nullo pacto ejus meminisse, omninoque contra suam conscientiam fuisset, si tale aliquid dixisset, cùm semper de consensu generali Statuum dubitarit, scrupulusque ejus menti inhæserit ex sequentibus causis & rationibus. Primùm enim, Status, qui non convocati fuerant; & quos nihilominus comprehendi unà ordinarii Status contendebant, ne mercimonia omnia ad eos diverterentur, nullum omnino consensum præstitisse in confesso fuerat. Trajectenses quoque, qui, licet cum aliis Statibus convocati fuerant, propositioni, petitionique Ducis reluctatos fuisse constabat. Tertium quoque Ordinem Statuum Artheſiæ, hoc est, civitates, dissensisse compertum fuerat, aut saltem more majorum & conjunctim eos consensum non præstitisse, sed a quibusdam separatim contra veterem formam ab eis (*fuisse*) extortum. Jam vero, quod ad Status Brabantiæ pertinet, duas difficultates Præses initio moverat, tam quod intelligeret, prælatos ac nobiles, licet Dux expressè dixerat, se nullas

conditiones admittere velle, ipſi tamen conſenſum non aliter dederant, niſi ſub præcedentibus modis, Remonſtrationibus ac Conventionibus. Ad hæc membra quædam ipſarum civitatum adjunxiſſe conſenſui ſuo nonnulla animadverterat, quæ conditiones implicarent, quas poſtea impletas fuiſſe intelligere non potuit. Uti & reliqui Status adjunxêre, ſeſe ſub illa ſpe & fiducia conſentire, ut provideret, ne ullum damnum commerciis manufacturisque inferretur, quod impoſſibile fore videbatur. Altera quoque difficultas ſuboriebatur, quod illi viſum fuit, non potuiſſe membra civitatum diſſentientia ſecundum juſtitiæ rationem. . . . . *Reliqua deſunt.* (1)

NOTAE

NOTAE
IN
COMMENTARIUM

De decimo Denario.

N. I. (1) *Ntiqui, ordinariiſque Status*] Hæ ſolæ provinciæ Belgicæ, quæ a domo Burgundica ad Auſtriacam pervenerunt per nuptias *Mariæ*, filiæ hæredisque unicæ *Caroli* Pugnacis ſeu Audacis cum *Maximiliano*, poſtea Imperatore ejus nominis I. *antiquorum Statuum* appellatione hic veniunt, & eâ non comprehenduntur Friſii, Geldri, Ultrajectini, Tranſiſalani, Groningani ac Lingani, qui recentiore acceſſione in *Caroli V.* jus venerunt, ex contractu emptionis, uti Friſii; ex ceſſione ut Ultrajectini, ex pacto atque armis, ut fere reliqui.

III. (1) *Rebuſca*] Vox Hiſpana, metaphorica, ſignificans ſpicilegium, ſeu lectionem ſpicarum a meſſoribus relictarum; item, collectionem racemorum vel uvarum, a vindemiatoribus neglectarum. Primum Gallis eſt: *glaner*, alterum, *grapiller*. Unde in dictionario Franciſci Sobrino, ad vocem: *Rebuſca*, lego: *l'action de grapiller & de glaner*. Hinc intelligitur, quid Duci Albano fuerit, *taxæ repetitio*.

V. (1) *Alcanales*] Neſcio an hic error librarii. Certe *alcavala*, Hiſpanis eſt vectigal, tributum, terris aut mercibus impoſitum. *Franc. Sobrino.*

VI. (1) *Hertelling, Tranſporta, Verpondinghen & Aſſietes capitales*) Borrius lib. 5. fol. 204. prim. edit. exhibet Ducis Albani poſteriorem propoſitionem ordinibus Belgii ſuper decimi denarii impoſitione factam, in qua dicitur *Hertelling* eſſe tributum Brabantinis proprium, *Tranſporta* Flandris, *Verpandinghen* Hollandis. De quarto non meminit. *In Brabant by Heertellinghen, in Vlaenderen by Tranſporte, in Hollandt by Vercoopinghe.* Hic vitium eſt typi, legendumque *Verpondinghe.*

Porro *Hertelling*, eſt novum habere cenſum ædium & focorum, ſeu novam eorum deſcriptionem vicatim facere, in qua quisque ſuas ædes & focos profiteri tenebatur, juxta quorum numerum pagus ac vicus, oppida quoque Brabantiæ, æs conferrent ad opus Principis aut reipublicæ. Atque adeo per hanc propoſitionem Dux Albanus (qui *decimi* denarii duritiem ſpecioſis ſtuduit ſuggeſtionibus lenire) Belgii Ordinibus ſeu Statibus obtulerit facultatem ſeu auctoritatem (a ſe, ſi conſentirent, impertiendam) ineundi *novum cenſum* domorum ſeu focorum, quo ipſi Status uterentur tamquam *medio*, prout Viglius loquitur, impendendo, ſeu *convertendo in redemptionem redditiuum quibus plus ſatis gravabantur*. Idem eſt finis ſeu deſtinatio reliquorum. Subjicio *Maximiliani* & *Philippi* Pulchri diploma ſeu commiſſionem ad inſtituendum hunc cenſum, anni 1491. cum inſtructionibus Cameræ rationalis: nec non cum aliis anno 1521. a Statibus Brabantiæ præſcriptis. Addo & deciſiones exortarum controverſiarum ſuper cenſa habito anno 1526. ex quibus res hæc jam inſueta & inuſitata, plana, apertaque fiet.

nouveau cobier des feux, ou *nouveau denombrement.*

Commiſſie tot het ſtellen van de HERTELLINGE *geſchiet in den Jaere* 1491.

„ MAXIMILIAEN BY DER GRACIEN GODTS Roomſch Ko-
„ ninck altyt vermeerdere t'ſrycx Coninck van Hon-
„ geren, van Dalmatien van Croatien &c. ende PHILIPS
„ by der ſelver gratien Erthertogen van Oiſtryck, Hertogen
„ van Bourgen., van Lotryck, van Brabant, van Lim-
„ bourg, van Luxembourg ende van Gelre, Greven van
„ Vlaenderen, van Tyrole, van Artois, van Bourgen. Pala-
„ tynen van Henegouwen, van Hollant, van Zeelant, van
„ Namen ende van Zutphen, Mercgreven des heylichs Rycx,
„ heeren van Vrieſlant, van Salins ende van Mechelen, on-
„ ſen lieven ende geminden *Liebrechte van Houthem* onſe Meyer
„ van thienen, meeſteren *Jamme Stynen* onſe Secretaris ende
„ *Cornelyſe Hanelois* onſe Auditeur onſer Rekencamere in Bra-
„ bant Saluyt. Alſo ter dachuaert leſtwerft van onſen we-
„ gen gehouden by eñ mit den gedeputeerden van den drie
„ Staeten ons lants van Brabant ons by de voorſz. gedepu-
„ teerde voor die beden van deſen naeſtcommende jaire ge-
„ conſenteert ſyn geweeſt, op elck huys binnen onſen voorſz.
„ lande van Brabant geſtaen, eenen gulden te vyff ſchel.
„ groote brabants gerekent op vaege nochtans onder d'ande-
„ re dat men in de quartieren van Loven ende Bruſſel eene

„ nuwe

„ nuwe *bertellinge* van den ongebranden huyſen doen ende
„ maken ſouden, overmits den welcken van noode zy, je-
„ manden van onſen wegen te committeren die totter voorſz.
„ *bertellingen* verſtae ende procedere, doen V te weten, dat
„ wy deſen aengeſien ons betruwende volcommelyck van
„ Vwer wysheit ernſticheyt ende rechtveerdicheyt V gecom-
„ mitteert hebben ende committeren by deſen om te doen 't
„ gene des voorſz. is in onſer Stadt ende meyerien van Thie-
„ nen dair inne begrepen het Walsbrabant onder 't quartier
„ van Loven gelegen, ende ontbieden V ende bevelen, dat
„ overgenomen by V alſulken inſtructie als wy deſen aen-
„ gaende hebben doen maecken ende geroepen, by V eens
„ off meer van den gedeputeerde der voorſz. Stadt van Thie-
„ nen, ſoo verre ſy jemande dair by hebben willen, ghy
„ terſtont treckt in derſelver onſer Stadt van Thienen ende
„ alome elxwaer inde voorſz. meyerie, ende aldaer alle die
„ ongebrande huyſen, het zy dat die bewoent zyn off niet,
„ wel getruwelic ende mit allen ernſte telt, mit onderſchey-
„ de nochtans van den huyſen die bewoent zyn, ende van
„ den genen die niet en ſyn bewoent, alles achtervolgende
„ der voorſz. inſtructien die wy deſen aengaende als voorſz.
„ is, hebben doen maecken, ende die voorſz. huyſen alſoo
„ by V geteilt, maict dair af een goet ende gewarich regiſter
„ ende dat gedaen, ende 't voorſz. regiſter by V geteyckent
„ bringht off ſeynt over beſloten onder uwe Zegelen op die
„ Camere van onſen Rekeninge in Brabant, om die gezien
„ ende van den voorſz. huyſen afgetrocken 't gene des be-
„ hooren ſal affgetrocken te ſyne, den taxe dair aff te maec-
„ ken ende dien voort vuyt te ſeynden daer ende alſoo dat
„ van noode weſen ſal, want ons alſoo gelieft, ende van des
„ te doene wy V drien off den tween van V volcommen
„ macht, autoriteyt en ſonderlinge bevel geven, gegeven in
„ onſe Stadt van Mechelen den xxviij dach van decembri in
„ 't jaer ons hoeren duyſent vier hondert eenen en negen-
„ tich, ende van den rycken ons Coninck te wetene des
„ Roomſchen t'ſeſte en van hongen d'jerſte nederwarts ſtont
„ by den Coninck tot uwer relatien, en ondert. *ja: buteef*,
„ ende geſegelt met ſyne Majts. grooten Segele in rooden
„ waſſe onder vuythangen aen enckelen Steerte van Parque-
„ ment:

In-

Inſtructie voor die gene die gecommitteert waeren totte voorſz. HERTELLINGE *gedreſſeert by den heeren deſer Camere.*

„ Inſtructie voor die Commiſſaryſe die by
„ onſen alregenedichſten Heeren den
„ Roomſchen Coninck ende Eertshertо-
„ gen *Philipſen* ſynen Sone mits huen
„ openen brieven van commiſſien geordi-
„ neert ſyn te doene eene nieuwe *hertel-*
„ *linge* in de Steden eñ quartieren van
„ Loeven ende van Bruſſel, &c.

„ IErſt ſullen die voorſz. Commiſſaryſen terſtont ende mit
„ alre ernſticheyt trecken in den quartieren daer hem dat
„ by de voorſz. onſe gened. hen ende by huen brieven, van
„ Commiſſien voorſz. geordineert weſen ſal, ende inde Ste-
„ den aldair mitsgad. oic inde Vreyheyden ende dorpen in
„ den Platten lande van den ſelven quartiere tellen wael en-
„ de beſcedelyck mit goeder voorſienicheyt alle die huyſen
„ ende hertſteden die ſy aldaer bevinden ſullen, ſoo wael
„ die bewoonde als oick die onbewoonde, egheene vuytge-
„ ſcheyden, ende die ſelve hertſteden beſcheydelic mit goe-
„ der ſpecificaen ende onderſcheyde ſtellen in geſcrifte.

„ Item ſullen de voorſz. Commiſſaryſen oick mede tellen
„ allen die hertſteden weſende in den begynhoven bynnen
„ haeren voorſz. quartiere gelegen.

„ Item in alle Cloоſteren ende Goidtshuyſen ſullen geſcre-
„ ven worden alle die perſoonen in den ſelven Cloiſteren en-
„ de Goidtshuyſen woonende oic met ſpecificaen ende onder-
„ ſcheyde van. ſelven.

„ Item oft gebeurde dat bevonden worden binnen eenre
„ wooningen oft byvangen diverſche Luyden wonende, hou-
„ dende verſcheyden huysraden ende herſteden, ſullen die
„ ſelve virſteden geſtelt worden elc beſunder.

„ Item oft ſoe waere dat inde voorſz. quartieren gelegen
„ waeren eenige plaetſen oft dorpen daer die voorſz. Com-
„ miſſaryſe niet ſekerlic en ſoude mogen oft connen getrec-
„ ken vuyt vreeſe van luyden van Wapenen oft anderſins,
„ ſullen die voorſz. Commiſſaryſen in dien gevalle by hen
„ ontbieden den Prochiaen, den Officier mitten notabelſten
„ van den Wethouderen aldair die ſelve eynden ende voorts
„ van onſer voorſz. gened. heeren wegen hen bevelen often
„ voorſz. huen eedt, te tellen wael ende getrouwelic alle
„ die hertſteden bynnen den ſelven hueren Dorpe gelegen,

ſoo

„ ſoo wael die bewoonde als die onbewoonde gelyck voorſz.
„ is, ende die beſcheydelic in geſcrifte onder huën Zegelen
„ overbrengen om die voorts gelyc den anderen plaetſen
„ geteyckent ende in geſcrifte geſtelt te worden alſoo behoo-
„ ren ſal.

„ Item als die voorſz. *hertellinge* inder manieren voorſz. by
„ de voorſz. Commiſſaryſen gedaen weſen ſal, ſullen die ſel-
„ ve Commiſſaryſen die voorſz. heure hertellinge auctentyc-
„ kelyck overbringen inder Cameren van Rekeningen van
„ Brabant te bruſſel om die by den Luyden van der ſelver
„ Camere oft eenigen van hen gevuert te worden tot Me-
„ chelen ende by Ertshertogen *Philippe* ende ſynen raede daer
„ mede voorts gedaen ende geordineert te wordene alſoo ſy
„ ſullen vinden behoorende.

Deſe Inſtructie is gemaect geweeſt inder Cameren van den Rekeninge van Brabant te Bruſſel xxix. decembris anno xiiij^{c}. xcj. ter ordonnan. ende beveele van mynen heere den Cancellier van Brabant *den Heeren van Watlbain* ende van *Beerſſelle* ende meer anderen van den Raide onſer gened. heeren tot Mechelen.

HERTELLINGE.

Op ten Zeſthienſten dach in April anno xv^{c}. ende xxj. es by den gedeputeerden van den Steden van Brabant eendrechtich geſloten dat men die HERTELLINGE *doen ſal over al d'lant van Brab^{t}. inder vuegen naer beſcreven.*

„ IErſt ſoo ſullen daer toe gecommitteert worden zekere
„ Commiſſaryſen van wegen den K: Majts. het zy vuytten
„ raide oft van der Cameren van den Rekeninge in Brabant
„ geordineert.

„ Maer want de Coſten ſeer groot ende exceſſif waeren
„ die ter leſter *hertellinge* gedaen worden, zo es by den ſel-
„ ven als voor geſloten dat men der K: Majts. verſuecken
„ ende bidden ſal dat in elck van den vier quartieren al-
„ leenlick geſonden worden ſal eenen Commiſſaris van ſyn-
„ der Ma. wegen om metten gedeputeerden van den Ste-
„ den te tellen en te beſoingnieren.

„ Item dat elck van den vier Hooftſteden ſullen finden in
„ elck van den vier quartieren van Brabant drye perſoonen,
„ te wetene twee vuytter ſelver Hooftſtadt ende een van
„ den anderen Steden dair ondergelegen, ende by alſoo elck

„ der voorſz. Hooftſteden niet genoech cleyne ſteden en
„ hebben, ſoo ſullen ſy moghen in dien gevalle dry perſoo-
„ nen ſinden ende deputeren vuytter ſelver Hooftſtadt,

„ Item die voorſz. Commiſſaryſen mitten gedeputeerden in
„ maeten ende vuegen voorſz. geordineert ende gedeputeert
„ ſyn ſullen die voorſz. Coïſſaryſen eñ gedeputeerde terſtont,
„ ende mit alder naerſticheyt trecken inden quartiere dair
„ hen dat ſal geordineert worden, ende in den Steden al-
„ dair, mitsgaeders oick inden Vryheyden ende dorpen ten
„ platten lande deſſelfs quartiers, wel ende beſcheydelic met
„ goeden voorſienicheyt alle die huyſen ende heerſteden die
„ ſy aldaer bevinden ſullen ſoo wel die onbewoonde als die
„ bewoonde egeen vuytgeſcheyden ende die ſelve Hooftſte-
„ den beſcheydelick mit goeder ſpecificatien ende onderſche
„ ſtellen in geſcrifte,

„ Item ſullen die voorſz. Commiſſaryſen ſchuldich ſyn
„ om die voorſz. *bertellinge* te doene ten minſten coſte ende
„ meeſten orboire van den voorſz. lande te beſoingneren ten
„ minſten vij vueren sdaechs,

„ Item ſullen oick die voorſz. Commiſſariſſen ſchuldich ſyn
„ te tellen alle die Herſteden van de Bagynhove binnen hue-
„ ren voorſz. quartieren gelegen.

„ Item alle die Clooſteren Godtshuyſen ende andere gaſt-
„ huyſen ſullen geſcreven worden mit ſpecificatien van de
„ getale hueren perſoonen,

„ Item oft gebeurde dat bevonde worde binnen eender woe-
„ ninge oft byvange diverſe Luyden woonende houwende di-
„ verſe huysraede ende hertſteden, ſullen die ſelve hertſte-
„ den getelt worden elck beſunder, wel verſtaende dat ſoo
„ verre de voorſz. Commiſſariſſen dochte datter ter zyde off
„ achter die voorſz. huyſen oft hertſteden eenige hertſteden
„ meer waeren dan hen geroepen oft gethoont waren, dat
„ als dan de voorſz. Commiſſariſſen ſullen moigen nemen den
„ eedt van den gene dair dat behooren ſal om hen daer van
„ te purgeren.

„ Item oft ſoo waere dat inder voorſz. quartieren gelegen
„ waren eenige plaitſe oft Dorpen daer die voorſz. Commiſ-
„ ſaryſen niet ſekerlyck en ſoude cunnen getrecken vuyt
„ vreeſe van den Luden van Wapenen oft anderſints ſoo ſul-
„ len die voorſz. Commiſſaryſen in die gevalle by hen ont-
„ bieden ter naeſter ſtadt vriheyt oft Dorpe binnen den ſel-
„ ven quartier den Prochiaen met eenigen van den Notabel-
„ ſten van den ſelven Dorpe ende dat al na gelegentheyt
„ der ſaecken ende goetduncken der voorſz. Coïſſaryſen en-
„ de gedeputeerde deſelve eedende ende voorts van myns ge-

„ nedichs

„ nedichs Heeren wegen hen bevelende opten voorſz. heu-
„ ren eede te tellene wel eñ getruwelyc alle die hertſteden
„ binnen den ſelven hueren Dorpe gelegen, ſoo die wel on-
„ bewoonde als die bewoonde in alder vuegen ende gelyc
„ als voorſz. is, ende de beſcheydelyc in geſchrifte onder
„ hueren Segele overbringende om die voorts gelyk den an-
„ deren plaetſen gerekent eñ in geſcrifte geſtelt te wordene
„ gelyck behooren ſal.

„ Item dat een yegelyc ſculdich ſal ſyn gnetelyck ende
„ vrindelyck den voorſz. Commiſſariſſen huer diligentie int
„ onderſuecken der voorſz. hertſteden doende, in alſen ta-
„ melycken zaken te obedieren in t'opdoende van hueren
„ dueren ende Porten ſonder deſelve eenige quaede oft on-
„ eerlicke woirden te gevene.

„ Item oft contrarie van deſen by yemand gedaen oft voorts
„ gekeert worde, dat die ſelve by den juſtitien van der plait-
„ ſen dair t'ſelve gebueren mochte, gecorrigeert ſal worden
„ na gelegentheyt der zaken ten exemple van alle anderen,

„ Item ſullen oick die voorſz. Commiſſaryſen die voorſz.
„ *bertellinge* inder manieren voorſz. gedaen ſynde auctentycke-
„ lyc overbringen onſen genedigen heere ende des Staten van
„ Brabant voorſz. om by den ſelven daer inne van ſtonden
„ aen gededuceert, geordineert gequoteert te worden ſoo
„ hem dat naer gelegentheyt der ſaecken ſal duncken be-
„ hoorende achtervolgende ende op den voet van der leſter
„ *bertellinge*.

Deciſie van eenige differenten op t'feyt van de voorſz.

HERTELLINGE.

„ ALſoo verſcheyden queſtien ende geſchillen dagelyck
„ reſen ende opſtonden tuſſchen de gedeputeerde van
„ den ſteden van Brabant ter cauſen van de *bertellingen* on-
„ lancx gedaen, ende onder d'andere op vier poincten hier
„ onder geſpecificeert van welcken differenten ſy onderlin-
„ ge niet en conſten vereenigen tot welcker ſaken myn ge-
„ nad. vrouwe als regente ende Gouvernante der voorſz.
„ gedeputeerden geordonneert ende gegeven heeft Comiſſa-
„ ryſen vuyt den Raede eñ uytter rekencamere van Bra-
„ bant om hem Luyden te vergelyckene ſoo verre ſy con-
„ ſten, oft anderſints ingevalle neen, mynder voorſz. genad.
„ Vrouwe van alle rapport te doene, eenſamentlyck met
„ heuren advyſe om dat gedaen by hueren genaden met
„ adviſe van den Raede neffens haer weſende op de voorſz.

„ differenten te appointeren, ſoo hũe genade naer recht eñ
„ redenen bevinden ſoude behoirende, ende want de voorſz.
„ Commiſſaryſen der voorſz. gedeputeerden van den Steden
„ niet en hadden kunnen verlycken, wat dilgentie ſy daer
„ toe gedaen hadden, ſoo hebben ſy de voorſz. differenten
„ eñ difficulteyten metten redenen by den eenen eñ den an-
„ deren geallegeert, gheſtelt in geſcrifte eenſamentlyck met
„ hueren advyſe ende 't ſelve overgegeven mynen voorſz.
„ ghenad. Vrouwe ten fyne als vore, op welcke voorſz. dif-
„ ferenten de voorſz. myne genad: Vrouwe, naer dyen ſy die
„ al hädde doen overſien eñ rypelyck daer op gelette, heeft
„ geſeeght eñ geordonneert by manieren van appointemente
„ eñ ordonnañ. tuſſchen de voorſz. partyen inder manieren
„ ſoo hier nae volght, bevelende de voorſz. gedeputeerden
„ hen daer naer te reguleren. Ierſt op d'eerſte differenc,
„ d'welck was van ſekeren Dorpen ende plaetſen in Bra-
„ bant, de welcke hen ſyden ende ſuſtineerden vry te ſy-
„ ne van Bede, eenige andere van den voorſz. gedeputeer-
„ den ſuſtinerende de Contrarie, hier op heeft de voorſz.
„ myne genad. Vrouwe gezeeght ende vercleert, dat want
„ men in den voorgaenden denombremente ende rekeñyn-
„ weſende inder rekencamere van Brabant men niet en vint
„ die Dorpen hier naer geſpecificeert ende genoempt, getelt
„ geweeſt te hebbene by de voorgaande *bertellingen*, dat ſy
„ nu oick noch en ſullen worden getelt in deſe tegenwoordi-
„ ge *bertellinge*, te wetene onder Bruſſele, Borch by Vilvor-
„ den gehuchte, Traiſegnies, Raynes, Luteaux, Buyffy,
„ Ramioul, Wontmet Luter, Gaſſenier, Longhey, onder
„ Antwerpen heyſt op den Bergh, ende duffele Landt van
„ Mechelen op t'geſy van den Watē onder Berghen Huy-
„ berghen Noertlant, ende den Brabantſchen polder oft Bou-
„ dewyns polder, ondert 's hertogenboſſche, Stereſele ge-
„ huchte gemeret, Lyth, onder Meghem, Meghem Macke-
„ ren Haren eñ t'heffelen, Oyen eñ Dieten onder Oyen,
„ onder Raveſteyn herpe eñ herperſchadyck Vuyden Boeke-
„ le ende Zeelant grave eñ Loon raveſteyn derenberch doe-
„ ren onder raveſteyn ende huyſſelingen; Op 't tweede dif-
„ ferent d'welck was aengaende de Goidshuyſen van Ortten
„ ende van den fres * inder Stadt van den Boſſche, die welc-
„ ke de gedeputeerde van den Boſſche ſuſtineerden behoiren
„ gehouden ende gerekent te zyne gelyck andere Clooſters
„ in Brabant, eenige andere van den gedeputeerden ſuſtine-
„ rende ter Contrarien, dat ſy ſouden behoiren getelt te
„ wordene gelyck andere leecke huyſen, hier op heeft de
„ voorſz. myn G. Vrouwe geſeeght ende vercleert dat
„ want

* id eſt: *Fratres in communi viventes*, dicti *Hieronymiani*. *Vide Hiſt. Epiſc. Sylvæd.* pag. 306.

„ want men bevint by de *hertellingen* gedaen in den jaere van
„ LXXX en XCVI leſtleden de voors. goidtshuyſen van Ort-
„ ten ende van frēs getelt geweeſt te hebbene onder ende
„ mitten Cloofters van derſelver ſtadt, dat de ſelve godts-
„ huyſen van Ortten ende van den frēs noch getelt ſullen
„ worden mitten anderen Cloofters, met ſpecificatie noch-
„ tans van den perſoon aldaar woonende ende den Verbae-
„ len die daar af gemaect zyn by den Regiſtren van de Com-
„ miſſaryſen int quartier van 'Shertogenboſſe, de *hertellinge*
„ gedaen hebbende, om daer op alſulcken conſideratie te heb-
„ bene als men ſal bevinden behoirende; Opt' derde diffe-
„ rent te wetene aengaende de xxj Godtshuyſen inderſtadt
„ van Antwerpen daer fondatien inne ſyn ende prouen
„ off almoeſſen hebben int'gemeyne, die welcke de gedepu-
„ teerde van Antwerpen ſuſtineren gerekent te ſyne onder
„ ende metten cloofters der voorſz. Stadt, de gedeputeerden
„ van de anderen Steden ſuſtinerende de contrarie, myn ge-
„ nad. Vrouwe zeeght en vercleert aengaende deze differen-
„ ten, dat ſoo verre het blycke oft dat de gedeputeerde van
„ Antwerpen affirmeren, dat in de voors. xxj Godtshuyſen
„ die Luyden aldaer woonende hebben vuyt fondatien proue-
„ nen oft almoeſſen int gemeyne boven huere woonſtede, dat
„ de ſelve xxj godtshuyſen gerekent ende gehouden ſullen
„ worden voor godtshuyſen off cloofters gelyk oick in an-
„ dere Steden ende plaetſen, mair andere godtshuyſen heb-
„ bende huere huyſen verſcheyden ende commende ter ſtrae-
„ tewaerts, ſal elk huys van dyen gehouden ende gerekent
„ worden voor een heertſtadt. Opt' vierde different d'welck
„ es aengaende den ſlapers off eenloopige geſellen in der ſtadt
„ van Antwerpen, hebbende alleene eene Camere daer ſy
„ gaen ſlapen, inſgelycx aengaende de V^c. ende VI. Scholie-
„ ren in der ſtadt van Loeven gerekent ende getelt elk voor
„ een hertſtadt, die voors. van Antwerpen eñ van Loe-
„ vene ſuſtinerende dat de ſelve ſlapers off cameriſten nyet
„ en behooren gerekent te wordene voor heertſteden, die
„ andere gedeputeerde van de andere Steden ſuſtinerende
„ ter contrarien, myne voors. genad. Vrouwe geſien heb-
„ bende ende gehoirt t' raport in geſcrifte geſtelt van den
„ Commiſſaryſen den voors. partyen gegeven om hen Luyden
„ te vergelyckene ſoo verre het mogelyk geweeſt hadde met
„ oick huere adviſe, naer goede ende rype deliberatie daer
„ op gehadt, ſegt ende vercleert, eerſt aengaende de voors.
„ Slapers dat dyen van Antwerpen, in plaetſe van den ſelven
„ Slapers geſtelt ſoo binnen de ſtadt als in de Vryheyt der
„ ſelver by iij, by iiij, by v, by vj en by vij afgetrokken

„ ende gededuceert zullen ſyn V^c ende XXXJ hertſteden,
„ desgelycx ſal gedaen worden in andere Steden ende plaet-
„ ſen onder t'quartier van Antwerpen daer alſulcke ſlapers
„ gerekent geweeſt hebben voor heertſteden naer advenant,
„ ende aengaende de Cameriſten ende arme Scholieren van
„ Loeuen, myn voors. genad. Vrouwe zeeght ende ver-
„ cleert dat het voors. getal van V. ende VI. Cameriſten oft
„ arme Scholieren gereduceert ſal worden int principael ge-
„ tal der heertſteden binnen Loeven totten getalle van vyf-
„ tich heertſteden, ende ordonneert de voors. myne genad.
„ Vrouwe, den voors. Gedeputeerden van den Steden groot
„ eñ cleen eñ van den platten lande int ſtuk vand: tegen-
„ woordiger *hertellinghen*, hen naer t'gene voors. es te re-
„ guleren. Actum op den XXIIJ^en dach der maend van
„ januaris anno XV^c XXVI. ſtyl van Brabant.

„ Alſoo naer dyen dat zekere andere differenten geweeſt
